Collég. Neap. Cat. inscr.

CHRISTIANAE POESEOS OPVSCVLA

aliquot ob ſingularem eruditionem ac pietatem lectu digniſsima, nempe

De Chriſti Seruatoris uita, morte, ac reſurrectione.

De D. Pauli apoſtoli, item D. Ioannis baptiſtæ uita, reb. geſtis, ac morte.

De diuina Trinitate.

Omnia ex Euangelicæ ueritatis hiſtoria, elegantiſs. carmine deſcripta, quorum autores proxima pagella indicabit.

Adiecta quoq; hic reperies,

DISTICHA, TOTIVS NOVI TEſtamenti Epitomen, hoc eſt ſingulorum Capitum ſummam complectentia, ſeruato etiam in ſingulis ordine alphabetico, iuuandæ memoriæ gratia.

Cum priuilegio ad ſeptennium.

B. R. NEAPOL.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

BASILEAE. 1541 apud Jo: Oporinum

CATALOGVS OMNIVM QVAE hoc libro continentur.

Petri Roſſeti Poëtæ CHRISTVS, *Lib.* III.

Eiuſdem PAVLVS, *de laborib. beatiſsimi Apoſtoli,* *Lib.* VI.

Scipionis Capycij de Vate Maximo, *Lib.* III.

Iani Vitalis Panormitani in Diuinam Trinitatem Hymni III.

Io. Franc. Quintiani Stoæ tragœdia de Paſsione Domini, quæ Theandrothanatos inſcribitur.

[redacted] *doctiſs. Hymnus paſchalis, ab eodem iuuene olim ſcriptus, ac nuper inuentus.*

DISTICHA *ſingulorum Capitũ totius Noui Teſtamẽti ſummam complectentia, incerto autore.*

PETRI ROSSETI
POETAE LAVREATI,
CHRISTVS.

COeleſti genitam humanoq́; à ſe-
mine prolem,
Mactatamq́; cano, factis quæ
præbuit orbi
Se claram, ſubijtq́; odijs infan-
da ſuorum
Funera: dum uetiti morſus cō
miſſa piaret,
Humanumq́; nephas: rurſumq́; in corpore iuſſit
Eſſe ſuo uitam, & domito noua condidit Orco
Sæcula, & æternis gentem cum ritibus æquam.
Dic deus, hæc ſceleris quàm dira iniuria cœlum
Clauſerit antiqui, quo tu crudelia paſſus
Supplicia, indignamq́; necem: quid tendere fruſtra
Auſus te contra, & terris arcere ſalutem,
Eſſe ſibi exiguam ſi uim perceperat Orcus?
Is decus exuerat diuinæ lucis, ab alto
Cum Stygia manes acie deiectus ad imos,
Quum ſibi præferri doluit, terræq́; potiri
Imperijs, cœloq́; genus ſuccedere noſtrum.
Aſtu igitur primos petijt, ueſciq́; ſubegit
Arboreo fœtu, hæc maneant ne dona parentes,

Ne genus hæc maneant tota cum ſtirpe futurum.
Sed Vatum hic monitu, et ſignis percuſſus apertis,
Promiſſiſq; Dei, totum iam nouerat orbem
Spe certa impleri, ſoluiq; piacula partu
Virgineo: amiſſamq; peti reddiq; ſalutem,
Exitiumq; ſibi, & triſtem ſupereſſe ruinam.
Tum dolor, ingentiq; metu fiducia creuit.
Huc atq; huc herebi peſtes, ſecumq; nephandos
Ibat mille uocans comites: paſſimq; trahebat
Tot genus humanum inſidijs, totq; artibus omnes
In ſcelerum formas: peccandi inuaſerat ardor
Tam dirus, noſtraq; nephas ab origine tantum.
Ecce mali hortator ſupra mare ſtabat aperto
Aethere Sidonium, populos incultaq; & omnem
Orbe Aſiam toto aſpectans Solimosq; remenſo:
Iamq; fame preſſum exactis tot ſolibus, & iam
Ieiunis Chriſtum tot noctibus in ſpelæis.
Seceſſuq; feras inter proſpexit in alto,
Neſcius eſſe Deum haud dubijs ſed talia motus
Secum ait oſtentis, fuerant quæ plurima cœlo.
Nunc quibus ipſa dies, nunc ſors quibus aſpera Fatis
Voluitur, & præter ſolitum quo numine mundus
Exultat dubito, & qua me formidine turbat:
Hactenus ad ſummum creuere, & dum altius iræ
Non potuere meæ, mihi res nutare uidentur.
Inſtat homo, aſpicio cœli non irrita ſigna,
Quem metuo, ratus eſſe Deũ, hunc quũ uid mus olim
Naſcen-

Naſcentem, cecinere poli, noua duxit ab ortu
Stella Magos: regesq; timor ſæuire coëgit.
Vox etiam eæ Dei quæ totum impleuit aperto
Nuper inane polo, lapſumq; ſub alite numen
Ad Iordanis aquas, & quæ ieiunia nullam
Longa tulere famem, terrent me agitantq; timentem.
Aut Deus eſt, ut me lateat, mortalia ſecum
Ora gerit, mihi qui rurſum parat altera furtim
Exilia. aut hominum (ut credo) cœleſtibus unus
Viribus adiutus, qui ſigna minantia monſtret,
Et fore me domito profugum denunciet Orco.
Nunc igitur qui ſit (fieri uiſa omnia quando
Supra hominem) unde ſibi uim tantam ſuggerat iſte,
Experiar: ne me fallat mutatus adibo.
Hæc ſubitò ut dixit, cœlum diuerberat alis
Infenſus, criſtamq; gradus extollit in altos,
Tres tribus euinctos nectens ſerpentibus hamos
Omnia quo ſecum rapiat, Rhetiq; lacerto
Suſpendit pateram, hac Lethes obliuia portat.
Dat Stygis hac latices, & nubem effundit opacam.
Iamq; ad Carmelum tandem nemora ardua iuxta
Peruentum, impellit dum ſe nigrantibus alis,
Euitatq; loci numen. Ceu ſpicula quando
Neruo emiſſa uolant, uerſo quibus agmina tergo
Impetit, eluditq; fuga noua prælia Parthus.
Exin per ſteriles ſaltus Samaritidis inter
Gentis agros furtim celerans, magniq; fluenta

Iordanis lucem exoſæ uolat alitis inſtar,
Et ſolitæ ſub nocte queri: iamq; ocyus ibat
Saxa per & ſyluas, & per latera aſpera montis,
Veſtibus Eſſæum niueis, uultuq; ſeuero,
Tartarei poſita mentitus imagine monſtri.
Vt ſpelæa, famemq; Deum ſentire uolentem
Inſpexit, faciemq; loci, & diſcrimina circum:
Nanq; feræ circum ſtabulant, ſæuire leones,
Moliriq; lupi inſidias, ſæuiq; dracones:
Sic fando increpitans iuxta inſidiarier audet.
Tu'ne etiam eſuriens tantum patiere laborem?
Hinc tibi quid precij reſtet, quæ commoda, neſcis.
Difficiliſq; rei quid proſit inutile factum.
Quid tum, ſi duramq; famem & ieiunia Moſes,
Heliasq; tulit? priſci potuere parentes,
Hæc etiam'ne ferens nunc te mortalibus æquas?
Si genus è cœlo ducis, ſi rector Olympi
Te genuit, patrijsq; ſinit te uiribus uti,
Fac lapis in Cererem ut durus (potes omnia quando)
Tranſeat, hæc Cereris dum te penuria tantum,
Dum te dura fames uitæq; inimica fatigat.
Talia uoluentem, & ficta ſe uoce tegentem,
Fingentemq; nephas, tanti non inſcius aſtus
Rex hominum, ſatus ille Deo, ſcelerumq; repreſſor
Sic contrà obiurgat: Quid falſa ambagibus audes
Voluere conſilia, & duros damnare labores?
Manſuram quibus in requiem, quibus itur in aſtra,

Et qui

Et quibus æthereo patres potientur honore?
Colloquijs hominem potius cœleſtibus æqua
Relligio, menſisq; frui melioribus optat.
Sic ait, hunc Solymam ſecum ducturus in arcem
Accipit: inceditq; ſui non immemor Orcus.
Quantum agat ille Deum, cupiat ſeu fallere quãtum,
Neſcit, fallendiq; uiam meditatur inanem.
Mons cœlo optatus, priſci dixere Sionem,
Vrbe fuit Solymæ, & cultu ſeruatus auito:
Quem ſuper extulerat regum ditiſſimus olim
Rex Solomon proauis templum patriq; negatum
Quicquid ubiq; foret diuerſo ex orbe nepotum,
Auxerat huc ueniens, & largi munere reges.
Iam mundi in molem Parijs tot molibus ingens
Ibat, fulgentisq; decus referebat Olympi.
Hos ſeptem errantes, alios ter quatuor ignes
Supremos, ſolisq; uiam, qua labilis annus
Voluitur, aut magnus quæ ſidera digerit orbis:
Stabant ardentes, gemmisq; manuq; ſuperbæ
Ter centum ex auro, argento, atq; ex ære columnæ,
Ara ingens, uaſtumq; maris de nomine ahenum.
Huc uenit, genitumq; Dei dux triſtis auerni
Suſtulit, & tecto ſiſtit ſuper arduus aureo,
Alta in præcipiti ſummum quà ſemita circum
Ambibat culmen, potuit procul unde uideri
Vrbs tota, & montes paſſim terræq; iacentes.
Sic prior aggreditur: Vitamne inglorius omnem

Hactenus egiſti, nec adhuc te nouerit orbis?
Nominis es ſine luce tui: ſi rector Olympi
Te genuit, patrijſq; ſinit te uiribus uti,
Labere, & à tecti ſpecula te deijce ſaltu
Ad terram: auxilijs fretus cœleſtibus ibis,
Dexter opem feret ipſe pater: ueniemq; ſecundi
Agmine cœlicolæ, excipiemq; tegemq; cadentem.
Surgere iam facto tali tua gloria mundo
Incipiet, cunctiq; ferent ad ſidera laudes.
Cui Chriſtus, Niſi res poſcat, non quæritur ultro
Vincendus ſolo fuerit qui numine caſus.
Non ſinit hoc pietas, nec tanti audacia facti
Laudanda eſt, nulliq; ſuum conſeruat honorem.
Dixit, & inſidias dictis eluſit inanes.
Sed magis ille nephas erebi dux irritus ardet
Moliri: ſecumq; alios, aliosq; uolutat
Arte dolos alia, & ſtygijs ſe firmat in armis.
Qui Iouis ut uolucrem ſequitur, nunc retibus idem
Fallere, nunc uiſco tentat, nunc figere telis:
Non illam inſidijs ſubigit, non uiribus ullis
Spectantem longè, liquidaq; in nube uolantem.
Hinc procul extemplo cedit, ſecumq; Sebaſtes
Rurſus agens Chriſtum, regnis allabitur Orcus,
Proximus eſt ubi mons cœlo, quem lucida ſupra
Aſtra tegunt nubes: longe patet undiq; tellus,
Horret apex ſterilis, quo ſyluis protinus ingens
Fert uia, perq; feras ducunt diuortia multa,

Dant quibus ingreſſi ſeſe inſidiantibus eſcam.
Conſilia hic cæcis agitant diuerſa latebris
Dij ſtygij, cladem laturi & crimina terris.
Huc ubi ſupremi peruentum ad culmina montis,
Mons ſtupet, & tacito teſtatur numina motu,
Diffugiuntq; feræ. purgatur nubibus æther,
Et ſolem miratur apex. hic audet Erinnys
Velle Deum rerum nequicquam incendere amore.
Hinc ergo è ſpecula ſaxi maria omnia longe,
Et terram oſtentat, reſerat quà Phœbus Olympum,
Quà tegit, auerſis medium quà diuidit oris.
Hinc Libyã, Europamq; procul monſtrabat, & omnes
Circum Aſiæ populos genteſq; & plurima regna.
Quantus honos Perſis, quantus Carthaginis armis,
Romulidæ quantum domito decus orbe ſequunti.
Hæc ſcelerum hortator ſoli ſe cuncta daturum,
Quæ cuncti tenuere, refert, ſi talia danti
Maxima diuini reddatur gloria cultus.
Iamdudum ut Chriſtus poſcentem indebita ſenſit,
Haud mora, tunc dictis ſic eſt aggreſſus acerbis:
Vnde tibi mens iſta, nephas qua uoluere poſſes,
Et decus immeritum, & ueterem tentare rapinam?
Deſine me ſupra tanto te tollere faſtu.
Hac licuit proferre tenus, metuenda propinquant
Sæcla tibi, poſthac tantum tibi poſſe negatur.
Notus abi. His ſeſe dictis exterritus aufert,
Moliturq; fugam, & ſyluis latet abditus Orcus

Treiſq; graues monſtris circum frendentibus hamos,
Centauriq; fremens pateram, criſtamq; reponit.
Stant mœſti comites circum, primuſq; Taractes,
Zelemonq; dolens, fraudumq; repertor Erennus,
Parq; dolis Ephedros, formidatuſq; Molobros.
Interea puro referunt in lumine ſeſe
Ad dominum, lætoq; ſimul ſtant agmine circum
Cœlicolæ, ſimul & domino famulantur ouantes:
Eſſe etiam Cereremq; ferunt laticemq; uolenti.
Hic ſubitò pater ingentem ter lucidus alto
Aethere dat plauſum, ac radijs inſperſus & igne,
Dat nato ambroſiam, dat dulcem nectaris hauſtum,
Victoriſq; nouo multum lætatur honore.
Poſtera iam cœlum reſerans detexerat orbi
Os roſeum, & pulſis Aurora effulſerat umbris:
Sole dies gentem innumeram dum cogeret orto,
Aethereumq; iugis delatum ad flumina regem
Iordanis, latè quem circum maximus ibat
Se Baptiſta tegens ſylueſtris tegmine capræ,
Amborum genitus ſuprema ætate parentum,
Panderet ut cœli ſtirpem, quam clauſus in aluo
Præſenſit: mutiq; oriens incredula ſoluit
Ora patris ſeſe plantis ut tollere quiuit,
Et firmo puer ire gradu, petit aſpera ſolus
Luſtra, ſolo patriæ & montes ſyluaſq; relicto.
Illi nulla Ceres, læti non munus Iacchi,
Non molli in ſtrato ſomnus, non mollis amictus:

At uictu inſueto paſci ſyluestribus herbis
Eſuriens, fœdisq́; (ut uera eſt fama) locuſtis:
Contra hyemem, & ſæuos uillis & pellibus imbres
Veſtiri hirſutis, ſeraq́; quieſcere nocte
Cote ſuper nuda, in dumis & ſentibus atris.
Illum ubi cœleſti uidit iam grandior ætas
Conſilio dignum cœpta ad grauiora uocari,
Errabat iuxtaq́; lacus, magniq́; fluenta
Iordanis, ſanctusq́; pios tingebat in undis,
Crimina caſtigans. huc urbibus è diuerſis
Ibant & terris populi, & ſimul agmine gentes,
Phœnices, Solimiq́; patres, cunctiq́; Trachones,
Ibant & Syrij. Ceu ſigna agreſtia cornu
Dum canit upilio, tectis pecus omne recluſis
Mane ruit, pinguesq́; agros ad flumina tondet
Eridani: paſtum lauat ille ſalubribus undis.
Inde tori ſcelus incuſans, culpamq́; iugalem,
Fœmineis cadit inſidijs, iuſſuq́; tyranni.
Terra polusq́; necem uatis miſerantur amici,
Rectorisq́; nephas multum indignantur iniqui.
Quæritur è cœlo factis poſcentibus ultor.
Ergo ubi per turbam delatum ad flumina uidit
Aethereum regem, inſtantis ueſtigia firmat
Numinis afflatu, & tali ſic indicat ore:
Ecce Deus, quem optaſtis, adeſt, quem ſæpius ipſe
Prædixi, & ſancti cecinerunt numine uates.
Ecce Dei proles, generis ſcelus hoſtia noſtri

Morte luet, manibusq́; cadet mactata ſuorum.
Omnia quà Tethys terram circunfluit omnem
Aſſeret, infernisq́; iugum ceruicibus addet.
Vidi egomet teſtata Deum cœleſtia pridem
Signa, nouum claro patuit quibus omen Olympo.
Is liquida dum tinctus aqua me fortè miniſtro
Stabat, cùm precibus tollens ad ſydera uultus:
Extemplo cœli de uertice miſſus amœna
Luce, per ingentem fulgor diffunditur auram.
Quales nube ſolent rupta luceſcere flammæ
Murmure cum ualido, totus quibus emicat æther.
Tum cœlum in medio, quà ſol exæſtuat, axe
Panditur, & ſuperi monſtratur luminis ardor.
Alitis illapſum Paphij ſub imagine numen
Deuolat, immotisq́; ſuper caput aſtitit alis,
Omen agens magnum. è ſummis penetralibus ingens
Fit plauſus, natumq́; pater cempellat ab alto·
Chriſte genus noſtrũ, et mentis pars intima noſtræ,
Dum mea iuſſa tuo totum, dum tempora poſcunt
Nomine repleri, & factis clareſcere mundum
Te dignam, & patri gratam, terræq́; ſalubem
Rem facis, immenſum cœli teſtatus honorem.
Nec plura: ipſe Deum audiui nouiq́; loquentem,
De cœlo lapſam uidi, nouiq́; columbam.
Ergo age iam cunctis multum expectate, uideri
Incipe Chriſte, nouiq́; decus da ſurgere ſæcli,
Da totum impleri factis inſignibus orbem.

Hactenus in terris uideor potuiſſe mereri,
Te ueniente premor, tu cœli lapſus ab arce,
Aethereo nutu, & ſignis monſtraris apertis.
Iamq; uale: hoſtilem uitæ fert terminus iram,
Fœmineumq; nephas, & uis inimica paratur.
Protinus his dictis faciem & flagrantia uates
Paſcitur ora tuens, tacito cum murmure uoluunt
Iamdudum hæc animis ſecum pendentibus omnes.
Vix hominem & factis ignotum et nomine, credunt
Eſſe Deo genitum, qui non ferat æquoris ultra,
Vltra etiam terræ fines, ſuper æthera famam.
Contrà, non etiam finxiſſe oracula uatem
Vana putant, cuius Solymis erat omnibus olim
Nota fides, multoq; excultum nomen honore:
Multi ope cœleſti, & ſecli lætantur honore,
Aduentuq; Dei placido, multiq; relicta
Re patria comites, perferre extrema parati
Adduntur, ſuperi pro ſpe, pro munere regni.
Iamq; noua ex illis fama notiſſimus exit
Sedibus, & gradiens Galilæa in mœnia ſeſe
In patriamq; refert, Chaneæq; appellitur urbi.
Iamq; uiam magni emenſus, qua uoluitur anni,
Aegoceri uehitur per terga horrentibus urnæ,
Sol uicinus aquis, & ſæuit frigore bruma.
Hic tunc connubijq; dies, thalamiq; parati
Inſtabat pompæ referens genialis honorem.
Ipſa uiri ſponſæq; nouo domus æſtuat omnis

Conuentu

Conuentu feſtoſq; parat lætiſſima cultus,
Plurimaq; in rerum ſeriem digeſta tapetis
Facta uirûm diuûmq; patent: tot dædala ſigna,
Tam uarij ornatus: nec parte locantur in una,
Inſtructiq; tori, ac longo ſimul ordine menſæ:
Intus trunca foco uoluuntur robora ſyluæ
Aedibus in totis, multoq; extinguitur igne
Triſtis hyems: multa ante focum intra tecta uoluptas.
Huc matrumq; uirûmq; nouis in ueſtibus unà
Ire chori, mixtiq; ſenes, & læta iuuentus.
Tum medio in tecto primoq; in limine feruent
Ardentes, greſſumq; ferunt referuntq; miniſtri
Pocula portantes, Cereris pars dona miniſtrat:
Fontis aquam liquidi ſuppoſto infundit aheno.
Pars manibus, menſas uarijs pars lancibus implet:
Dant alijs alij, & capiunt, quæ fercula portent,
Ex alijs alij, diuiſaq; munera tractant.
Præcipuiq; ſedent excelſa in parte uocati
A præcone uiri, patrijs dum obſcurus in oris
Parte ſub extrema felicis Conditor æui
Diſcumbit Chriſtus, genitrix ſanctiſſima iuxta
Orbis honor Maria, & fidei noua robora iuxta
Diſcumbunt comites, & ſede locantur in ima.
Iamq; manus cuncti ad lances, largamq; uiciſſim
Ad Cererẽ extendunt, pecudumq; calentia mandant
Viſcera, & altuum, detoſtaq; terga ferarum.
Stant pueri circum, & molli ſpumantia Baccho

Pocu-

Pocula dant,mixtaq́; domant fortiſſima lympha.
Et iam pulſa fames (facit hæc Deus omnia)quando
Vina coronari,læti ut poſcunt hymenæi,
Poculaq́; impleri licuit,conſurgere turbæ
Triſte miniſtrantis murmur,nihil eſſe Lyæi:
Et nouus audiri incepit per limina queſtus:
Incuſantq́; uirum cuncti,qui non ſibi tantum
Atq; ſuis arcere nephas,non uina parare,
Quæ numero ſatis eſſe queant,curauerit æqua.
Res ſubito ad menſas. Tum ſecum incõmoda uoluens,
Alma domum genitrix multum miſeratur egentem,
Et placidam nati paucis ſic fatur ad aurem:
Nate age,quem rerum miſeret,quem neſcius orbis
Et uidet,& ſummo delapſum ignorat Olympo,
Hæc domus abſumpto (ut noſti) triſtatur Iaccho,
Hoc tua,nate,nephas tollat præſentia,teq́;
Proſit adeſſe. Silet,monſtrans opera ardua nutu,
Mox quibus exurgens felicis gloria ſæcli,
Et quibus ætheree pandantur ſtirpis honores.
Ipſa dies etiam,promiſſaq́; munera cœli
Inſtabant,precibusq́; ſalus adiuta parentis.
Ergo Deo ſatus ipſe,pioq́; incenſus amore,
Se ſubito ad famulos perfert,menſiſq́; relictis
Accelerat,lymphaq́; cados implere patentes
Mandat. cunctantur famuli,pars neſcia rerum
Se putat illudi:una tamen pars fontibus implet,

Fertq́;

Fertq́; refertq́; cados, genitrix quia iuſſerat ante,
Sancta recuſarent huius ne iuſſa miniſtri.
Is ſtetit ut iuxtà, liquidis Deus imperat undis,
Sentit aqua inſuetas uires, quibus humida Tethys,
Et nymphæ ſtupuêre, ſequi cœleſtia iuſſa
Gauiſæ, gaudetq́; alieno ex munere Bacchus
Eſſe ſuum, & ſummi miratur numina cœli.
Inde merum hauriri fœlicis conditor æui
E teſta iuſſit, tectisq́; exceſſit apertis.
Expediunt iuſſa ambigui, ſed læuia poſtquam
Ire rubeſcentem cernunt in pocula Bacchum,
Diuinumq́; meri excipiunt ſalientis odorem,
Obſtupuêre: Velut dubitat, quem uana iacentem
Nocte ſub obſcura rerum portenta fatigant,
An uigilet, ſenſúsne ſopor deludat inanes.
Vnus præterea ex numero noua primus Iacchi
Dona bibit, Liquor ambroſiæ eſt et nectaris (inquit)
Non noſtri in terris creuit fœlicibus orbis,
Non talem Mareotis alit, non Leſbia uitis,
Non Ithaco talem Iſmarius dedit hoſpes amico.
Sic fatus, famuliq́; merum ſitientibus addunt,
Et pateras iterum menſis iterumq́; coronant.
Tum uerò inſuetis ſtupefacti pectora rebus,
Factum inſigne Dei, diuinaq́; munera Bacchi
Conuiuæ, caſumq́; domus mirantur egentis.
Tum pius in medio meritisq́; inſignis et æquo

Obſtupet

Obſtupet hæc Zebedæus hians, ſecumq́; uolutat
Longæuus, multis cui uita exercita luſtris
Canitieq́; caput multa reſperſerat ætas:
Viderat is proauos, natumq́; piamq́; parentem.
Illum operis tanti lapſum non norat ab alto
Authorem, humanoq́; latens in corpore numen.
Ergo auidus matrem alloquitur, Dic optima nobis,
Dic age nunc genitrix (nos tanta potentia quando
Hactenus hæc latuit, noſtroq́; à ſanguine ducis
Clara genus, natiq́; colunt tua pignora noſtri)
Qui nato antè tuo euentus, genus unde paternum?
Diuini ſine ſtirpe patris non credimus ortum.
Sic poſcit uultumq́; ſilet non motus & ora,
Huc numero totis ingenti ex ædibus adſunt,
Arrectiq́; ſilent cuncti. Sic deinde rogata
Virgo parens cœlo ante alias gratiſſima fatur,
Non mihi magna fidem ſupra, nec uera liceret
Nunc fari, niſi uos pietas, & maxima, patres,
Relligio, atq; operis nouitas nunc ipſa moueret.
Cognita multa quidem, è ſuperis incognita multa
Conſilijs, cœliq́; meos de ſemine partus,
Gentis opem humanæ dicam, natiq́; labores
Expediam, monimenta ſequens ab origine rerum.
Ipſe nouam primum quam dirigit ordine molem,
In parteſq́; chaos, fierent quæ ſemina rerum,
*Digeſſit uireſq́; pater * tulit omnibus æquas*
Omnipotens, latoſq́; ſupra circumq́; moueri

Et multo impleri cœlos dedit agmine diuûm.
Quorum primus erat ſpecie pulcherrimus Orcus,
In cœloq́; nephas auſus, ſuper omnia ſeſe
Extulit, intumuitq́; nouo præcordia faſtu.
Sic fatus, comitumq́; ſibi tot millia iunxit,
Coniurata, ſui oblitus, dirumq́; ſequuta
Turba nephas, ſceleriq́; ducis ſe tradidit atro:
Inde extrema alios traxere in crimina ſecum.
Hoc ubi commiſſum, eſſe diu non paſſus in alto
Cœlo immane nephas Genitor, ſedesq́; uacare
Maluit æthereas, dira quàm gente teneri.
Primum igitur ſæuumq́; ducē commotus, & omnes,
Concilium infandum, comites ex arce ſuprema
Præcipites pellit, partem nunc tartara claudunt,
Aethere pars uacuo & terris inimica uagatur.
Inde ubi iam cœpti percepit origine mundi,
Is ſibi præferri longe, terræq́; potiri
Imperijs, cœloq́; genus ſuccedere noſtrum.
Quod genitor miſerans * aderant ubi tempora, iuſſit
Spe certa impleri, ſoluiq́; piacula partu
Virgineo, amiſſamq́; peti reddiq́; ſalutem.
Læta ferebatur miſeris mortalibus ætas,
Promiſsiq́; dies fulgentibus appetit horis,
Nocte dabat media ſeſe gratiſſima quondam
Late immiſſa quies: paſſimq́; ſilentibus umbris,
Lucida uoluebant medios ſua ſidera curſus:
Ecce mihi ad lychni lucem certiſſima uatum

Luſtranti monita, & ſummi promiſſa Parentis,
Mirantique, forent qui caſta ex Virgine partus,
Emicuit pura ante oculos lux uiſa repente.
Qualis uel rimà, è cæcis uel ſæpe feneſtra
Nubibus immiſſus fulgor per tecta refulſit,
Nocte ſub obſcura: de uertice lapſus olympi
Ore nouum uultuq́; gerens decus, ædibus infert
Nuncius ardenti Diuûm ſe maximus ille,
Atq; ſuum, cœlo qualis ſpectatur, honorem
Explicat, attonitæq́; refert cœleſtia iuſſa.
Ne trepida ò uirgo toti quæ fœdera tandem
Mundo æterna refers, terriſq; optata ſalutem:
Ipſius huc uenio qui condidit omnia, iuſſu:
Ipſe ſuam genitor miſſurus ab æthere prolem,
Te ſibi delegit gratam, præq́; omnibus ipſe
Te ſibi dilectam prolis iubet eſſe parentem:
In lucemq́; feres, tibi uirginitate retenta,
Educesq́; deum ueſtro qui præbeat olim
Phas generi, longúmq; nephas expellat, & undis
Omnia quà Tethys terram circunfluit omnem
Aſſerat, inferniſq́; iugum ceruicibus addat.
Quid? ſi nulla parens cunctis ex matribus unquam
Virgo fuit, partum te ſola ex uirgine mandat
Eſſe Deus. Res nulla deo, cui ſumma poteſtas,
Difficilis factu. Qua ui, quo ſemine primos,
Nouiſti, tulit ipſe pater, finxitq́; parentes.
Quid referam annoſáſq; nurus, quibus ædita proles?

Quid Sarram, Matremque tuã? eſt etiam tibi quõdam
Zachariæ ſenis illa tuo de ſanguine coniunx
Longæua, inſignem partum latura ſub auras,
Qui terris prolemque tuam, dum uenerit ætas,
Spes hominum, magniq; decus prænunciet æui.
Quare age, ne dubita, Deus hæc opera alta faceſſet.
Cede Deo, mirisq; modis implebitur aluus
Prole noua, partuq; dabit cum numine prolem.
Iamdudum hæc animo mecum ſuſpenſa uoluto
Iuſſa extrema dei. Tantum non ſerua coloni
Pauperis obſtupuit, caſta contenta Diana:
Cuius res Scythiæ, Aegyptiq; potens hymenæos
Victus amore petit: dum rerum neſcia uerſat
Se ſupra nimiam tacito ſub pectore ſortem
Ipſa quidem, ut partusq; modum & cœleſtia iuſſa
Noui, tendo manus in cœlum, exorſa uiciſſim
Has animo uoces. O qui mihi nuncius alto
Certus ades, ſummiq; refers præcepta parentis,
Teq; Deumq; ſequor: iubeat, quod poſtulat, ipſe
Hoc ſibi me gratam & dignam qui fecit honore,
Quem generis lapſi miſeret, duriq; laboris:
Nulla mora, ibo equidẽ, qua me uelit. hæc ego tãtũne
Tecto abigit curam, in cœlum dum tollitur ille
Ex oculis ſubitò, & menti fert gaudia noſtræ,
Gauiſus: quæritq; uolans trans ſydera ſedem
Cælicolûm æternam, Boreæ non flamine preſſam,
Non niue, non pluuijs: ubi fulget luminis ardor.

Omnia

Omnia lætari, & circum ueniente moueri
Viſa deo: moueorq́; animis & pectore toto,
Igne incenſa nouo. Ecce uiri ſine ſemine proles
(Mentis ſupra aciem res ardua) ſanguine noſtro
Concipitur, noſtraq́; hominem Deus induit aluo.
Vere rubens medio ceu flos felicibus hortis
Gignitur à ſolis radio, in pluuiamq́; ſolutis
Nubibus, atq; ſolo cæca ueniens alitur ui.
Hactenus hoc nulli: famam ſua proferet ætas.
Ipſa domũ (haud mora longa) uiro comitata reliqui,
Tecta nurus grauidæ ſtudio longinqua uidendi,
Annoſiq́; uiri: patriæ me ſumma recepi
Per iuga, trans urbem Solymam à Samaritide terra,
Optatæ delapſa domus ad limina ueni.
Fortè colens uaria texebat imaginè telas
Gentis anus priſcæ: hanc famulæ molliſſima iuxta
Vellera carpebant, mutusq́; in ſede ſacerdos
Adſtabat, multis cui uita exercita luſtris,
Tædiaq́; amiſſæ uocis triſtisq́; ſenectæ,
Hæc multum intendens opera inter grata leuabat.
Illa ubi me gaudens ſubeuntem limina uidit,
Stamineq́; & radijs ſubito penſisq́; relictis,
Surgit, & oblata me ſuſcipit obuia dextra.
Illius ecce, damus dum protinus oſcula, fœtus
Exultans utero, noſtra intra uiſcera clauſum
Sentit adeſſe Deum, & miro ſua gaudia motu
(Omen inauditum, atq; fidem res ardua ſupra)

Oſtendit, cœliq; genus prænunciat infans,
Cœleſti iam tum ſua corda calens afflatu.
Hoc etiam afflatu genitrix incenſa profatur:
Túne ultro ſuperi generis ſanctiſſima mater
Veniſti? potuit non te uia longa morari,
Non loca dura, grauis non te labor ullus euntem?
Tecum numen habes, mea quo perfuſa calet mens,
Et tua cœleſtem mihi uim præſentia perfert.
Téq; genúsq; tuum mea nondum emiſſa propago
Præſentit, geſtúq; nouo ſua numina monſtrat.
Hunc mihi uiſuræ infantem grauis ò daret ætas
Noſtra uidere uirum, totis ſua numina terris
Monſtrantem: ipſa meis manibus cui texere ueſtem,
Et fari, & domino poſſem ſeruire uocanti,
Et tecum eſſe diu, & uitam componere tecum.
Sic ait illa meæ prolis perfuſa propinquo
Numine, méq; meo aduentu lætiſſima ducit
Caſtum intra tectum, & famulas per limina cœptum
Tollere opus, menſiſq; epulas imponere mandat.
Sanctum exercentes tandem diſcumbimus ambæ
Colloquium, in menſa uatum reſponſa uiciſſim
Diſſerimus, lætóſq; inſtare agnoſcimus annos,
Afforet Iſaaci quibus alta à ſtirpe, domóq;
Ieſſæa, noſtræ pretium & ſpes ſola ſalutis,
Magna dei ſoboles. Ego ſic, Chariſſima coniunx
Zachariæ, ſupereſt partus cui multa propinqui
Gloria, fœcundæq; manet non dedecus ultra:

Ad-

Adſum impulſa Deo, ſeris tibi qui dedit annis
Progeniem, mentiq; tuæ ſe numine fudit:
Scire tibi fariq; dedit data munera cœli,
Promiſſosq; dies, alto quibus æthere prolem
Sentit adeſſe Dei, atq; utero prænunciat infans,
Cœleſti iam nunc ſua corda calens afflatu.
Mundo optata ſalus, rerum poſt multa uolutis
Sæcula tot uicibus, uatum poſt multa propinquat
Reſponſa, imperiúmq;. fuit regúmq; ducúmq;
Hac noſtra ſub ſtirpe tenus fuit haud leue noſtrum
Nomen. iam ueteris ſublata inſignia regni,
Vt noſti, patria externo iam ſubdita regi,
Qui patriæq; duces necuit legúmq; magiſtros,
Auſus & annales noſtrarum exurere rerum.
Quas etiam infantum audebit formidine cædes
Demens, me qualésq; manent quantiq; dolores
Sentio: crimen erit quantum, quantúmq; meorum
Exitium, quantus ſtygia de gente triumphus.
Iámq; uides pacem, & cunctis à uatibus illam
Prædictam ætatem, ſanctiq; exordia ſæcli.
Antiquæ inſidiæ ſceleratáq; ſemina morum
Quæ fuerint, cultúsq; Deûm tollentur inanes.
Vana ruent ſimulacra, atri iuga triſtia faſtus
Inferna imperia: & ſanctis cum ritibus æqua
Surget relligio, terrisq; uidebitur olim,
Regnabitq; Deus, qui iura amiſſa reponet.
Interea lætiq; dies, & frondiferum uer

Tranſierat, primoq́; calens incœperat æſtu
Solſtitium, annoſæ partus dum fortè parentis
Inſtaret, uatisq́; noui procederet ortus.
Iamq́; à complexu extremo ſeiuncta, reuertor
Antiquam in patriam, cognataq́; tecta relinquo.
Tandem per rapidos ſoles, flauentiaq́; arua
Peruentum ad patriæ ſedem, charosq́; penates.
Tectum ubi depreſſum nobis, quo cernere diuos
Affariq́; datum, & prolem genuiſſe beatam.
Aduenere dies, totus quibus orbis habebat
Bellorum requiem, tam ſæuis ſaucius armis.
Sæuierant totis inter ſe uiribus, & tot
Cladibus Europa *&* Libyæ *duriſſima regna,*
Tum belli effuſis Aſiæ gens omnis habenis.
Victus uterq́; tamen uictrici ceſſerat orbis
Europæ, dederantq́; iugo ſeſe unius omnes.
Quæq́; ſub arctoo, ardentisq́; ſub æthere mundi,
Quæq́; utroq́; iacent gentes ſub ſole, regebat
Auguſtus, poſt tot ſtrages, poſt plurima Cæſar
Bella, nouam terræ pacem pelagoq́; ferebat.
Ipſe ſuis ergo ſub legibus omnia quæ ſunt
Regna recognoſcit + pariter capita omnia uulgo
Cenſeri mandat, numerumq́; & nomina poſcit.
Haud ſecus ac diues, cui ſunt ingentia rura,
Multa armenta, greges uarij in ſylua Hiericuntis,
Et Libani in dumis errant, & flumina circum
Iordanis, lætoq́; bibunt in gurgite Nili,

Per

Per ſtabula & ſaltus pretium ſcrutantur, & uſum
Fœturæ, ſignat pecus, numerumq́; recenſet.
Accelerant populi, gentesq́; ad iuſſa uocatæ
Innumeræ. accelerat Ieſſæa ad mœnia primùm
Noſtra tribus, clarumq́; genus de ſanguine regum.
Conueniunt feſſiq́; ſenes, pueriq́;, uiriq́;,
Et matres, caſtæq́; ſua de ſede puellæ.
Huc ergo comitata uiro, & cenſum dare iuſſa,
Proxima Lucinæ uenio, per frigora multa
Duræ hyemis, mihi onus grauidæ non obfuit alui.
Ibam adiuta deo, uentris qui ſede latebat
Ingens anguſta, uiresq́; ferebat eunti.
Vrbis ad Ephratæ muros, ſedemq́; parentum
Affuimus, ſerum quum cœli accederet ignem
Veſper ab occaſu, & cunctos in tecta uocaret.
Implentur numero ecce domus, & compita late.
Imbre uelut gelido campis, uel ſole cadenti
Sentibus ad tumulum dumisq́; uirentibus atrum
Circùm urgentur aues, & ſyluas agmine complent,
Confuſæq́; ſonant, plena multi urbe uagantur,
Excluſi tecto, & noctem brumamq́; ferentes.
Ergo huc atq; illuc circumq́; ſonantibus omnem
Aedibus in partem ferimur, paſſimq́; per ipſam
Vrbem agimur: circumq́; oculos intendimus, eſſet
Si locus hoſpitio nobis, ſi forte receſſus,
Qui ſaltem hybernosq́; notos arceret, & imbres,
Duro ubi nocte iacere ſolo contingeret illa.

Parte relicta domus plenæ iacet urbis in ima
Fractus utrinq; uetus paries, diſiectáq; ualuis
Hoſtia, ſpeluncæ in faciem curuata recumbit,
Et protenta tegit rupes, gelidamq; miniſtrat
Aeſtibus in medijs pecori & paſtoribus umbram.
Huc Ieſſæus oues (ut dicunt) paſtor agebat
Frigus in æſtiuum, medijs dum ſolibus ardor
Vrgeret, ſanctosq; dabat teſtudine cantus,
Mulcebátq; gregem: & naſci ſub rupe canebat
Aethereum regem, atq; humili ſub culmine numen,
Natalísq; loci cantu tollebat honores.
Hic locus horreret quanuis inglorius, olim
Deſertúsq; foret, longáq; humeſceret umbra,
Paſtores dulci iam tum capiebat amore.
Huc ſubeo, hæc feſſamq; pio cum coniuge ſedes
Excipit aſſurgens: hanc rerum intramus egentes,
Noctis inhorrentem tenebris, preſſiq; locamur
Ambo ſolo in duro: uictúq; epulamur agreſti:
Veſtibus & circùm tegimur, noctémq; iacentes
Accipimus folijs effulti arentibus ambo,
Cratibus in terra & ſudibus præſepia iuxta
Structa, quibus * ſtabant aſinus pedibúsq; uagis bos.
Noctis erat mediæ felix iam tempus, & altam
Vmbra ingens tulerat terris infuſa quietem:
Maximus inſtantis genitor dum lucida partus
Signa dedit, multóq; mihi ſe numine fudit.
Ecce nouis alto demiſſus ab æthere fulgor

Efful-

Effulſit radijs diuinæ lucis, & antrum
Impleuit: cœpítq; noua circundare flamma
Me primam, & partes ſeſe diffundere in omnes,
Quatuor in uentos, tenebrásq; reſoluere terris.
Diuûm exaudiri cantus, & gaudia toto
Monſtrari cœlo, in ſomnis præſepia iuxta
Adſtabam, & ſupplex animóq; & mente ferebar
Altius: hærebámq; Deo, quum ſancta propago
Aedita clauſo utero, & matris ſine nixibus ullis
Emicat ante oculos pretium & ſpes certa ſalutis,
Patris amor ſummi, uitámq; exorſa ſub axe
A uagitu, omen grauium ſignúmq; laborum.
Naſcentem haud ſenſi, uidi cum lumine natum
Infantem. Veluti ſi quis ſe puppe moueri
Ad portum celerans medijs non ſentiat undis.
Pectore uel ſi quis ſpirans non ſentiat auram:
Siue oculorum agitans ſi quis non ſentiat orbes.
Iamq; ego mox agilis partúq; animoſa recenti
Congeſtis folijs modico præſepibus illum
Tegmine uelatum, à patria quod præſcia mecum
Attuleram, ſi forte dies contingeret ultro
Lucinæ, capiti ſubmiſſa cote locaui.
Haud mora, tendo manus ſupplex cũ coniuge caſto.
Atque meum ſummique genus genitoris adoro.
Ecce fidem ſupra, ſæcli res maxima noſtri:
Obſtupet intentis oculis bos pronus, & unà
Tardum aſinus pecus: ambo obliti pabula læta

Incuruant genua, & regem uenerantur olympi,
Congeſtis puerum ſtipulis ante ora iacentem
Mirati, monſtrantq́; nouo ſua gaudia geſtu.
Hic uero uarijs rurſum nouus æthere in alto
Exoritur numeris cantus, chorus emicat ingens
Cœleſtum ſuprà, ac domino famulantur ouantes:
Vſq; canunt, ſummoq́; ſatum genitore ſalutant
Dura inter ſaxa, & pecora inter muta iacentem,
Sedibus anguſtis & curuæ rupis in antro,
Venturiq́; nouo ſæcli lætantur honore.
Lapſa iterum ingeminat cœli de uertice flamma
Ingens, quæ cum ſidereo diuûm comitatu.
Finibus agrorum, ſyluisq́; & ſaltibus ardet.
Quà clauſum inſomnes ſeruabant agmine magno
Nocte gregem, arcebantq; lupos nocturnáq; furta
Paſtores, qui multa ferunt incommoda nocte.
Olli omnes ſtupuere, nouámq; per æthera lucem
Diffuſam timuere, nouæq́; incendia flammæ
Suſpiciunt trepidi, rurſum iubar emicat ingens
De cœlo, & liquidas uox eſt demiſſa per auras.
O uos felices, cœlo dilecta iuuentus,
Paſtores, Deus ante omnes ſua munera uobis
Scirē iubet, magnúmq; ſui decus incrementi
Progeniemq; ſuam: iacet in præſepibus infans,
Cuſtodiſq; uiri, & diuæ genitricis in ulnis,
Rupe ſub incurua, pecora inter agreſtia natus.
Omnia quà Tethys terram circumfluit omnem

Aſſe-

Aſſeret, infernísq; iugum ceruicibus addet.
Ergo agite, & ueſtrum et ueſtri dominum gregis unà
Agreſtúmq; Deum, & regum uenerabile numen
Quærite, cui ſanctásq; preces & uota feretis.
Hunc ſeruate diem, gaudet quo regia cœli,
Quo pacem æternam, et magnos capit orbis honores,
Gauiſi hoc monitu decus ingens lucis, & alto
Paſtores miſſam mirantur ab æthere uocem:
Prole noua quærunt, quantos ferat orbis honores,
Qua ſub rupe, quibus iaceat præſepibus infans.
Horum in conſpectu cœli globus igneus agris
Peruolitat, ſignátq; uiam, quæ ducit in antrum,
Mox ſedet elucens magis alto in culmine ſaxi.
Quale micat lapſum noctis dum fulgur in umbris,
Militis aut pilis, aut cornibus antennarum
Inſidet, & medio perterret in æquore nautas.
Haud mora, collecti numero ſimul ocyus omnes
Accelerant, quò flamma uocat: lauróq; uirenti,
Palmáq;, & lætæ ramis ornantur oliuæ.
Peruentum anguſti deſerta ad limina tecti,
Natum introgreſſi & lætam ut uidere parentem,
Genua ſolo incuruant, & ſanctum numen adorant
In ſtipulis puerum pecora inter muta iacentem:
Munera dant nato, hic mella, hic puriſſima farra,
Agnum alius niueum. perfectis gaudia uotis
Ingeminant, repetuntq; gregem, latèq; per agros
Rem magnam ſocijs referunt: ſtupet inclyta Gaza,

Aſphal-

Aſphalteſq; lacus ſtupet, & gens omnis Ioppes,
Miratúrq; Sion, perfunditur omnia fama.
Iamq; aderat bis quarta dies, qua fœdere facto
Membri in glande cutem ſaxo genitalis acuto
Rex hominum diuumq; pater præcidere quondam
Nachoridem patrem, & paruæ dare nomina proli
Iuſſit: & hunc caſtos morem ſeruare nepotes,
Donec tempus erit, uetiti quo crimina morſus
Expiet, humanúmq; nephas miſſa æthere proles
Et ueterem in melius ritum permutet auorum,
Impiáq; euertat gentis ſimulachra prophanæ.
Ergo meum cœliq; genus de more cruorem
Reſpergit, ſceleris iam prima piacula noſtri:
Et firmat cœlo antè ſalubre datum ſibi nomen.
Tres Arabum in terris auroræ in partibus olim
Regna & opes habuere Magi, non parua ſuorum
Gloria, Ballamiq; genus de ſanguine uatis,
Tres pietate pares, multa inſignes animi ui,
Multa acie mentis, multis quoq; non leue ſanctis
Artibus ingenium exculti: tribus una ſenectus
Prima oritur, ſed paulo alijs Appellius æuo
Maior erat, par forti Amero Damaſius annis:
Idem rex hominum, & ſignorum maximus idem
Interpres, fama Aethiopum notiſſimus oris.
Vna tribus ſtudia & primis amor unus ab annis.
Aſtabant fortaſſe iugis tres montis in altis.
Et uarios cœli motus de uertice ſummo

Erran-

Errantes ſeptem & fixos ter quatuor ignes
Spectabant, cœlique uiam, qua labilis annus
Voluitur, & magnus quæ ſydera digerat orbis.
Ecce ſub ora uirûm per ſudum, quà nitidus ſol
Orbem aperit, puris oritur fulgoribus aſtrum:
Aetheráque incendit radijs: eurique mouetur
Ad medium de parte diem, & per inania iuxta
Præcedit: nutúque uias oſtendit aperto
Diuinam ad prolem, Solymæq́; ad mœnia gentis.
Mirati aſpiciunt, quod fulget in æthere ſydus,
Ingens portentum: primus, cui numine magno
Mens calet, effatur tali Damaſius ore:
Quærimur ô ſocij, ecce uocant nos talia ſigna:
Cernite, non eſt hæc, ſummo quæ fixa feratur
Stella polo, non bella minans aquilone cometes
Horridus, & triſti ducens cum lumine crinem.
Hoc iubar agnoſco ſanctum, quod fulget eois
Sedibus, & placido pacem denunciat igne,
Secum numen habens euriq́; mouetur aperta
Ad medium de parte diem: Iudæaq́; longe
Regna petit, reſidet modicis ubi maxima tectis
Cœleſti genita humanoq́; à ſemine proles.
Magne pater duc, ſi qua uia eſt, prolemq́; beatam,
Felicemq́; oſtende locum: tres ibimus unà,
Quò pater ire iubes: nato tria digna feremus
Dona tuo læti, & meritum ſoluemus honorem.
Huc ades, ignaroſq́; tua nos dirige flamma.

Hæc effatus erat, dum ſpe capiuntur ouantes,
Et comitum numero ſtipati ſubijciunt ſe
Veloces in equos: celerant, quà lucida monſtrat
Stella uiam, totósq; dies noctésq; relucet.
Iuſſa uelut uotis famulatur, feſſa quieti
Membra dare, & dapibus refici potúq; uolentes
Expectat, gradiénsq; iterum præcedit euntes.
Poſtquam urbem ad Solymam ſæuiq; ad mœnia regis
Peruentum, ſeſe (non dico incerta) repente
Pollutóq; loco gentíq; inimica recondit.
Eripitúrq; oculis reditura, nouámq; datura
Lætitiam, ſed tunc animos amiſſa fatigat.
Olli urbem triſtes inueniunt, natúmq; repoſcunt,
Monſtratumq́; nouo Solymorum ſydere regem,
Progreßiq; uias implent rumoribus omnes:
Turbantur Solymi, furijs rex impius ardet
Regno opibusq́; timens, ſibi pandi oracula poſcit,
Infantisq́; locum natalem & mœnia diſcit.
Affaturq́; Magos, ſanctámq; exquirere prolem,
Et petere Ephratam hortatur, rurſumq́; reuerti
Ad ſeſe, fictaq́; nephas pietate uolutat.
Munera ſe ſimulans dignosq́; immanis honores
Laturum infanti, parat atro funera luctu.
Illi iter expediunt ſceleris gens neſcia tanti,
Egreſſiq́; migrant portis, iamq; urbe relicta
Ibant, ignotaq́; uiam regione tenebant.
Dux in conſpectu radios dum ſtella priores

Ore gerit roſeo, cœliq; per alta refulget.
Tum uero intentis animis lætantur, & alte
Suſpiciunt, clarumq́; iubar clamore ſalutant.
Exactis ſpectare duas uelut imbribus arctos,
Seruatumq; polum medio iuuat æquore nautas,
Illa nouo liquidum ſubuecta per æthera motu
Præcedit, modici ſupra faſtigia tecti
Conſiſtit, nutuq; domum demonſtrat, & auras
Munere perfecto in tenues delapſa recedit,
In uentos late diffuſo quatuor igne.
Protinus huc ſubeunt parua intra limina læti,
Anguſtosq́; lares, charam ut uidere parentem
Submiſſi genitumq́; Deo ſub paupere tecto.
Talibus aſſurgens dictis Appellius infit,
Magne puer generate Deo, de ſemine proles
Mortali, noſtro optatum quem cernimus orbi
Affore, quem diui, & ſancti cecinere parentes:
Salue magne puer, cuius iam numine terra
Impletur, ſcelerisq; lues purgatur auiti.
Cui populi, extremæq; ferent noua munera gentes.
Liquimus impulſi patriam, ſanctóq; uocati
Adſumus igne tuo, & uotis tua iuſſa ſequuti,
His te muneribus primi, quibus inclyta tellus
Aethiopũ, quibus & Perſæ, & quibus omnis abũdat
Gens Panchæa, tribus dignabimur: accipe Myrrham,
Accipe Thura puer, purúmq; quod additur Aurum.
Sic fatus, cuncti procedunt ordine palmas

Tenden-

Tendentes, ſummiq́; genus genitoris adorant,
Accumulantq́; tribus donis: iam ritè ſolutis
Vnà abeunt uotis, & ſæuæ mœnia gentis
Cœleſti monitu, & uerſantem funera regem
Effugiunt, patriamq́; remota per æquora quærunt.
Iamq; quaterdecima à partu proceſſerat orto
Sole dies, dici potuit quæ luſtrica quondam,
Ad templum dum me patrio de more recepi
Natum aris ſtatuens gemina cum prole columbæ:
Tum ſenior uates, diuis quo charior, & quo
(Vt dicam) melior cunctis in gentibus alter
Non fuit, inſtabat Simeon, Parcæq́; ſuprema
Tempora tranſgreſſus fatali annoſior æuo,
Seruatúsq; deo, tales cui fuderat imo
Corde preces, cuperet cœli dum cernere prolem
Ante obitum in terris: Tu quem ueneramur ad aras,
Laturum generi lapſo, quem credimus olim
Auxilia, hoc tanto da munere rector olympi
Lætari, atq; animi uotum ſuccedere noſtri:
Spem ualeam ut noſtræ pretiumq́; uidere ſalutis
Cœleſtem ſobolem, ſanctiq́; exordia ſæcli
Ante obitum in terris. ſola hæc mihi gaudia uiuo
Sufficient, tolletq́; meæ ſpes tædia uitæ.
Si pater annueris, ſi mentem numine firmes
Motam ardore tuo, uincar non caſibus ullis
Expectans, reddamq́; animam tibi lætus, & omnes
Læticia implebo patres delapſus ad umbras.

Has Pater ipſe preces ſummi rex magnus olympi
Accepit, uotumq́; animi ſuccedere, & illum
Parcæ ultra fatiq́; dies ſupereſſe ſupremos,
Lætariq́; dedit, prolemq́; uidere beatam.
Ergo optata dies aderat, dum uenimus altum
Cum puero ad templum, cuius ſua corda ſacerdos
Affuit afflatu impulſus, nec gaudia paſſus
Differri: puerum cupide eſt amplexus, & ultro
Os reſerat, ueroq́; canens hæc pectore promit.
O decus, afflictiq́; ſalus tutiſſima mundi,
O uoti ſpes ſumma mei, mea ſola uoluptas,
Expectate puer, ſummo ſata patre propago,
Caſum hominum miſerans cœli de ſede ſuprema
Tot reuoluta uenis poſt ſecula, totq́; uolentem
Impulit in uarios noſtri te cura labores.
O mihi te terris iam noſtra uidere piantem
Crimina quàm pulchrum, et luſtrantem lumine mun-
dum,
Promiſſoq́; frui, lucis non cernet honorem
Capta animo, ſcelerumq́; lue peritura ſuorum
Impia gens, ſpernetq́; ſuam male ſana ſalutem.
Quam neq; fas morumq́; decus, quam nulla mouebunt
Prodigia in melius, neq; ſupra hominem ardua facta.
Heu tibi quàm diras odijs parat excita cædes
Indignamq́; necem, nulla ſatiabitur ira.
Tu genitrix, tu teſtis eris. quàm triſtis ab imo
Corde dabis gemitus, quantos patiere dolores:

Tecum ſuſpirans grauiter, dum dura tuorum
Corda, nouúmq; nephas, multo dum uulnere cernes
Funeſtæ cæſum crucis alto in ſtipite corpus,
Atque illudentis turbæ conuicia circum.
Sentiet ipſa tremens tellus, uultúmq; tegens ſol,
Et ſuperi, ſignumq́; dabunt miſerabile manes.
Contrà lux aderit, qua iam lætabere, dum te
Rurſum ſumpta anima primam poſt fata reuiſet
Infernæ gentis reuocans de carcere uictor
Captiuas animas in regnum natus olympi.
Semper erunt propria hæc tibi gaudia, ubiq; uocatum
In cultus genus omne pios uertetur, & aris
Chriſto ipſi atq; tibi ſanctum perſoluet honorem.
Iamq; uale puer, eſt mihi te requies data uiſo:
Diua uale genitrix, decedo lætus, & ipſis
Gaudia laturus patribus delabor ad umbras.
His dictis ſtupuere animi, & gauiſa piorum
Corda magis. Vates referens longæua canebat
Rem magis Anna nouam ante alias iuſtiſſima matres
Multo afflata Deo: fatali annoſior æuo
Munus ad hoc ſanctum famam ſeruata ferebat
Omnibus illa locis, promiſſam inſtare ſalutem,
Cœleſti natum humanóque à ſemine regem,
Numine cum ualido, totus cui ſeruiat orbis.
Per populos rumor uarijs diffuſus in oris
Conſurgit, regiſq; uolat delatus ad aures
Herodis, uarioſq; mouet diſcrimine motus,

Acri

Acri odio ingentiq; animum formidine turbat.
Aeſtuat hic furijs amens, accenditur ira,
Regno opibusq; timens, ſecumq; infanda uolutat:
Effera ceu ſicco catulis in littore tigris
Perfurit amiſſis, medium dum raptor in æquor
Accelerat, rabiemq; feræ deludit hiantis
Humida iam noctis terras uelauerat umbra
Infuſo ducens optata ſilentia ſummo,
Nuncius ex ſuperis dum multa exterruit unus
Luce uirum, primæq; datum ſic uoce quieti
Admonuit. Nati cuſtos diuæq; parentis
Surge age, non tutam caſus ſinit eſſe quietem
Atram inter gentem: furijs rex æſtuat amens
Herodes, pueroq; necem molitur acerbam:
Infremit ex humili in regnum ſublatus, & arcem
Vi tenet: inuiſusq; ſuis timet omnia, & omnes
Suſpectos habet, atq; nephas ſæuiſſimus audet.
Non ſocijs, non germanis, natisq; pepercit,
Dilectisq; tori conſortibus: horret acerbis
Cædibus atra domus, fœdiq; cruore penates.
Sæcula, quod tantum parat, execrata fuiſſent
Priſca nephas, tantum non horruit ærea tauri
Machina Trinacrij, non tam crudelibus aris
Buſiris, non Biſtonij præſepia regis.
Illuſusq; Magis, & fama exterritus, omnes
Iam bimos late, atq; omnes, quibus eſt minor ætas,
Auferet infantes, ut tanta in ſtrage trucidet

Cœleſtem puerum. miſeri, dum quæritur unus,
Omnes perdentur: clementia nulla tyranno eſt.
Sæuiet Ephratæ paruam diffuſa per urbem
Tempeſtas, etiam per proxima turbine multo
Oppida, finitimumq́; ſolum: iam compita latè
Omnia, & innocuo tingentur ſanguine tecta.
Inſtant uagitus triſtes ſæuiq́; dolores.
Quos gemitus, & quos mœſtæ matres ululatus,
Quasue dabunt lachrymas, dum duro à milite natos
Corripier, duróque premi dum uulnere cernent?
Et cadet hac rabie cæſis in milibus unus
Natorum Herodis, res triſtibus impia ſcenis.
Heu fuge, teq́; neci, & ſancta cum prole parentem
Eripe, per cæcam tuti diſcedite noctem:
Accelerate uiam, ne quis uos ſpectet euntes.
Externasq́; procul tandem uenietis ad urbes,
Aegyptiq́; domos, & culta à patribus arua,
Quæ rigat effuſus ſepteno flumine Nilus.
Illic tuta quies uobis, tutiq́; penates.
Ire illuc iubet, incolumes uos hoſte perempto
Maximus in patriam genitor poſt longa reducet
Exilia. Hæc fatus caſti ſe coniugis aufert
Aſpectu, & noctis fugiens inuoluitur umbris.
Olli abrupta quies, feſſóque ex corpore ſomnus
Pellitur, exurgit: ſtratum (eſt mora nulla) relinquit
Attonitus, ſummiq́; refert mihi iuſſa parentis.
His externa agimur monitis exquirere regna,

Fruſtrariq́;

Fruſtrariq́; fuga rabiem trucis una fuit mens
Diram animi nobis, & acerba euadere tela.
Ad pectus complexa premo, circumq́; reducta
Natum ueſte tegens: rerumq́; exterritus aufert
Faſcem inopum coniunx, tacitisq́; excedimus umbris.
Per ſaltus trepidi gradimur, perq́; auia luſtra
Noctem illam, & duræ ferimur trans limina terræ.
Sole ſub exorto tandem uicina ſubimus
Arua Palæſtinæ, metuendaq́; mœnia gentis
Effugimus, quibus arte ſua uir cognitus eſſet.
Inde dies multos, multasq́; per aſpera noctes
Deſerta & ſyluas Arabum feſſi ſine tecto
Imus, & incultæ per multa pericula terræ:
Seruatosq́; Deo, quem diri à cædibus hoſtis
Extulimus, longo Pharos excipit inſula ponte.
Tum nouus antiqua Libycæ de ſtirpe Sibyllæ
Surrexit uates, ſanctiq́; genus Trimegiſti
Eſſe ferebatur: fuit illi in pectore numen,
Quo ſolitus quondam afflari ter maximus Hermes.
Ille Parethoniæ populum lætiſſimus urbis,
Pellæasq́; domos & mœnia luſtrat Acanti,
Aduentumq́; Dei denunciat: Huc puer, inquit
Patre ſatus ſummo Iſaaci de ſemine Nilum
Quæſiuit, noſtrisq́; latet non cognitus oris:
Cui genus humanum, cui totus ſeruiet orbis,
Quem metuunt manes, cuius iam numine terr
Impletur, ſceleriſq́; lues purgatur auiti.

Conatur, furijs animum ſuccenditur ille,
Cæde domum dira maculans, natúmq; trucidat
Morte ſub urgenti: clauſósq; extinguere mandat
Iudæos proceres, communi funus ut atrum
Luctu habeat, lachrymásq; extrēo ut quærat honori:
Expirátq; furens, de pectore pellitur atro
Atra anima ultrices Erebi deiecta ſub umbras:
Succedit Solymæ parti patre peior acerbo
Filius, Arpinis qui uitam mœnibus exul
Exegit longos ducens ſine nomine luctus.
Linquimus Aegyptum, externísq; excedimus oris.
Poſt duros uentum eſt Iudææ ad limina caſus,
Ephratæq; domos, Solymæq; pericula terræ,
Rectoremq; ferum fugimus gentémq; cruentam.
Ocyus hinc patriæ progreſſi appellimur urbi,
Nazareúmq; larem, cognatæq; agmina gentis
Agnoſco, ingentiq; locus natalis amore
Incendit modici ſubeuntem limina tecti.
Hic nobis inter notos, hic tempore certo
Tuta quies tandem, atq; in paruis otia rebus.
Præterea cedit rurſum dum cultus ad aras
Sollennis, ſanctóq; dies ſeruatur honore,
Gens Solyma accelerans toſto qua ueſcitur agno,
Arces ad Solymas ſocio ſimul agmine gentis
Agnatæ de more feror cum coniuge caſto:
Incedit biſſena puer cui ducitur ætas,
Nobiſcum, ingentes gemitus & multa uiciſſim

Gaudia laturus: uotis iam læta ſolutis
Me rurſum in patriam ſocia cum gente ferebam,
Dum comitum turbam occultus charoſq; parentes
Deſerit, ex oculiſq; ſuo ſe numine tollit
Filius. interea cum matribus anxia carpo
Luce uiam tota, noto ſimul ire uirorum
Illum cum numero credens, turbamq; ſequutum,
Seq; pio iunxiſſe patri, chariſq; propinquis.
Tempore non alio mihi tantum aliena fuit mens:
Solus amor meus ille, meæ ſpes unica uitæ
Abfuit exorto dum ueſpere tecta ſubimus
Hoſpita, feſſus ubi optatam cum prole parentem
Expectat pater, heu puero doliturus adempto.
Quos animo luctus, quos illo abſente dolores
Cœpi? quàm largas oculis lachrymas effudi?
Noctem illam in tenebris mecum ſine mente querebar
In ſomnis, caſuq; nouo turbata gemebam.
Qualis ouis fœtu amiſſo balatibus implet
Rura nemuſq; gemens, & notum ſæpe recurrit
Ad ſtabulum, totoq; gregem perluſtrat ouili.
Illam non liquido quæ uallem interfluit unda
Flumine, nulla nouo canentia rore morantur
Gramina, non ramis denſæ frondentibus umbræ.
Arces ad Solymas Cyprij ſub luminis ortus
Mœrenti ante diem triſtis cum coniuge rurſum
Me refero, heſternamq; uiam progreſſa recurro:
Huc ubi peruentum, duro iam nulla labori,

Nulla quies curis, gemitu per compita multo
Perq́; domos notas, & per diuerſa locorum
Sæpe regreſſa uagor, mentemq́; agitata fatigo.
Tres ſine fine dies, totidem ſine pignore noctes
Conqueror inſomnis, mœſtisq́; ita uocibus inſto.
Dulce meæ ſolamen ubi et gratiſſima nate
Nate iaces animæ requies? quis matre relicta
Te tenet occultum locus? aut quæ dura fatigat
Fortuna? heu uereor ſæuos inſtare dolores
Funeſtosq́; dies, ſancti quos numine uates,
Quos Simeon cecinit, mecum quos mente uoluto:
Vllane, ſi qua fuit, te chare incuria matris
Offendit? generisue nefas exoſus iniqui
Me ſine liquiſti terram, cœlumq́; petiſti?
Tot duros caſus tecum, tot læta labores
Exegi: dedit illa tui nox gaudia partus
Muta inter pecora immitis per frigora brumæ
Rupe ſub incurua: monitiq́; furentia tela
Fugimus, infeſtumq́; fuga deluſimus hoſtem:
Tecum Arabum per longa uiam deſerta peregi,
Nullam tulit Nili exilium mihi tædia tecum.
Forti animo uoluens incerta pericula mecum
Duxiſti externis uitam tutiſſimus oris:
Te nunc in patria notæq́; in mœnibus urbis
Amiſi infelix cognatæ ex agmine gentis
Sublatum. Quantis me ſolam ô nate relinquis
Sollicitam curis? quid agam? te triſtis adempto

Non ſupereſſe queo. Gemitu ſic triſtia multo
Corda fatigabam ſanctum dum numine dextro
Templum impulſa peto: huc uitæ lux maxima noſtræ
Se tulerat natus cœleſti inſignis honore,
Grande ſuæ cupiens mentis depromere lumen.
Nanq; puer cœli ſpecie ſpectatus amœna
Patrum in concilio ſacra intra tecta ſedebat
Conuentu in medio ante aras, nunc ardua coràm
Multa rogans, nunc multa docens incognita terris:
Figebátq; animos dictis. Ceu nubila quando
Exoriens iaculis penetrat ſol lucis acutis,
Diſcutit & radijs umbras, noctisq́; ſoporem.
Hærebat mentem attonitus ſpectator, & ipſa
Turba ſacerdotum, ſtupefactaq́; curia patrum.
Nos ubi per medium ingreſſos delubra coronam
Spectantum, medióque in limine uidit euntes,
Surgit, & in multo primam petit agmine matrem,
Vltro progrediens. lachrymis mihi quanta ſubortis
Gaudia dat, redditq; animum mentemq́; receptus?
Illum ego ſic, Poſt tot lachrymas luctumq́; tuorum
Es tandem inuentus. quæ non diuerſa locorum,
Quæ non cum gemitu luſtraui compita, quas non
Mœſta domos, te chare diu mi nate requirens?
Quin potius (ſolitum ut ſemper tibi) certus abibas
Matre ſalutata, poteram uitare dolores
Tam duros. Quoties animum percuſſa timore
Tranſactos memini caſus, metuiq́; futuros,

Vimq́; odij ueterem, & ſæuæ tela impia gentis?
Ipſam te noui ô genitrix, ait ille, dolentem,
Luſtrantemq́; uias, urbisq́; frequentia tecta.
Si patris ipſa mei, rerum cui ſumma poteſtas,
Sancta prius petijſſes limina, non tibi luctus
Cauſa fores, nec tot lachrymas gemitusq́; dediſſes:
Hæc mihi chara domus, chari (mihi crede) receſſus,
Eſſe licebat ubi, & uires aperire paternas.
In me odij, (haud metuas) uis nulla poteſt: niſi tẽpus
Eſſe ſinã, quo ſponte ferar. ſic pauca loquutus
Procedit, patriámq; uolens ac tecta parentum
Nobiſcum repetit, dignam quam numine ſedem
Fingit, præclaróq; habitans inſignit auitos
Tantus honore focos: aliud nihil hactenus egit
Supra hominem, ex illo mecum ſine nomine uixit:
Huic Deus eſt pater, & mater de ſanguine regum:
Ire licet geſtis potuit ſuper omnia rebus,
Atq; opibus fluere, & cunctos ſibi ſubdere reges,
Incedens cum ſydereo diuûm comitatu:
Verum non regni motus, non gentis honore,
Non ſtudio famam quærendi impulſus inani,
Spretor opum, anguſtum multos incognitus annos
Incoluit tectum, & uitam tolerauit egentem
Noſtra iuuans opera, aduerſis patiens uoluit ſe
Subdere. Sic genitrix nati genus alma paternum,
Diuinumq́; decus docuit, primosq́; labores.
Olli plura animis omnes cupientibus hærent

Attoni-

Attoniti,matriſq́; nouo ſermone morantur,
Et nati mirantur opus:menſiſq́; relictis
Continuo ſua tecta petunt,magnamq́; reuerſi
Rem cunctis referunt,& claris laudibus ornant.

Finis primi libri.

LIBER SECVNDVS.

MVltis primi operis fama iam cognitus oris,
Iam uatis digito, iam ſummi uoce parentis
Orbi monſtratus felicis conditor æui,
Lucis ubiq; ſuæ decus ingens,& ſua miris
Numina per populos,Galilæa per oppida ſignis
Oſtendit,uitæq́; docet uenientis honorem.
Pallanteſq́; in tutum animos uigilantior omni
Vpilione uocat, ſyluis qui nocte flagrantem
Fert tædam,notoq́; gregem clamore requirit
Errantem,tuti reuocans ad limina tecti,
Collectumq́; fouet. Cultus redit annuus aris
Interea,rituq́; dies ſeruata parentum,
Gens Solyma accelerans toſto qua ueſcitur agno.
Vrbem ergo ad Solymam terris arcemq́; ſacratam
Itur ab externis,numero ſimul undiq; uulgus
Affluit ingenti:pueri cunctæq́; puellæ

Matribus, annoſisq́; uiri ſenibus commixti
Conueniunt: graditurq́; ſuis comitantibus ipſe
Purgator ſcelerum Chriſtus, natumq́; ſequuta
Ingens orbis honor cœlo gratiſſima mater.
Intus erat templo ſtructis latiſſima iuxta
Atria porticibus multum ſeruatus auita
Relligione locus. puris huc plurima læti
Orantes populi cum uotis dona ferebant,
Hic ſacer interpres legem, uatumq́; docebat
Sancta pius monita, & patrum monumenta piorum.
Verum ubi mutata eſt hominum cum moribus ætas
In peius, lucriq́; incendit acerba cupido
Corda ſacerdotum, infelixq́; fouens fragili ſpe
Obruit ambitio, templi ſpernuntur honores.
Atque loco in ſancto, ſacræ intra limina ſedis
Fit rerum commune forum: templumq́; prophano
Fœnore miſcetur, quæſtum ut uenalibus ipſi
Mercibus, & pretio excipiant ut dona miniſtri
Sacrorum. hic multæ uolucres, hic plurima læta
Victima mille boues candenti cum grege multo
Lanigeri pecoris, commixta animalia cœtu.
Parte graues alia loculi æra ingentia menſis,
Ponderaq́; argenti lucroq́; doloq́; parata:
Sacratam ad ſedem ruit ingens undiq; turba:
Ceu uiridem penetrant hirci de ſaltibus hortum
Immundiq́; ſues, ſepem ſoluente ſubulco,
Fortibus intextam uallis circum. huc ubi Chriſtus

Affuit

Affuit, & rerum uidit tot ſordibus arcem
Pollutam patris, tot ſacro in limine peſtes,
Multum indignatur: capit ardens aſpera ſeptem
Lora annexa ſimul, ſunt centum licia cuiq;
Intorta, immixtoq; metu dolor additus atro.
Dat uires etiam nato, dat lumina circum
Clara humeris capitiq; pater. Prope ouilia quales
Per noctem accenſos in ſyluis dum fouet ignes
Ruſticus, exoſi lucem formidine fures
Diffugiunt, abeuntq; feræ per deuia luſtra.
Ardet tale iubar capiti, multóq; timore
Circum humeros fuſum ultricem denunciat iram.
Ipſe igitur templum ingreditur, motusq; flagellum
Erigit, & dictis uulgus caſtigat auarum:
Impia mens ne adeò, miſeri, non creditis iſtis
Sordibus eſſe nephas ſacratæ limina ſedis
Fædari? Vos omni agitis ſcelere improba rerum
In templo pretia ante Deum, iam crimina ueſtra
Exigite. ite citi, hæc ſummo delecta parenti
Et domus, hic precibusq; locus uotísq; dicatus.
Olli continuo diuini fulgura uultus
Terrificámq; timent uocem, plagísq; parata
Verbera: ter pulſi trepidant, ter numine ſæuo
Confuſi, ſtrepituq; tremunt pecora omnia multo:
Ipſe per ingentem turbam horribilis ſe fulminis infert
More ruens Boreæ ceu qui ciet æquora turbo:
Præcipitat menſas, & longa ſedilia primum

Diffun-

Diffunditq́; ſolo, tabulasq́; & nomina miſcet:
Diſiecti loculi, diſiectaq́; gentis auaræ
Aera ſonant: ſacro iacet ingens limine gaza
Per terram late, lucroq́; dolíſq; parata.
Diffugiunt trepidi, tot contrà ex millibus audet
Nemo loqui: nemo offenſum tot ſordibus audet
Expectare Deum, ſacráq; in ſede morari.
Tot quoque dij ſtygij mortalibus addita uulgo
Agmina continuo dant terga, petúntq; malignos
Seceſſus, ueritíq; tremunt: Ceu mille colubri
Accipitrumq́; manus latebris Iouis alite uiſo
Conduntur, capita atra ſolo depreſſa reponunt.
Impius hos Erebi de limine miſerat Orcus
Limen ad æthereum & ſummi delubra parentis
Accinctos aſtu uario, ſtruerentq́; nouorum
Vt ſcelerum cauſas, traherentq; in crimina mentes.
Hoc ubi compreſſumq́; nephas, percuſſaq́; gentis
Corda metu Solymæ: & magnis exterruit omnium
Oſtentis animos felicis conditor æui,
Digreditur maiora parans: urbémq́; ſalutis
Deſerit ignaram, & furijs infanda frementem.
Illum mox comites uenturi ad ſydera fama
Tunc genti patriæ ignoti ſpretíq; ſequuntur,
Agmen opum ſecurum, operíq; accincta caterua
Relligioſa pio: dominum mirantur agentem
Ardua ſupra hominem, & ſeruant præcepta ſequuti.
Iamlongum permenſus iter Samaritida ſeſe

Trans

Trans terram recipit, Galilæaq́; rura reuiſit.
Mons ingens alto ſe uertice tollit ad auras,
Circum tota poteſt regio procul unde uideri,
Hic nemora & fontes lætæq́; in ſaltibus herbæ,
Seruatumq́; pecus late paſtoribus errat.
Hunc petit educens comites ad culmina ſecum
Biſſenos lucem ut tenebris, totiq́; ſalubres
Infundat mundo ſuperis de fontibus hauſtus.
Multa ſuos præcepta docet, quibus aurea quondam
Ventura in cunctas lætentur ſæcula gentes.
Huc fama aduentuq́; Dei ſimul excita longe
It regio, huc celerant quæ montibus oppida late
Proxima Gelbois: placidi ſe plurimus affert
Accola Iordanis, Betulaq; mœnia multi,
Beſſadamq́; Saphamq́; Capharnaiq́; relinquunt.
Tecta Deo dilecta, uiæ numero uenientum
Feruent ingenti, & ſummi iuga montis inundant.
Vos primi in terris comites, quos rector olympi
Delegit, totumq́; dedit percurrere mundum
Mortales olim, poſt funera triſtia facti
Dicite cœlicolæ, quàm ſæua pericula rerum,
Quos morbos pepulit cœleſtis dextra repente.
Pauca aperite mihi ex illis quæ plurima quondam
Vidiſtis, uitamq; Dei moresq́; ſequuti.
Vnus in aſcenſu primo ſecluſus ab omni
Conuentu aſtat homo ſupremum aſcendere montem
Non potis, aut miſceri alijs coeuntibus auſus:

Ille Dei miſerandus opem redeuntis ab altò
Expectat, papulis elephas cui turpibus ora
Fœdarat multo fuſus per uiſcera tabo:
Immiſſo uenis uitio penetrauerat ima
Oſſa illiſa lues, & ui uiduauerat artus:
Auxiliumq; malis medicæ non profuit artis,
Mortaliq; ſalus miſero non reddita cura:
Corruptus toto trahit ægro corpore uitam
Languidus, urgetur uicini in limine leti:
Ipſum ubi per lenes proſpexit in agmine calles
Ire Deo genitum, & pronò deſcendere cliuo,
Toto animo totis oculis intentus agit ſe,
Extenditq; manus, & ſupplex talia poſcit:
Chriſte Deo genite, & ſummo Deus àddite patri,
Purgator ſcelerum, miſerum me numine ſerua.
Orbi auferre nephas, cœleſtem inducere uitam
Veniſti cœli de uertice, totq; uolentem
Impulit in duros noſtri te cura labores.
Reſpicit hunc precibus motus, faciemq; precantis
Contingit dextra. Radij non ſolis opaco
Ocyus immiſſis tecto fugere tenebræ,
Quàm propulſa lues tangentis numine dextræ
Corpore de toto miſeri (mirabile dictu)
Amiſſi integris reuocantur uiribus artus.
Nunc age uade, ſalus (ait) eſt tibi reddita, lætus
Fer patrias de more tuum iam munus ad aras.
His tantum dictis inuiſit mœnia Chriſtus

Grata Capharnai, comitum quem lecta caterua,
Vndiq; quē ueniens ſequitur manus: & manus ingens
Expectat charæ redeuntem ad limina ſedis.
Ecce autem comitante manu de gente Latina
Vnus cum lachrymis perductus numine multo
Centurio, & chari morbo turbatus alumni
Occurrit, ſuprema animam qui morte trahebat.
Oſſa ſuo reſoluta loco & neruis labefacti
Artus membrorum, totum ſine uiribus ægrum
Corpus erat. ſtudium medicæ non profuit artis,
Mortaliq; ſalus miſero non reddita cura.
Ergo deum ſupplex uenientem affarier ille
Incipit, O magnarum opifex, precor, optime rerum,
Da puerum ad uitam reuocari à limine leti
Membrorum labefactum artus, nō uiribus ullis
Curandum humanis. tu ſemper ubiq; tua ui
Cuncta potes, totum complexus numine mundum:
Te liquidæ quondam mutatæ in Bacchica lymphæ
Dona iubente, tibi patefactum ad flumina cœlum
Iordanis: ſubitóq; ſalus morientibus alma
Reddita, quum triſtes iuſſiſti excedere morbos.
Ergo malum iuſſu (miſeret ſi ſupplicis) aufer.
Has animo dederat uoces, dum mira precantis
Nouit uerba fidemq; Deus, gentisq; beatæ
Sæcla canens animo turbam compellat ouantē.
Cernitis hæc cunctis quæ ſint exempla ſalutis
Præuia uenturæ, generis quæ ſint alieni

Primi-

Primitiæ ſanctæ: iam cœlo externa propago
Poſcitur, & ſummi regno ſuccedit olympi
Surgentis quæcunq; domos, quæcunq; cadentis
Solis habet, Cancriq́; calet quæcunq; ſub aſtro,
Riphæoq́; gelu & ſæuis Aquilonibus horret.
Tu uero externæ ô iuuenis noua gloria gentis,
Hæc tua felici lætus ſequor omine dicta.
Omnis conſurgens terris canet omnibus omni
Tempore relligio, referentq́; canentq́; nepotes
Teq́; fidemq; tuam inſignem, lætiq́; ſequentur.
Quæ genus ingratum Solymorum à ſanguine patrum
Arguet, atq; ſuæ pugnantia corda ſaluti
Iudæos, patria euerſa qui dira ſubibunt
Exilia, heu miſeri polluti ſanguine ſancto,
Cocytiq; domum, æternæ loca triſtia noctis.
Iam iubeo quod uis triſtem diſcedere morbum,
Et puero ſolidis firmari uiribus artus.
Sic ait, alma ſalus cœleſti reddita iuſſu eſt
Ocyus, & ſolidis firmantur uiribus artus,
Oſſaq́; conſtrictis ſeſe retinentia neruis.
Tum nouus hinc tanti fuſis rumoribus exit
Facti author, populosq́; petit finesq́; propinquos,
Agmine ſtipatus uenientum. Iamq; Naymæ
Mœnibus urbis ouans notæ portisq́; ſubibat,
Quum pueri ad portas mœſtum extra mœnia funus
Occurrit, leto fuerat qui raptus acerbo
Ante diem impubis, uiduæ ſpes ſola parentis.

Confluit, & luctu pompam comitatur inani
Turba ingens, longo fulgentibus ordine tædis.
It pullis genitrix in ueſtibus, & rigat ora,
Profuſisq; genas lachrymis: percuſſaq; miſcet
Corda dolore, uiam triſti complens ululatu:
Tu ſpes longæuæ matris, tu ſola propago,
Nate iaces, miſeræq; domus tantùm unicus hæres,
Seruari unde genus noſtrum, factisq; parari
Fama ingens poterat florentibus: omnia nobis
Vna dies extrema tulit, curasq; reliquit.
Felix, ſi tecum ferri me funere eodem,
Aut longè phas antè mori condiq; fuiſſet.
Hos ego non luctus paterer, pompamq; ſuperſtes
Ingratam ſequerer, tanto turbata dolore.
Hanc mihi Mors animam, ſi qua moueare precando,
Tolle cita, atq; huius me ſedibus erue uitæ,
Cui nequit hic nato finiri fletus adempto.
Hanc ſummi breuiter genitoris filius ægram
Maternæ motus ſolatur imagine curæ,
Continuò, tantis (inquit) iam parce querelis:
Ne dubita, tu mox lætabere, ſpemq; uidebis
Læta tuam genitrix. Funus ſic pauca loquutus
Imperat exanimum, & lugentum ſiſtere turbam:
Tum dextrã pheretro extendens iam proximus infit,
Tu puer accelera ſtygijs ereptus ab umbris,
Lumen ad æthereum, iubeo, uitamq; reſurgens
Accipe. Qua ſubito tellus tremit excita uoce,
Infernæq;

Infernæq; tremunt ſedes, horrentq; repente
Turbati manes: anima ex Acheronte profundo
Exit, & inſinuat gelidis ſe reddita membris.
Extemplo ecce puer capulo ſe uiuus aperto
Extollit, tenditq; manus cum uocibus ambas:
Inceditq; celer, grates uitæq; datori
Pronus agit, charæ oblatus dat gaudia matri.
Rerum omnes nouitate pauent, factumq; uolutant
Attonitis inſuetum animis. Iam deniq; ab alto
Numen adeſt, noſtroq; ſalus iam panditur orbi
Promiſſa. idem ingens crebreſcit in agmine clamor.
Illum iterum comitum aſpectans ſtupet omnis euntem
Effantemq; manus, ſic uni proximus alter
Fatur, ſic alijs alij. Quàm magna poteſtas,
Quàm nouus in terris opifex? quibus ardua iuſſis
Facta poteſt? Deus iſte, Deus qui talia fecit.
Ingeminant poſita ferali gaudia pompa,
Lugentumq; ſilent extinctis agmina tædis,
Funebresq; tubæ. genitrix lætiſſima natum
Excipit amplexa, atq; Deum uenerata recedit
Vrbem intra, notosq; petit cum prole penates.
Inde urbes uarias, uarios notiſſimus agros,
Agmen agens comitum iam numine Chriſtus aperto
Perluſtrat, iuxtaq; lacus, magniq; fluenta
Iordanis. populi uarijs huc urbibus illum
Viſuri, Solymiq; patres, mixtiq; Trachones
Conueniunt, terræq; genus Samaritidis omne,

Atq; Arabes, Syriiq; & Sidonij numeroſi.
Remigijs pelagus patet aptum in finibus illis,
Littoribusq; frequens cultis, quod flumine ſancto
Procreat, æternisq; fouet pater inclytus undis
Iordanis, rurſumq; excedit ab æquore maior.
Huc rerum ingenti rector ſe maximus affert
Vndiq; cum numero uenientum, ipſoq; ſuorum
Conuentu, portusq; ſubit delatus in altos.
Excipit ille ſuos ſecum, turbamq; relinquit
Littore, conſcenditq; ratem, trans æquor iturus,
Deuehiturq; freto: multæ quoq; fluctibus altis
Forte aliæ iuxta naues, paſſimq; feruntur:
Ipſe locum uacua in puppi, feſſusq; quietem
Accipit, aſſiſtit uigilans uis prouida iuxta.
Et iam ſtelliferum feſſis ſol pronus abibat
Cœlum emenſus equis, montesq; tegentibus umbris
Condere candentem uultum lucemq; parabat:
Atræ hyemes ſubito (ſinit hæc Deus omnia quando,
Magna parans) uentiq; fremunt, & nubibus auras
Inuoluunt, magnoq; fretum certamine miſcent,
Infeſti. Cauriq; rates, Euriq; per undas
Diſpergit turbo, & ſæuis ruit imbribus Auſter,
Cum tonitru horrifico fractæ dant fulgura nubes,
Turbati cumulos uerrunt maris impete magno,
Vſq; agitant totum ſedes penetrantq; ſub imas:
Irruit ingenti Boreas uada gurgite in imo
Murmure permiſcens, hic monti tollitur unda

Aemula,feruentiq́; cadens impellitur æſtu
In nauem,rerum ductor qua maximus ibat,
Accipiens ſomnum feſſus:latet obruta uaſtis
Fluctibus illa mari magno,atq; inuoluitur undis,
Impleturq́; ſuper,uigilans uis prouida puppim
Suſtentat cuſtos pereuntem,arcetq́; periclis.
Deficiunt animi comitum diſcrimine tanto,
Turbati metu,dominum clamore fatigant.
Nunc age nunc uigila,& præſens pereuntibus ipſe
Chriſte tuis ſuccurre,Notos compeſce furentes,
Turbatumq́; fretum,ſi quid potes æquore tantum.
Arguit hos letum ueritos,Quis,me duce, turbat
Vos nouus iſte timor?noſtræ quos fidere dextræ
Vis docuit,nouitasq́; operum ſpectanda meorum.
Aethera ſic fatus,turbatumq; aſpicit æquor
Regnator,dictóq; potens ſic comprimit Auſtros:
Parcite iam uenti(iubeo)diſcedite nimbi:
Do cœlo & pelago pacem. Quibus omnia iuſſis
Compreſſa,ac ſubitò ſine ui,ſine murmure uenti
Compreſſi,& tumidi ſæuus cadit æquoris omnis
Impetus,& pulſis clareſcit nubibus æther.
Tum uerò ſtupefacti animi,ſtupor incidit ingens
Corda mouens:ſeruati implent clamoribus auras,
Eſt Deus iſte Deus,qui iuſſu comprimit Auſtros
Iratos,tanto qui mitigat æquora nutu.
His ſubito attonitus rebus pater æquoris huius
Hæret Iordanis,ſummisq́; incedit in undis,

Factum non paruum aſpectans, & iuſſa uolutat
Ardua. dij centum comites ex omnibus undis
Collecti, centumq́; deæ coguntur in unum
Motæ animum natis. Tanti non inſcia facti
Callirhoe, ingenti choro comitata ſororum
Cymodoce, famulasq́; uocat progreſſa Lygea:
Ipſe tegens humeros circùm uelamine glauco,
Immotis ſtat aquis, ſedataq́; ætheris aura.
Vnde mari cœloq́; quies, ait, unde poteſtas?
Cui uenti, & ſæuæ norunt parere procellæ?
Hoc tantum potuit nemo, nec uidimus unquam:
Hoc nunc ipſius, qui dirigit omnia, factum eſt.
Ipſius hæ uires, hominem Deus induit ipſe,
Humanoq́; latet, facturus grandia quondam,
Corpore, uenturiq́; decus prænunciat æui,
Prodigijs, operumq́; nouo manifeſtus honore:
Fluctibus in noſtris potuit qui ſæpe uideri
Magna gerens, iterum ecce poteſt iterumq́; uideri,
Numine cum ualido dilecti in fluminis undis.
Hæc effatus, aquis præceps allabitur imis.
Inde ſuos remo celeri fluctuq́; ſecundo,
Gentis ad extremæ littus, portusq́; propinquos
Fertur, agens ſaluos comites trans æquora Chriſtus.
Tunc deſerta metu & monſtris agitata duorum
Illa uirûm tellus, ſtygijs quos millia multa
Orcicolûm miſeros umbris emiſſa tenebant,
Torquebantq́; noua rabie, furijsq́; nephandam

In cædem. ſtimulisq́; urgent immanibus iræ,
Primum illi ferroq́; pedes palmasq́; reuincti,
Molibus includi tectorum & uectibus æreis.
Olli continuo pulſi tot peſtibus ambo,
Vinculaq́;, & duros ceu fulmina frangere poſtes,
Et procul inuiſis urbis diſcedere tectis.
Iamq́; agris latè & ſyluis & montibus unà
Cum uaſto miſeri errantes clamore feruntur,
Quo tonat immenſum cœlum, concuſſaq́; longè
Pertrepidant rura: implentur terroribus urbes,
Ipſi ſe manibus fœdant rabidi, & ſua ſaxis
Corpora concutiunt. fuerint qui fortè reperti,
Semineces plagis linquunt, aliosq́; trucidant:
Aggreſſiq́; ruunt Lernæa horrentius hydra,
Siue Calydonio longè uiolentius apro,
Crudeliq́; magis Cyclope, Lamoq́; timendi,
In tumulis ſuper oſſa quies, uiduataq́; uita
Corpora, congeſto quæ puluere tecta iacebant.
Poſtquam inſtare Deum peſtes ſenſere nephandæ,
Horreſcunt. Vt fortè lupi uel retibus arctis,
Vel fouea, ut multo in tenebris cuſtode latrones
Deprenſi, utq́; ſues uiſo ſtupuere leone:
Sic trepidant, ueniſſe rati miſerabile tempus,
Præcipites debent quo cæca in tartara trudi.
Ergo uiri nudati ambo cogentibus alto
E tumulo furijs adſunt, pacemq́; precati
Suppliciter tali ante Deum cum uoce feruntur.

Chriſte Deo genite, & ſummo Deus addite patri,
Purgator ſcelerum, nunc per tua, perq́; parentis
Numina, ne diras Erebi nos pelle ſub umbras,
Pœnarum ad ſedem oramus: tibi uera fateri
Eſt licitum, qui non falli potes, omnia quando
Nouiſti: Legio afflictis ſumus una duobus
Corporibus, truſit faſtus quos culpa ſuperbi
De cœlo, Stygijq; ducis mandata ſuprema
Exequimur, conſueti intendere crimina. ſi nos
Cogimur hinc exire, ſuum ſine corpora ſaltem
Indugredi. Ipſe uiros miſerans rex ætheris æquus
Aſpectat, diriſq; dolet tot peſtibus ambos
Vexari, ambobusq́; parat ſuccurrere feſſis.
Ergo foras urgens acies Erebi ex alieno
Imperat ire loco preſſas ſine ui, ſine turba,
Conceditq́; ſuum quæſitam inuadere ſedem.
Saltibus in latis aderant fortaſſe, paluſtri
Aſſueti cœno, uicinaq́; littora circum
Errabant bis mille ſues, quos plurimus olim
Vrbibus è multis eduxerat agmine cuſtos
Agreſtem in paſtum, & lætis ſeruabat in aruis.
Ecce uirûm ceſſat rabies, abeúntq; repente
Corpore de toto plagæ: ſenſúque quieto
Continuò mentémque malis animumq́; ſolutus
Noſcit uterq; Deum, & genibus ſubmiſſus adorat.
Sed furijs actus uolat ingens cum fremitu grex
Porcorum horrifico, fluctusq; ſub æquoris imos

Tarta-

Tartareæ duro pelluntur ab agmine gentis,
Terrificant gemitus, & uaſtarum horrida uocum
Murmura: iam totum feruenti extollitur æſtu
Aequor, & aſſurgens miſcetur gurgite in imo.
Acta ruunt non tam uiolenter fulmina, non tam
Grandine ſæuit hyems, grauiter turbantibus auſtris,
Commotóque ſolo non tam tonat excitus æther.
Iamque ſues imis in fluctibus acrius omnes
Torquētur rabie (hæc mala ſtat Deus omnia contra)
Exitióque cadunt uno, ſine more necati.
Præcipuè hoc monſtro, & rerum nouitate ſubulci
Percuſſi, ſtupuere: nouam clamore queruntur
Iacturam gregis amiſſi, duo millia lugent
Merſa ſuum, finesq́; petunt urbesq́; propinquas,
Scythopolínque, Adrámq;, & claræ mœnia Pellæ,
Mirantémq; nouis implent terroribus Hippum,
Gadareúmq; larem, & Dion, Geraſamq́; frequentē.
Nec mora, concurſus latè, multi urbibus unà
Egreſſi populi, & mœſti coguntur agreſtes.
Vel nebulæ ingentis, uel fuſi fluminis agris
Vndiq; more ruunt uicini ad littus euntes.
Huc ubi collecto uariæ ſimul agmine gentes
Conuenere, Deiq; iubar flagrantis, & ambos
Mites, atq; animum furijs uidere ſolutos
Coram aſtare uiros, pro munere uota ferentes
Horrent attoniti: nec apertos de grege queſtus
Iactare amiſſo quiſquam, nec quærere cauſas

Audet: uerùm animis cunćti trepidantibus hærent,
Supplicibusq́; illa dictis regione precantur
Chriſtum exire omnes, geminant fletúsq; precesq́;.
Ergo metu captos fragili, mœſtosq́; relinquit,
Digrediturq́; uolens: ſic illum talibus orat
Vnus ui ſtygia dudum furijsq; ſolutus:
Infernæ domitor gentis demiſſus ab alto,
Cuius opem mundus manifeſtam, & numina ſentit,
Accipe me: fuerint quæcunq; aduerſa, ſubibo
Tecum nil metuens: tecum ſors nulla laborum
Dura mihi, greſſusq́; tuos & iuſſa ſequenti.
Cui breuiter Chriſtus, Gratum hoc mihi perfice tantùm:
Tu patriæ uarios fines, urbesq; reuiſe,
Dic hominum eſſe Deum memorem, tantamq́; tuliſſe
Hanc miſero tibi opem, et manes pepuliſſe nephãdos:
Phas animo poſcant cunćti, ſperentq́; ſalutem.
Dixit, conſcenditq́; ratem, fluctuq́; ſecundo
Trans pontum uehitur Galilæa ad mœnia rurſum,
Atq; Capharnai dilectam accedit ad urbem.
Iamq; domum ingreſſus notam, ſimul agmine ſecum
Venerat aſſumpto comitum, quum plurima lecti
Vndiq; turba fluit populi, legumq́; periti,
Qualia ſint Chriſti præcepta audire uolentes,
Adſunt. pars totis cupidè glomerantur ab agris,
Exciti fama. implentur tota atria latè,
Obſtruit omnẽ aditũ numerus. Pars maxima, quæ nõ

Admitti poterat, plenas circumfluit ædes.
Stans medio in cœtu fœlicis conditor æui
Elucet, uitæq́; docet uenientis honorem,
Promiſſosq́; dies. ſurget quibus aurea quondam
Libertas, ſtygiæq́; cadent regna impia gentis.
Ecce uiri lecto ſubmiſſi quatuor unum
Fortè ferunt, ſuprema animam qui morte trahebat:
Oſſa ſuo reſoluta loco, & neruis labefacti
Artus membrorum, totum ſine uiribus ægrum
Corpus erat: ſtudium medicæ non profuit artis,
Mortaliq́; ſalus miſero non reddita cura.
Veſtigant aditum ſocij, quò ferre iacentem
Tectum intra ualeant, Chriſtoq́; offerre potenti
Curandum: huc uarijs atq; illuc greſſibus errant,
Ergo ubi non patuit uia, ſcandunt ardua onuſti
Culmina, denundantq́; domos in uertice ſummo,
Rimantes aditum: lectumq́; uirumq́; retorto
Fune per ingentem tecti ſublimis hiatum
Demittunt Chriſti ante pedes. Mox optimus ægrum
Purgator ſcelerum aſpiciens, age concipe mentem
Fidam, inquit, finemq́; mali iam lætus habebis.
Ecce ſalus tibi prima, tuis datur omnis ad unum
Libera commiſſis uenia. Hæc ubi pauca locutus,
Stat tacitis animis uulgus, legumq́; periti
Corde fremunt ſecum, ſceleratam unius ab ore
Emiſſam uocem: Deus eſt, qui talia poſſit,
Et dare commiſſis ueniam. Sic pectore in imo,

Ipſe autem, motus animi qui nouit opertos,
Non ſinit hos longo patiens errore teneri.
Sic contrà, Quid mente nephas agitatis iniqua?
Noſtrum opere in ſancto liceat dum pandere numen
Ignari, & miſeris pietas ſuccurrere poſcat.
Quin morbi cauſam poſſum, ſcelera omnia, uerbo,
Si durum uerbo poſſum nunc tollere morbum?
Ne uos errantes patiar neſcire ſalutem,
Signa dabo mortalis ego ſata uirgine proles:
Ipſe ægro feram opem, & uires in priſtina reddam.
Nunc age, ſurge nouis cum uiribus, accipe lectum
Incolumis, notæq; domus ad limina defer.
Sic ait, alma ſalus cæleſti reddita iuſſu eſt
Ocyus, & ſolidis firmantur uiribus artus,
Oſſaq; conſtrictis ſeſe retinentia neruis.
Mox iuſſus lectum rapit, imponitq; potenti
Raptum humero, notæq; domus ad limina defert.
Ingens continuò ſtrepitus ſublatus ad auras.
Illum ſurgentem cuncti, lectumq; ferentem
Mirati, & clamore nouo ſub tecta ſequuti,
Ponentem mirantur onus. Quàm magna poteſtas,
Quàm nouus in terris opifex? quibus ardua iuſſis
Facta poteſt? Deus iſte, Deus qui talia fecit.
Ecce pater charæ turbatus funere natæ,
Concilij primus patrij, cui nomen Iaro,
Multo aderat ſupplex ſpectantis in agmine turbæ
Cum gemitu, precibusq;, manum ſubmiſſus utramq;

Tende-

Tendebat Chriſti ante pedes, genubus deflexis.
Chriſte dator uitæ, oro per tua, perque parentis
Numina, perq; tuæ ſanctum pietatis amorem,
Quæ nota his terris, tanto me ſolue dolore:
Nata meæ ſpes ſola domus fuit unica nobis
Progenies, feſſæ requies ſecura ſenectæ:
Hæc dudum, exacti cui iam ter quatuor anni,
Occidit, eripiens ſecum mea gaudia, & atrum
Luctum amiſſa patri miſero curasq; reliquit:
Tu triſtes inuiſe domos, animámq; reuerti
Da natæ in corpus: tactu potes omnia dextræ,
Si iubeas: operum monſtrat noua gloria, quæ ſit
Iſta tibi uirtus. Vocem, lachrymasq; fluentes
Reſpicit, & mœſtas lucis dux magnus ad ædes
Procedit: ſancti comites, turbæq; ſequuntur
Diffuſæ triuijs latè, gradientibus obſtant
Vnà alijs compreſſi alij: cupiuntq; propinqui
Ire, decusq; iuuat diuini cernere uultus.
Dum laxis uenis, & ſanguine pallida fuſo,
Fœmina contendit numero compreſſa ſequentum
Rumpere anhela uiam: & totis obnixa mouet ſe
Effœtis ſucco membris. Nanq; illa ſalubri
Sanari tactu ſancti ſperabat amictus,
Spes dabat exangui uires concepta ſalutis.
Aſtitit ut iuxtà, nixu defeſſa ſupremo
Extendit dextram, & tacto non inſcia limbo,
Vim ſubitò infundi membris, uenasq; patentes

Con-

Conſtringi,& totum firmari robore corpus
Præſentit,creſcitq́; rubor diffuſus in ora.
Fertur opis dono diuinæ occulta retrorſum,
Et fugit incolumis furtim,numeroq́; ſequentum
Miſcetur,rata præclaram latuiſſe Deum *rem.*
Sed primum ipſe ſui tactum cognouit amictus
Præſcius,occultamq́; fugam,donumq́; ſalutis.
Ergo iterumq́; iterumq́; petit clamore latentem,
Et depoſcit opis diuinæ dona fateri,
Vrgens in medio coram factumq́; referri.
Illa timet quæſita,uelut ſi ruſticus abdit
Inuentam gemmam,& quærenti ſæpe recuſat
Reddere ſuſpenſus domino,durumq́; ueretur
Ius ne adeat,furtiq́; reus præſentis agatur.
Continuò mulier ſupplex, Nibil,*inquit,opertum*
Eſt tibi:iam uenio,tua quam clementia ſeruat.
Vera equidem dicam,noſti prius omnia namq́;.
Vrbis ſum Phaniæ *ciuis* Phœniſſa,*penates*
Linquere pauperie patrios morbóq́; coacta:
Rerum olim diues,dum me Deus *eſſe uolebat*
Incolumem,præſen ſq́; mihi fortuna fauebat.
Sed morbi me dira lues inuaſit acerbi,
Vi dura,uenisq́; cruor diffuſus hiulcis
Effluxit,totosq́; malum ter quatuor annos
Perſtitit,infirmo decerpens corpore uires,
Exanguesq́; premens artus. Non *ſumptibus ullis*
Vndiq́; opem quærens aliquam,curæq́; peperci.

Non

Non labor, auxilium medicæ non profuit artis,
Mortaliq́; ſalus miſeræ non reddita curæ:
Proceſſusq́; mali conſumpta reſtitit omni
Re patria, hæſerunt ſola incrementa dolorum.
Ipſa ergo huc, operum rumore impulſa tuorum,
Te petij, duxiq́; tuo me numine ſolo
Curandam: ſed cum turba ſtipante nequiui
Poſcere opem, tetigiq́; tuam non inſcia ueſtem,
Me tua fidentem ſeruauit maxima uirtus,
Spe meliore mea, & tactu non ueſtis inani.
Sic ubi læta ſuæ donum confeſſa ſalutis,
Continuò ſic Chriſtus· Habes, quod pectore fidò
Optaſti. non ſpem poſuiſti in Numine fruſtra,
Mortali deſerta manu: ceſſere dolores,
Morborumq́; lues, patriam gauiſa require
Incolumis· Sic fatus erat, quum fœmina grates
Fida Deo diſceſſit agens, patriámq; requirit.
Inde propinquorum donis adiuta fauentum,
Extulit ære Dei ſimulacrum, haud muneris illa
Immemor, extremaq́; domus in parte locauit,
Imbrice ſub modico: æternum partæq́; ſalutis
Et facti inſignis monumentum, adiunxit ahenam
Aere ſui ſtatuam deflexo poplite iuxtà,
Protentáq; manu, ſanctos quæ tangit amictus.
Imis à pedibus tantum ſe ſuſtulit herba,
Tangeret ut limbum: pellebant pocula morbos,
(Mirandum dictu) quibus hæc madefacta fuiſſet.

Impius hæc lapſis Cæſar ſimulacra tot annis
Qui Chriſti à cultu deſecerat, abſtulit olim,
Intrusitq; ſui ſtatuam, quæ fulmine fracta
Concidit: atq; illum in Parthos proſtrauit euntem,
Audentemq; nephas cœlo demiſſa ſagitta.
Iam gemitus duri in tectis mœrentis Iari
Crebreſcunt, & feralis noua munera pompæ.
Plurimus ante fores pullis in ueſtibus ordo
Lugentum, implenturq; tubæ clangore penates
Funerei accenſis facibus: ſtat uirginis intus
Impoſitum capulo corpus, ferriq; paratum,
Triſtem integranti multo tibicine cantum.
Iam bonus ad celſas uitæ dator affuit ædes,
Agmen agens comitum, & lectam ſimul undique turbam:
Atq; in ueſtibulo, lugens ubi copia maior
Expectat, rapidæq; ſonant plangoribus auræ,
Aſtitit intendens oculos. motusq; parentum
Fletibus, & mœſtis offenſus cantibus infit:
Quæ gemitus tanti, quæ mœſti funeris huius
Cauſa eſt? quid ſtrepitus ignari agitatis inanes?
Lumina uiſuram ſolis, ueſciq; paratam
Terreſtri fœtu requies tenet alta puellam.
Parcite iam lachrymis, & ſpem retinete parentes.
Ite domum læti, ſurgentem agnoſcite natam.
Imperat hæc fatus, cunctos excedere tecto.
Diuinæ ignari lucis, ſummæq; latentis

Virtutis

Virtutis, quæſiti homines ad ludicra, multo
Vulgus inane, alij fletum ſimulare uocati,
Riſu omnes ſtrepuere: illam, quam uiderat omnis
Lugentum expertem uitæ collecta caterua,
Poſſe Deum neſcire rati: qui protinus infert
Altas intra ædes ſeſe, fidosq; ſuorum
Secum aliquos comitum inducit, mœſtosq́; parentes,
Continuò foribus clauſis ſedet ætheris ipſe
Rector ad exanimum conuerſus lumina corpus.
Tum gelidæ dextram contingens uirginis, infit.
Nunc age, nunc ſtygijs uirgo te ſedibus effer
Lumen ad æthereum, iubeo: uitamq́; reſurgens
Accipe. Qua ſubitò tellus tremit excita uoce,
Infernæq; tremunt ſedes, horrentq́; repente
Turbati manes: anima ex Acheronte profundo
Exit, & inſinuat gelidis ſe reddita membris.
Ecce uelut ſomno expleto reuocata puella
Conſurgit, tenditq́; manus cum uocibus ambas,
Inceditq; leuis, grates uitæq́; datori
Aſtat agens. ſtupuitq́; parens ſpectator uterq;.
Tanto produci reuocatæ tempora uitæ
Tres iuſſu attonitæ, repetunt depoſta ſorores
Penſa manu, & iuſſæ pergunt deducere fila.
Natæ afferte dapes, ueſci iam munere terræ
Exoptat, Chriſtus dicit, celerate parentes.
Iam depaſta dapes, foribus prodibat apertis
Spectantum in turbam ante domum lætiſſima uirgo.

Dum ſubito uiſu, ſignis dum talibus amens
Vulgus inhorreſcit: cunctis ſtupor intima turbat
Corda nouus, dubij, ne animos inſomnia ludant,
An uiſa ignari fallantur imagine rerum.
Vix tandem rediere animi, & uis reddita menti eſt:
Ipſum opus hoc mirum agnoſcunt, ipſamq; potentis
Virtutem authoris, & uitæ dona receptæ.
Multa illam effatam, & medijs mirantur euntem
Inceſſu celeri lætam, morboq; carentem,
Laudibus ornantes certatim inſignia facta.
Compreſſo ſtrepitu ceſſat tuba, cantus & omnis
Lugubris: uerſi extinctis in gaudia luctus
Ignibus, & plauſu uitæ dator æquus ouanti
Cantatur. Gemini ecce uiri per plurima uulgi
Agmina, fortè uia in media charis uiduati
Luminibus, uitæ expectant luciſq; datorem.
Multum inopem, & cunctis notum perducit utrunq;
Vnus homo, imploratq; ſtipem pia munera gentis.
Ipſum ubi cum multo ſtrepitu turbaq; ſequentum
Præſenſere uiri uenientem, ita fantur ab imo
Orantis animo mœſtis cum flectibus ambo.
Ieſſæi generis proles, ſi numine tanto
Chriſte potes, ſentitq; genus tua munera noſtrum,
Tecti oculos tenebris triſtem ſine lumine uitam
Protrahimus: ſpecta noſtros, auferq; labores,
Excutiens oculis noctem, da lumina ſolis
Aſtriferumq; polum, terráſq; uidere patentes.

Olli cum precibus ſub tecta ſequuntur euntem,
Affuit ingreſſus notis ut ſedibus ipſe,
Agnouitq; fidem, & fidis conceptam animis ſpem,
Proximus inſpexit ueniens, tetigitq́; duorum
Expertus oculos lucis. tum fronte ſub ipſa
Intumuere ſinus tactu, clarumq́; repente
Proſpexere diem. Ex acie ceſſere tenebræ,
Eſt ubi ceu tegmen, quod condidit ora, remotum.
Rerum ambo egreſſi formas mirantur, & altum
Aethera, ſtelliferiq́; decus mirantur olympi,
Omniáq; ardenti luſtrantem lampade ſolem.
Turba incredibili facto ſtupet excita tali.
Continuò medios inter cum murmure multo,
Pluribus à fidis trahitur mœrentibus unus
Aere manus euinctus homo, & uexatus atroci
Vnius Orcicolæ rabie, uſu uocis adempto
Infelix, agitans ſaniem tetro oris hiatu,
Toruùm oculis uerſis, dictu miſerabilis error.
Ante Deum ut medio coràm ſtetit aſpera Erinnys,
Expauet: & ſubitò diuinæ exterrita ſentit
Contactum dextræ ualidum, quo pulſa repente
Effugit ſine ui miſeri de corpore toto:
Horribiliq; fremit queſtu, & per nubila multo
Cum ſtridore uolat ſedes Acherontis ad imas.
Ille Dei ante pedes, rabies ubi dira receſſit,
Incolumis ſtat agens grates, uocemq́; ſoluta
Ingeminat rumpens diuturna ſilentia lingua.

Tum uerò ſtupefacti omnes, nouus agmine toto
Exortus clamor: Non talem priſca tulerunt
Secula, mortali non eſt à ſanguine ſolo.
Cœleſti non ſtirpe caret, qui talia poſſit.
Illis deinde nouus rumor diffunditur oris,
Aſtu fœmineo & iuſſu cecidiſſe tyranni,
Damnantem crimenq́; tori culpamq́; iugalem,
Zachariæ natum: quo Vatum non fuit ullus
Maior, & humano melior de ſanguine nullus,
Virginis excepta & ſupremi prole Parentis.
Iudæiq́; Deum depoſcunt cædis iniquæ
Vltorem, regniq́; iugum execrantur acerbi
Plurima mœrentes, & regno opibusq́; tyrannum
Extimuiſſe rati, regio dum protinus omnis
Dilectum uatem multo ſeruaret honore.
Ergo uiri caſum numero miſeratus ab omni,
Educit comites Chriſtus, breuiter quibus ipſe
Intentis fatur: Suadet nos ſanguine ſancto
Linquere pollutam, ô comites, res impia gentem:
Cedereq́; unius furijs graſſantis, & iræ.
Dum Pater ipſe, diesq́; uolubilis omnia mundo
Magna parat, ſceleri & pretium ſcelerisq́; ruinam:
Expediamus iter, terræq́; inculta petamus.
Sic ait, ingratisq́; dolens diſcedit ab oris.
Non procul à pelago celſus, quod flumine ſancto
Procreat, æternisq́; fouet pater inclytus undis
Iordanis, rurſumq́; excedit ab æquore maior,

Tollitur in nubes mons latè incultus, & horret
Paſſim infœcundis complentibus omnia ſyluis
Auia: deſertiq; iacent ſaltus ſine tecto,
Campus & in ſummo ſylueſtribus horridus herbis.
Huc ſummi in ſaltus genitoris filius altos
Supremumq; iugum aſcendit, ſimul agmine ſecum
Aſſumpto comitum, montiſq; inculta requirit
Horrentes inter ſyluas atq; aſpera luſtra:
Multa ſuos præcepta docet, quibus aurea quondam
Ventura in cunctas lætentur ſæcula gentes.
Haud mora, fama uolat uicina per oppida latè,
Finitimumq; ſolum, deſerti ad culmina montis
Conceſſiſſe Deum, & ſyluas habitare relictas.
Vrbibus è uarijs collecti agriſq; propinquis
Matres, & pueri, & caſtæ uenere puellæ,
Atq; uiri, & feſſis iuuenes ſenibus commixti.
Quot uolucres lectæ & pecudes noua paſcua miſſæ
Vere petunt medio, dum clarum abeunte reducit
Nocte diem radij, reſerans cœlum nitidus ſol.
Et iam collectos inter bonus eminet omnes
Dux hominum, & cuſtos certus, flagrantia latè
Ora gerens, placidumq; oculis ſpectantibus ardet,
Atq; hominem non uoce refert, inſignis honeſto
Supra hominem geſtu: & uitæ ſpem mentibus infert
Aeternæ, monituq; fouet pia corda ſalubri.
Qualis oues paſſim in pratis prope flumina Rheni,
Tybridis aut ripis, aut ſaltibus Appennini

Colligit errantes, & pabula læta miniſtrat
Omnibus upilio, medicaq; manu leuat ægras.
Ipſam etiam poſcunt multi, accipiuntq; ſalutem
Cœleſtis tactu dextræ, quocunq; fuiſſent
Correpti morbo. Oceani iam proximus undis
Carmeliq; iugo, tepidis ſol ignibus ibat:
Ingentem turbam uictu dum ſtare carentem,
Dilecti comites deſerta in ſede queruntur:
Quos inter Chriſto fatur non multa Philippus,
Chriſte genus cœli, iam nox obſcura propinquat,
Ecce uides hominum tot millia montibus altis
Deſertoq; loco nobiſcum, alimentaq; ſecum
Nulla ferunt: ſubitò dic omnes hoſpita tecta
Finitimáſq; domos quærant, urbesq; propinquas.
Dixerat ille, animo uoluens opera ardua Chriſtus,
Dicere quantum epularum habeant, non inſcius, illos
Iuſſit. Cui cupidè Andreas, Geminos habet unus
Hoc noſtro è numero piſces, Cererisq; paratæ
Quinque puer maſſas: alijs nihil omnibus, inquit.
Non modicam Cererem, non pauca opſonia, credo
Sufficere ingenti turbæ. ſunt millia nanq;
Quina uirûm. tot præterea pueri atq; puellæ,
Tot matres numero incerto, lectum undiq; uulgus.
Ad ſe continuò modicam cum piſcibus ipſe
Afferri Cererem, & cunctos per multa locari
Gramina, & in uiridi iuſſit conſidere terra.
Inde dapes ubi utraq; manu non omnibus æquas

Accepit, ſummum elatis conuerſus olympum
Latè oculis penetrat, moles quo maxima mundi
Aſpectu nutat, totus commotus & æther,
Concutitur tellus, imo maria excita fundo,
Imperat, & parent cœleſtibus omnia iuſſis:
Effringitq; dapes, faciens non cognita miris
Incrementa modis: ſubitò iuſſiq; miniſtri
Adſunt, & plenis capiunt, portantq; caniſtris
Mirati, atq; epulis menſas ſuperantibus implent.
Veſcuntur largis epulis per gramina longo
Ordine diffuſi, augeri ſua dona repente
Obſtupet alma Ceres, & motæ in flumine Nymphæ,
Iordaniſq; pater: ſpectantq; à uertice Fauni,
Orcicolæq; tremunt cœli per nubila centum.
Iamq; fame pulſa, & cunctis ſurgentibus, eſcam
Tollunt, & multi piſcis multæq; miniſtri
Fragmentis Cereris calathos ter quatuor implent.
Tum mentes ſtupor unus habet, tantiq; ſubortus
Ex nouitate operis diffunditur agmine ſermo.
Huic ſenior Chuſas, febrem cui Chriſtus acerbam
Suſtulerat, Chuſæ illius de ſtirpe uetuſta,
Qui fuerat natum meditantem fata moratus,
Ieſſæi patris Solymam ſpeculator ad urbem
Præmiſſus, magnóq; nephas compreſſerat aſtu.
Is generoſus auis, ſed inops, non cognitus illo
Tempore, ſic turbam incedit clamore per omnem.
Promiſſam longo quam nos ſperauimus æuo

Monſtrat adeſſe diem ſæcli res maxima noſtri.
Quis facti ſimilis priſcis è patribus author?
Non, qui Arabum per luſtra ſuos, licet æthere toto
Eſca ingens plueret, Nili deduxit ab oris.
Non, qui oleum augeri uiduæ, multisq; parari
Præcepit modico farre atq; agreſtibus herbis
Dulce epulum, atq; uiros expleri munere centum
Exiguæ Cereris. Mihi credite, maximus iſte eſt
Promiſſus nobis, uno qui fœdere iunget
Omnia, quà Tethys totum circumfluit orbem.
Ergo magis ſtupefacti hærent, unde illa poteſtas,
Quæ tanta è paruo dedit incrementa repente:
Ingentiq; nouum clamant cum numine regem
Aethere demiſſum, totus cui ſeruiet orbis.
Vno omnes animo ſolis ſe lumine primo
Affore conſtituunt, ſolis ut montibus ipſum
Deducant, Dominumq; ſibi regemq; faceſſant.
Stulti, qui cœli regem de more putarent
Sumere, caſurum regni quem mundus honorem,
Ambitioq; parat. Rerum non inſcius ipſe
Aduocat electos comites, iubet æquora tranent.
Tranſuecti notæ expectent in littore gentis,
Promittitq; ſequens turba tranſire relicta.
Nec mora, dimiſſis ſyluam petit omnibus unus,
Occultus, montisq; iugo latet abditus alto:
Affaturq; uocans uotis precibusq; parentem
Supremum, & generi ſe deuouet hoſtia noſtro.

Ingen-

Ingenti iam nox terras uelauerat umbra,
Purpureoq́; rubens uultu inter nubila Veſper
Lucebat, cornuq́; cadens noua Luna retuſo:
Dum preſſa innumero luctantibus agmine remis,
Dilectos comites uaſto uehit æquore cymba:
Ecce nouo Cauri de partibus horrida motu
Sæuit hyems, denſis conduntur ſydera nimbis,
Surgentesq́; ruunt uenti, pontoq́; feruntur
Vndiq; congreſſi: & moto freta turgida fundo
Permiſcent, ſummoq; cient certamine fluctus
Ad cœlum elatos: feruentibus horret aquis nox,
Turbatiq́; fragor cœli fulgoribus ingens
Miſcetur: Chriſti comites in fluctibus altis
Turbantur, tanti exangues formidine caſus.
Tum Petrus demiſſo animo diſcrimine tanto,
Sublataq́; manu ad cœlum conclamat utraq;
Chriſte, Deo generate, tuos miſerabile dudum
Miſiſti ad letum, & pereuntes deſeris alto.
Huc ſine te ſtulti quid nocte acceſſimus atra?
Poſſes, ut præſens quondam, ſedare procellas,
Iratumq́; fretum. Fatis inſtantibus omnes
Heu miſeri, rapimur, dirisq́; immergimur undis.
Huc ades, & ſerua has animas, ſi rector olympi
Te genuit, patrijsq́; ſinit te uiribus uti.
Pellitur hec fanti in nauis latus impete fluctus
Ingens, & Boreæ propulſus turbine remos
Frangit, & euulſo deturbat lintea clauo.

Ni pater omnipotens dextra feciſſet inanem
Vim tantam, & tumidis nauem tenuiſſet in undis,
Hora omnes extrema uiros rapuiſſet, & alto
Iactaſſent uenti lacerata fragmina puppis.
Huc atq; huc rapidus turbo fert fluctibus illam,
Nunc Euro Zephyrus ferri, nunc turbidus Auſtro
Dat Boreas, omnes uno nunc agmine turbant.
Vt medio autumno paleæ per rura maniplum
Frondiferumq́; ferunt ramum, ſic gurgite in alto
Noctem illam uentis agitur concuſſa carina,
Ponderéq; acceptæ multo merſatur aquai.
Ecce ſub auroram Chriſtus, Cypriijq́; ſub ortus
Syderis, undoſum tenebris pallentibus ibat
Per mare, per tumidas uentis certantibus undas.
Res mira eſt, ſummo ponens ueſtigia fluctu,
Nec plantas mergebat aquis, ceu littore ſicco,
Progreſſus pelago curſum celerebat in alto
Ad comites, læuaq́; Noti ſe parte ferebat.
Percuſſi ſtupuere metu, quatit omnibus horror
Corda nouus, monſtriſq́; tremunt ingentibus omnes
Pertrepidi, rerum facies ne ludat inanis,
Obſint emiſſæ Stygio ne limine laruæ.
Continuò fertur miſerorum infuſa per aures
Vox domini nota, & nocturnis inſonat umbris:
Omnem auferte metum, ueſtri non immemor adſum,
Ferre paratus opem: uenio de monte ſupremo,
Ieiunis ubi dudum epulas tot millibus auxi,

Vos

Vos unde huc miſi: dubijs nunc caſibus omnes
Eripiam, & ſicco tutos in littore ſiſtam.
Agnoſcunt Dominum *comites, diuináq; uerba,*
Præſentemq́; Deum *reuocatis mentibus omnes*
Mirati exultant. Si tu quem nouimus (inquit
Petrus) quem ſequimur læti, ſpem ponimus in quo,
Rector ades, cymba fac me prodire relicta
Ad te per fluctus. Poſcenti talia Chriſtus
Annuit, ille ratem linquens ſuper æquora uelox
Incedit, tumidis plantas nec mergit in undis.
Tum curſum accelerat, Domino *dum proximus eſſet,*
Ponto aſſurgenti uentisq́; furentibus amens
Protinus expauit, fecitq́; pericula terror:
Mergitur, accurrit cuſtos tutiſſimus orbis,
Et laterum tenus immerſum, & clamore petentem
Auxilia ingenti, mergentibus eripit undis.
Incuſatq́; uirum, éſtne tibi hæc fiducia noſtri?
Dum iubeo, licéatne meis diffidere dictis?
Dicit, & hunc dextra tollens ſuper æquora, rurſum
Progreditur, comitemq́; rati ſecum ocyus infert:
Imbriferamq́; premens hyemem, uentosq́; furentes,
Dat placidam pelago pacem, cœlóq; repente.
Iuſſu euecta Dei *fertur non tarda carina,*
Implentur non uela Noto, *non uerberat undas*
Palmula. tum ſubitò ſeruati ad tuta feruntur
Littora, & in portu placido conduntur ouantes:
Egreſſiq́; ferunt animo noua ſupplice uota,

Supre-

Supremiq́; genus ſanctum genitoris adorant.
His ſtupefacta nouis ſedes ſe rebus ad imas
Inſcia Nereidum cogit manus, unde poteſtas
Cui maria, & ſæuæ norunt parere procellæ:
Iordanis primum miratur, qualia nunquam
Viderat antè pater, pelagoq́; incedit aperto,
Facta uidens. Mox & uelox ſe tollit in altum
Aethera, & Oceani ad littus, gentemq́; peruſtam
Euolat Aethiopum paſſis Cyllenius alis.
Illo ubi fortè die accumbunt dij cum Ioue centum,
Dij ſuperi Aethiopum ad menſas epulasq́; uocati,
Dulciaq́; exercent numero conuiuia læti.
Ille quibus mortali ortum denunciat unum
Stirpe uirum, non ambroſia, non nectare paſtum,
Terreſtri fœtu qui ueſcitur, & pede ſicco
Fluctibus incedit pelagi, ſedatq́; procellas.
Hæc animis agitant ſtupefacti, hærentq́; timentes,
Vltima ne fatis æſtas urgentibus inſtet,
Qua regno cuncti & priſco ſpolientur honore.
Ingentesq́; metus Erebi dilapſa ſub umbras
Nuncia Fama mouet, Manesq́; exterritat imos.
Inde urbes uarias, uarios notiſſimus agros
Agmen agens comitum, & Galilææ in finibus omnes
Perluſtrat populos iuxta Samaritidis oras
Chriſtus: peruentum ad magni latera ima Taboris,
Quem circum lætosq́; greges & pinguia paſcunt
Armenta, & uertunt felices uomere terras

Agrico-

Agricolæ,multaq́; ferunt ex arbore fœtus
Multiplices,pecoriq́; iugis dant paſcua ſaltus.
In nubes ſterili mons uertice tollitur altas
Inculto,& dumis horrenti & ſentibus atris.
Tum Petrum & geminos fratres, pia quos Zebedæo
Progenuit Chriſti matertera,deligit ipſe
Alta petens,alijs monte expectantibus imo
Omnibus,undoſi paruum Ciſonis ad amnem:
Et tribus euadit ſummam comitatus in arcem.
Iam terris medio curſu ſe noctis opacæ
Intulerat ſomnis ingens cum mollibus umbra.
Quinetiam geminos fratres,feſſumq́; tenebat
Petrum infuſa quies:dum ſyluas inter inertes
Aggere ſub medio fœlicis conditor æui
Supplicibus magnum uotis precibusq́; parentem
Inuocat,& generi ſe deuouet hoſtia noſtro.
Orantis uultu noua lux micat, & micat auræ
Fulgor,agitq́; diem, quantum nunquam potuit ſol,
Qui claro poſt nigram hyemem,poſt nubila cœlo
Elucet,terrisq́; caput demonſtrat honeſtum.
Flammæ oculis geminæ flagrant,duo maxima lucis
Fulgura:tum ſubito totus diſcedit amictus
Candorem in nitidum.candent non lilia tantum,
Hybernæq́; niues,aut uernis floribus arbor.
Ipſe ſuæ gentis ſtat maximus ante Deum dux
Ex primo Moſes Acherontis limine miſſus,
Infernaq́; domo. gemini cui uertice ſurgunt

Lucentes radij,placido cui dulcia uultu
Lumina;& os placidum, & lætæ conſtantia frontis.
Scire ſuum genitor dederat cui maximus olim
Conſilium,ſecumq́; loqui,populoq́; recepto
Reddere mandata,& ſanctarum munera legum,
Portentisq́; nouis diuinam oſtendere mentem.
Ille hominum priſcam ſcribens ex ordine prolem,
Et uarios per tot collegit ſæcula mores,
Factaq́;,quot mundi primo diſtabat ab ortu:
Vt patrum antiquas ſedes,promiſſaq́; regna
Viderit,ex medio conſpectu oculisq́; ſuorum
Migranti uita ſublatus nube receſſit.
Magnus ab auroræ tractu & felicibus hortis,
Quos fouet Eoi placidos clementia cœli
Helias uates:tulerat quem turbinis altum
More ruens currus cœleſtis ad æthera flammæ,
Vltima labentis uenturum ad ſæcula mundi,
Miſſus adeſt,placidóq; Dei ſe ſiſtit ad ora
Submiſſus uultu.non qualem inuictus habebat,
Dum ſcelera argueret,dum terris tolleret imbres.
Cernere ut ora datum diuinæ prolis utriq;
Coram utriq; loqui,Moſes ſic incipit ultro:
O ſate patre Deo,quem cœli luce carentes
Clauſi umbris Erebi longo expectauimus æuo,
Nunc ades,& mundo præbes uitæ pretium te
Ingens. Quanta tua eſt pietas,quantus tibi noſtræ
Gentis amor,ſumma qui lapſus ab ætheris arce,

Terra

Terræ ad depreſſam ſedem, ut grauia omnia latè
Dura ut ſupplicia, ut letum miſerabile ferres.
Ventura hæc noui, hæc certis prius omnia ſignis
Monſtraſti, Aegypto eripiens capta agmina gentis
Hebrææ, cædi ſolennem rite iubebas
Agnum, & ſeruari hunc morem per ſæcula. donec
Inſtaret tempus, poſitis quo ritibus agni
Succedas, manibusq́; cedas tam digna tuorum
Hoſtia, cunctam hominum ut ſerues ab origine gentē,
Faucibus eripiens Erebi, cœloq́; reducas.
Continuò Helias, Scelerisne exordia primi
(Inquit) tam grauia, & generis tam triſtia noſtri
Hinc delicta, tua liceat quæ morte piari?
Ingratæne tuæ tanta mactabere gentis
Inuidia? Quid tantum Achabus rex impius olim,
Dum patrias aras cultusq́; relinquit auitos,
Sacra aliena ſequens? Quid tantum regia coniunx
Phœniſſa, in me dum fremuit, Vatesq́; necauit
Dura tuos? utriq; nephas non ceſſit inultum.
Saucius ille graui media inter prælia telo
Procubuit, fuſumq́; canes linxere cruorem:
Supremæq́; domus iacuit ſublimibus illa
Deiecta è ſpeculis, depaſtaq́; uiſcera diris
(Phas ut erat) canibus. Te dira hominem atq; Deum gens,
Te lucis, te uitæ, expectatæq; ſalutis
Authorem inuadet? te Regem illudet olympi,

Tot trucibus pœnis, letóq; premens infami?
Sentiet ipſa tremens tellus, mœſtumq; tenebris
Sol caput inuoluens: & ſigna horrentia manes,
Cœlicolæq; dabunt. Dignis ſcelera omnia pendant
Cædibus, & regni ſpectent urbisq; ruinam
Ingentem Solymi: & totis æterna uagentur
Paſſuri exilia in terris, paſſimq; pererrent
Gentibus inuiſi cunctis ſine fine nepotes.
Hoc Petrus placidam & fratres ſermone quietem
Abrumpunt, tolluntq; oculos uultúmq; ſilentes:
Chriſti in conſpectu Vatem lucentis utrunq;
Conſpicere attoniti, diuináq; fulgura, & illam
Lucem admirari, nequeat qua clarior ullus
Eſſe dies: oculi hac ſpecie, mentésq; fruuntur.
Vnde noua hæc, quæ nos tanta dulcedine tangit
Lux penetrans aciem, & ſenſus deſcendit ad imos?
Petrus ait, Species unde hæc tam læta repente?
Hic ſedem ſtatuere, hic tecum da Chriſte morari,
Ternaq; congeſtis fieri tentoria ramis,
Tu quibus & tecum Helias, Moſésq; tegantur:
Nos quoq; tres tali tecum ſtatione fruamur.
Has uoces uiſu lucis non captus inani
Vix dederat, nubes dum funditur æthere circùm
Ex alto, Vatémq; leues utrumq; per auras
Tollit, & ex oculis uelans ſpectantibus aufert.
Tum cœlum allabi, & mons partibus omnis ab imis
Intremere, & denſæ nutando aſſurgere ſyluæ.

Con-

Continuò ſummi hæc ipſius iuſſa parentis
Audiri, & dictis impleri talibus æther:
Hic eſt, quem genui, Chriſtus, mea magna uoluptas:
Hæc mea progenies, pretium cui ferre ſalutis
Conſtitui, & ſanctis ſubmittere legibus orbem.
Ergo huius præcepta animis, monituſq; ſalubres
Obſeruate uiri: terras quibus ire per omnes,
Iuſſaq; perferre ad fines licet uſq; ſupremos.
Hæc tonitru uoces totum per inane feruntur,
Omnia complentes, telluſq; poluſq; reſultant.
Procubuere metu comites, proniq; repente
Delapſi ad terram iacuere. Alto ut cypariſſi
In Libano, & duræ procumbunt turbine cedri.
Reſtitit os oculoſq; gerens uultumq; priorem
Chriſtus, & hos gradiens confecta luce reuiſit:
Contactúq; leuat dextræ, tollítq; iacentes.
Dat uires animúmq; uiris, tum uiſa taceri,
Occultumq; premi pro tempore iuſſit honorem.
Exin digreditur, referens ad flumina ſeſe
Ciſonis rapidi, & montem deſcendit ad imum.
Iamq; diem clarum referens mortalibus ibat
Phœbus ab Oceano, & tenebras Aurora reſoluens,
Os terris roſeum & ſummo monſtrarat olympo:
Quum læuo ex fluuio mœrens, ſaltúq; propinquo
Obuius innumeræ fertur per plurima gentis
Agmina uir ſenior: ſuppléxq; Dei ante pedes ſe
Deijcit, ingentiq; manum protendit utranq;

Cum gemitu,lachrymisq́; preces rorantibus addit.
Chriſte, ſalus promiſſa homini,timor acer Auerni,
Per te,perq́; tuum,eſt qui in nos tantus,amorem
Noſtri,oro,miſerere. Miſer mihi Filius *unus*
Heu ſupereſt miſero tantum,cui debita ſoli
Res patria atq; domus: ſpes quondam & magna uoluptas,
Nunc patris dolor infelix: illum efferà morbi
Infantem rabies, Erebiq́; *immanis* Erinnys
Inuaſit,furijsq́; nouis infeſta tot annos
Preſſit,nec diro requies datur ulla furori.
Ille mali,huc ſtimulis atq; huc ingentibus actus
Vt Triuiæ *rapitur furijs,ut fulminis ictu.*
Nunc in aquam,nunc præualidos eliſus in ignes
Corruit,afflictosq́; quatit crudeliter artus
Ad terram. Tantum non concitat æquora turbo,
Turbatisq́; furit tantum non fluctibus æſtus.
Clamitat horrendum,ſaniemque eiectat hiulcis
Naribus,& rabido ſpumas exaggerat ore.
Non præſens ullum medicæ ſuccurrere curæ
Auxilium,comitum nulli potuere tuorum,
Eſt quibus oblatus. Tua ſola potentia nato
Expetitur ,magnamq́; tuo ſpem numine fixi.
Tu Deus *es,ſummiq́;* Patris *ſata uirgine proles,*
Haud dubito,ſentitq́; genus tua munera noſtrum.
Infera te legio,te diri exercitus Orci
Extimuit,liquitq; uirûm poſſeſſa duorum

Corpo-

Corpora. tuq́; animas rurſum ex Acheronte reducis
Artus in gelidos. tu iuſſu comprimis Auſtros
Iratos, noruntq́; tibi parere procellæ.
Audijt has facilis uoces, mentemq́; precantis
Inſignemq́; fidem Chriſtus, fixamq́; Deo ſpem
Inſpiciens, ad ſe iuuenem perducier ægrum
Iuſſit. Mox trahitur famulis à fortibus ille
Turbam per mediam uinctus, multoq́; repugnans
Pellitur ad Dominum cum murmure, uerſaq́; torquet
Lumina cum fremitu exhorrens tetro oris hiatu.
Tractus ad ipſa Dei multis ut uiribus ora
Affuit, infernæ ſtimulis fremit acrius iræ:
Continuoq́; ruit dura ui ſtratus, & omnes
Terræ immane quatit, res eſt miſerabilis, artus
Attollens uocem horrificam: qua proximus amnis
Intonuit Ciſon, uicináq; littora Ponti,
Sublimisq; Tabor latè, ſaltusq́; profundi
Carmeli ſonuere. Fugit percuſſa retrorſum
Turba metu, cunctis ingens ſpectantibus horror
Ingeminat. ſcelerum ſed adeſt ſtans proximus ipſe
Purgator, ſubitoq́; oculos animumq; reflectit
In miſerum, & uerbis peſtem deturbat acerbis.
Hoſtis atrox hominum, cœloq́; inuiſe, quid iſtam
Sedibus exerces etiam uim tantam alienis,
Me ſpectante, uiriq́; animam corpusq́; fatigas?
Cede iſtinc, fugiens lucem, & pete triſtia præceps
Tartara, ſat tibi permiſſum. Sic territus ille

Exit, & in uacuas non turbine ſegnior auras
Euolat: horrendíſq; locum ſtridoribus implet,
Nunc gemitũ immanem miſcens, nunc dirum ululatũ.
Trans Iordanis aquas trepidus, trans rura Trachonũ
Fertur Ituræos iuxta, tegiturq́; nigranti
Occultus nebula: atq; Arabum petit aſpera luſtra,
Immanésq; ſinus: diris ubi faucibus horret
Antrum ingens, latebriſq́; domus metuenda latronũ,
Obſcura in ſylua. Quà ſe demittit ad imam
Cocyti ſedem, æternæ loca triſtia noctis,
Hoſtis atrox hominum, ſupremo inuiſus Olympo,
Perturbatq́; metu manes. iam ſæcula mundo
Aduenisſe refert, præda quibus improbus omni
Tartarus, & priſco uincti ſpolientur honore
Dij Stygij, & toto miſeri pellantur ab orbe.
Intremuere omnes, dubij quibus artibus, & qua
Tendere ui liceat, tremuit terroribus Orcus.
At iuuenem, poterat qui non ſpirare, iacentem
Proſtratúmq; ſolo, depulſa Chriſtus Erinny
Excipit una ſalus hominum, timor acer Auerni:
Incolumémq; manu tollit, reddítq; parenti.
Harum tot populos rerum nouitate, tot urbes
Excitat huc uarijs rumor diffuſus in oris,
Præclarúmq; Dei nomen, charæq́; ſalutis
Munera. Tot mixtæ numero ſimul undiq; gentes
Huc celerant, terríſq; fluunt ex omnibus ægri
Innumeri, cunctis dat opem poſcentibus ipſe.

Tum tactu ueſtis, fuerint quicunq;, repente
Morbi abeunt, tactóq; ſalus eſt reddita limbo.
Turpis abit papulis elephas, & letifero æſtu
Febris, profuſisq; tumens humoribus hydrops,
Profluxiq; lues mala ſanguinis, & dolor ægros
Vrgeret quicunq; alius. Pars magna ſoluti
Cui nerui, & diſſuti artus, laxiq; lacerti,
Oſſáq;: quin multi ſacro quibus igne pereſa
Membra forent, laceroq; exhauſtæ corpore uires.
Quid dicam? ingenti uenientes undiq; turba
Sedibus è longis miſeros, terriſq; propinquis
Cæcósq; claudósq; ſimul mutósq; uideres
Lucem oculis, & uim pedibus, donúmq; loquendi
Accipere, & patriæ incolumes ad tecta reuerti.
Huc quoq; multa hominũ, quæ mortua forte feruntur,
Corpora, continuò poſt funera lumen
Accipiunt, charámq; animã ex Acheronte remiſſam.
Non homines paucos linquunt, abeúntq; ſub umbras
Iuſſæ Erebi furiæ, atroces mortalibus olim
Peſtes. Tanta Deo fuit hæc clementia, tantus
Gentis amor noſtræ. Vati par copia cantus
Non datur, & cunctæ nequeunt in carmina tantam
Fundere uim Muſæ, ut tentem, poßintq; referre,
Quàm uarij quondam morbi, quàm magnus adeſſet
Aegrorum numerus ſemper: quibus alma repente
Vel dextræ tactu, uel tacto reddita limbo eſt,
Cœleſtiue ſalus iuſſu, uiréſq; receptæ.

LIBER TERTIVS.

Ot ſignis trepidi, tot Vatum urgētibus omnes
Percuſſi monitis manes, & Numine tanto
Turbantur: rebusq́; nouis conterritus Orcus
Secum agitat, qua ui contra, quo prodeat aſtu.
Ipſe ſuos ergo iubet intra nigra uocari
Atria, & in cœtum totis procedere tectis:
Diræ adſunt Erebi turbæ, primusq́; Taractes,
Zelemonq́; dolens, fraudumq́; repertor Eremnus,
Párq; dolis Ephedros, formidatúsq; Molobros.
Ferreo dux ſolio tandem non pauca uolutans
Se locat, hasq́; animo uoces prorumpit ab imo·
Vos Erebi proceres, quos mecum ab origine noſtra
Vnanimes habui comites, quocunq; meæ res
Corruerint, pulſi cœlo, lapſiq́; ſub umbras,
Non ſortem ferre indignam potuiſtis, & ingens
Dedecus hoc noſtrum, ſummi dum Rector olympi
Præferret ſobolem nobis, cœloque locaret
Humanam: ut uiſum eſt illi, facit omnia quando
Omnipotens. ſed patrem ipſum natosq́; tuliſtis
Crimine contactos patris, cunctosq́; nepotes

Nobiſcum,magnáq; impleſtis tartara præda,
Surgere iam mundo Vatum prædicta uidetis
Sæcula reſponſis,aſtu quibus improba nobis
(Credite)pernicies & uincula dura parantur.
Ingruit unus homo nobis,timor acer Auerni,
Aut hominis tectus facie Deus(hoc reor unum)
Secum hominem ut rapiat manes uenturus ad imos,
Laturusq; malum nobis:monſtratur apertis
Tot ſignis.nimium ſunt omnibus omnia nota.
Dicite uim contra tantam quid deniq; habendum
Conſilij,quam noſtra uiam ſors monſtret,ut omni
Congreſſi cura priſcos ſeruemus honores.
Continuo inſurgit non æqua mente Taractes
Sic contrà,O proceres,& Auerni maxime rector,
Quid fruſtra hanc operam & durum tentare laborẽ
Conuenit?unde lues ingens,iterumq; ſequetur
Dedecus haud paruum. Nónne hæc quæ maxima ſigna,
Nónne huius uires,quem contra tendimus omnes,
Nóuiſtis?taceo reſponſis ſæcula Vatum
Prædicta,& ſummi portenta minantia cœli.
Nos quantum unus homo,aut qui hominem Deus induit,urget,
Scitis.& ex hominum quanta nos corporibus ui
Eijcit infenſus,quanta formidine turbet.
Pulſi alij ueniam poſcunt,iuſſiq; tacere,
Effugiunt.triſtes alij decedere ad umbras.

Coguntur,ſupplexq́; acies heu noſtra precando
Accedit,turpésq; uiris eiecta duobus
Mittitur in porcos. Animas,uelut imperat ille,
Artus in gelidos iterum ex Acheronte *reduxit.*
Exigua,quæ quinq; uiris non ſufficit,eſca
Sæpe hominum(ut uidi metuens)tot millia pauit,
Bis centum fragmenta uiris reſtantia menſæ
Sufficerent. Cæci & claudi mutiq; repente
Lucem oculis,& uim pedibus,munúsq; loquendi
Accipiunt. Lapſam uidi,nouiq;' columbam
Ad Iordanis *aquam, audiuiq;* Deum *ipſe loquentem.*
Quid iubar ipſius dicam,uultúsq; flagrantes?
Tres lecti comites norunt,nouitq; Taboris
*Altus apex:*Moſes *Acherontis limine miſſus,*
Miſſus & auroræ Helias *felicibus hortis*
*Numen adorabant:*Pater *æthere ſummus in alto*
Aſtabat,prolémq; ſuam per inane uocabat.
Nos contra unius uires,manifeſtáq; miris
Numina tot ſignis,qua ui,quo proderit aſtu
Tendere,non uideo,tantæq; occurrere peſti,
Tutariq; decus:uentum eſt ad culmina rerum.
Noſtro impunè iugo totum ſubmiſimus orbem
Quondam uictores,& nigra ad tartara prædam
Veximus ingentem,& longo regnauimus æuo.
Aduenere dies,quibus hoſtis rector olympi
Nos terret,qui res paſſus ſuccedere noſtras
Tempore tam longo,uim nobis auferet omnem,

Regnáq;, & antiquos, qui iam labuntur, honores.
Nos orbe ex toto ſi quid molimur, ad umbras
Deijciet, terræq; premet penetralibus imis.
Illum non ultrà cupientem triſtis Eremnus
Dicere plura ſinit, quo non mortalibus ulla
Pernicies peior, legio cui plurima paret,
Infernæq; acies: ſtudijs ſeu uertere iniquis
Corda uelit, uarijſue animos incendere curis,
Fraudibus inſtructus. Sceleri ducis addidit olim
Se primus, ſecúmq; uocans tot millia traxit
In ſcelus, à ſummo cecidit dum pulſus Olympo.
His contrà memor iſte doli ſic uocibus infit.
Vnde timor tantus, tanta unde ignauia nobis?
Priſcæ ubi nunc artes, ingens ubi gloria noſtri
Imperij? nunc rem labi patiemur inertes?
Non pugnare Deo, non ipſum extrudere cœlo,
Ipſius aut magnas noſtra ui uincere uires
Conamur? Nobis hominum cum gente gerendum
Eſt bellum, prædæ quos omni tempore habemus
Diripere expoſtos, Erebiq; intrudere ad umbras.
Si noſtri impulſu peccant, iraſcitur illis,
Non nobis Deus: & totum iratus ſinit orbem
Miſceri, terrasq; malis turbarier omnes.
Eminet unus homo factis inſignibus, eſto,
Prodigijsq; nouis, uel magnus rector olympi
Vultu hominis tectus, manes qui territet imos:
Ibimus haud ipſi hunc contrà, aut conabimur huius

Frangere congreſſi uires. Non maxima ſigna,
Ardua non opera eſt nobis inhibere poteſtas.
Arte uiam inueni, qua falſo extinguere tantam
Crimine lucem operum, & tantis occurrere rebus
Poſſumus: inueniq; nephas, ſceleriq; paratos
Mille uiros. Omnis, patrio qui præſidet ipſi
Concilio, & Sadducæi diſcordibus omnes
Atq; Phariſſæi ſtudijs, legumq; periti,
Atq; Sacerdotum primi: quos plurima uulgi
Inuida pars ſequitur, corruptam ingentibus ultro
Omnem agitant uitam uitijs: moresq; ſeuera
Fronte pios ſimulant, cupiunt iuſtiq; uideri.
Non faſtus, non ambitio, non ardor habendi
Vllis eſt maior (noſco) nec acerbior ullis
Inuidia. Horum animos odijs multoq; timore
Incendam, uarijs acuens ad crimina curis:
Qui uertant uitio, & magicis dent artibus illa
Omnia, ſupra hominem fuerint quæcunq; ſequuta
Tanta opera: his uulgi implebunt rumoribus aures,
Clarum indignati unius conſurgere nomen,
Expoſcentq; necem. hunc, ſi qua nos poſſumus arte,
Si quibus inſidijs animos urgere, necabunt.
Impia continuò ſedet hæc ſententia cunctis,
Hoc Stygij proceres poſcunt, hoc improbus Orcus
Imperat exultans: fraudumq; repertor Eremnus
Callidus obſcuræ petit arma accommoda nocti,
Dulces melle epulas cum letiferis aconitis,

Atq; Stygis multa & Phlegethontis pocula ſecum
Excipit: & circum tenebris occultus in auras
Exit, mille uocans comites. Tot millia circum
Adſunt, tam ſæuæ facies: furiæq; ſequuntur
Accinctæ colubris crines, durusq; Taractes,
Zelemonq;, Ephedrosq;, trucidatorq; Molobros.
Ciſonem iuxta taciti montemq; Taborem
Feſtinant, cæcaq; diem caligine condunt.
Quales ſola lupi linquentes luſtra feruntur
In prædam, lætoque gregi per rura latentes
Armentoq; parant ſtragem, finesq; pererrant
Agnorum, imbriferæ tecti uelamine nubis.
Vt Chriſti altricem ſpeculati in collibus urbem,
Nazareumq; iugum uidere, per aëra raptim
Conuerſi in miluos tectorum culmina ſupra
Alta uolant, uarios flectentes agmine gyros.
Venerat huc ſummi Patris ſata Virgine proles
Nazarea in patriam, felicis conditor æui
Maximus, in cœtum cunctos dum ſancta uocarent
Sabbata, ſeptenoq; die de more quietem
Eſſe operum certam, & totos ceſſare labores.
Sacraq; concinere, et Vatum reſponſa iuberet
Relligio audire, & legum præcepta referre.
Ipſe ergo in medijs ſpectatus corpore pulchro,
Vultu oculisq; flagrans, & ui clariſſimus omni
Verborum, & læta Diuini luce decoris,
Sacra aſtabat ſcripta legens, Vatumq; docebat

Sancta

Sancta pius monita, & patrum monumenta piorum.
Numine ſe ualido, & ſignis monſtrabat apertis
Affore, quem canerent Vates, quem poſceret unum
Noſtra ſalus, ſtygioq; iugo qui ſolueret orbem.
Culpabatq; ſuæ dictis incredula gentis
Pectora, & ingratos animos, moremq; ſuperbum.
Virtutem attoniti tantam diuinaq; uerba,
Diuinæq; decus lucis mirantur, & artes
Non ſtudio partas. pars indignantur honores
Horum operum, atq; uiro tantas in paupere uires,
Culpariq; dolent miſeri ſua crimina ciues.
Nec mora, ſe medijs furtim demiſſus Eremnus
Infert, parq; dolis Ephedros. furiæq; ſequuntur
Inuiſæ, ſtimulisq; mouent ingentibus iras.
Feruent continuò proceres, legumq; periti
Iniuſtis accenſi odijs, primusq; Bachorus
Concilij, de ſtirpe Sebæ, cui prole perempta
Ieſſæi regis, rurſum dum bella moueret,
Eſt caput abſciſſum, clauſis quod fœmina portis
Victori ſapiens muris deiecit ab altis:
Increpat his dictis animos, acuitq; furorem.
Quæ tanta, ô Ciues, nobis portenta uidemus
Ingruere, indignumq; nephas inimica minari?
Pauperis unde uiri uirtus, qui talia poſſit,
Qualia ſupra hominem nulli uidere priores?
Vnde iſtæ, quas non didicit, quibus eminet, artes?
Hactenus hic noſtra ſine nomine pauper apud nos

Vixit in urbe, alias nuper diſceſſit ad urbes,
Dudum operum huc tanto rediјt manifeſtus honore.
Pauper uterq; parens huius, nouiſtis utrumq;,
Exiguamq́; domum, conſanguineósq; iacentes
Pauperie. Nunc & nos noſtramq́; laceſſit
Criminibus famam, & patriæ decus obruit ingens.
Quid referam? ſummo ſe iactat ab æthere miſſum,
Quem reſponſa canũt; certam ſpem ponimus in quo,
In quo noſtra ſalus, totus cui ſeruiat orbis.
Accelerate, uirum demus de uertice rupis
Præcipitem, tutúsq; ſuo ſe Numine ſeruet
Labentem, eripiatq́; neci (ſi poſſit) acerbæ.
Dixerat hæc, ingens ſurrexit in agmine clamor,
Commoti fremuere animi, uelut impete magno
Cum ſonitu è ſcopulo torrens uiolentior alto
Labitur, & rapidis ad ſaxum frangitur undis,
Aeſtu immane furens, cunctos furor impius urget
In cædem: ac cœli magnum extra mœnia regem
Eijciunt, mundi lucem, pretiumq́; ſalutis.
Dementes, qui tanta Dei non Numina norunt,
Quem fruſtra excelſa tentant detrudere rupe.
Alta in præcipiti ſtat rupes mœnia iuxta,
Montis dorſum ingens, expoſtaq́; tollitur Auſtro
In nubes: ſummoq́; patens in uertice campus
Imminet, atq; herbis incultus agreſtibus horret.
Huc ubi conuenere, ardent ingentibus omnes
Vnà acti furijs circùm, ſceleriq́; parati.

Ipſe oculis vultuq́; flagrat, maiorq́; uidetur
Stans medio, tutumq́; ſuo ſe Numine firmat.
Nec tulit ipſe parens, fuerat ſi fortè paratum
Quid ſceleris, ſanctumq́; malis contingere mundi
Ciuibus haud regem licuit, charumq́; parenti,
Charum cœlicolis. micuit ter numine ſæuo,
Ter tremuere illi: inſinuat ſe mentibus horror,
Attonitiq́; iacent. Quales pallentibus ægri
In tenebris, dum uana premunt inſomnia mentes,
Turbida quas uarijs terrent ſimulacra figuris:
Torquentur, preſſiq́; tremunt ſine uiribus artus.
Ergo inter medios tutus, ceu marmoris inter
Labitur, aut ligni ſtatuas: patriamq́; relinquit
Ingratam incolumis, gentem miſeratus iniquam.
Inde alios fines, externaq́; mœnia rurſum
Beſſædamq́;, Capharnaumq;, urbemq́; Naymain,
Betulamq́; iterum, et Gentem quæ nomina ſeruat
Vrbibus à denis, & quas celeberrimus urbes
Iordanis, paruoq; rigat quas flumine Ciſon,
Plurimaq́; inuiſit Samaritidis oppida terræ.
Vltro ipſi Dominum multis cum laudibus omnes
Suſcipiunt populi, & multo uenerantur honore.
Quam cuncti optantes ægri petiere ſalutem,
Integram accipiunt: ſpecies quæcunq; fuiſſet
Morborum, excedunt duri quicunq; dolores.
Iam uer tranſierat, iam meſſes ſolus iniqui
Torrebat radijs incenſa ardentibus æſtas:

Ibant maturæ ſegetis per rura ſequuti
Ieiuni Dominum comites, culmosq; coacti
Frangere: et attritis paſtus exquirere ariſtis,
Dura inopes urgente fame, penuria rerum,
Cogebat, peterent operum dum ſancta quietem
Sabbata, & in cœtum populos de more uocarent.
Continuò furijs inſtat comitatus Eremnus,
Aſtutoq; Ephedro furtim, turbamq; ſequentem
Conſpicit innumeram latè, legumq; peritos
Murmura iactantes, odio quos ſumma procaci
Gloria torquebat Chriſti, nomenq; per urbes
Diffuſum uarias. Ergo ſe mittit adempto
Tartareo uultu in medios, Abiæq; figuram
Induit annoſi, qui non incognitus eſſet
Interpres legum, regi gratiſſimus olim
Herodi, atq; opibus qui ſe iactaret auitis.
Hos petit, inq; nephas ficto ſic excitat ore.
Nos ſacrum morem, patriæq; uidemus honorem
Excidere, & ſinimus? Noſtrum decus obruit unus,
Vnus homo: feſtoq; die, quem Rector olympi
Vult ſibi ſeruari, uiolat ſanctæ ocia lucis,
Vulgo ægros medicans. hoc qua facit improbus arte,
Neſcimus. Comitesq; huius feſta ſibi paſtum
Luce parant, culmosq; terunt flauentis ariſtæ,
Ingreſſi ſegetes. eſt ſæcli infamia noſtri
Maxima, quam cuncti referant, culpentq; nepotes.
Res dubias regi Herodi, regisq; miniſtris,

Delapſumque uirum cœlo ſe dicere regem,
Agmine quem populi magno gentéſque ſequuntur,
Monſtremus:ſignisque nouis & nomine tanto
Omnia turbare,& regis regníque ruinam
Inſtare ingentem,trepidi,ni talibus obſtent
Incœptis.Sic fatus erat,dum tollitur inter
Iudæos proceres murmur,legumque peritos,
Accenſos furijs diráque cupidine cædis,
Poſcentésque fremunt Diuinæ funera prolis.
Horum inter flammas ſcelerũ mediúmque furorẽ
Ecce aderat,feſtóque die cum fletibus ultro
Cum prece ſtabat homo mœſtus,dextræq; petebat
Auxilium extinctæ:cuius uim perdidit omnem
Cæmenta & calcem exercens,dum forte pararet
Victum,opera tali attritus duroq; labore.
Inſurgunt proceres contrà,legumq; periti
Iniuſtis accenſi odijs , Dominoq; furentes
Obiectant culpam comitum,flauentis ariſtæ
Frangentum culmos,uiolatæq; ocia lucis.
Ficti iterum quærunt,ſanctæne quietis honore
Seruato liceat curam exercere medendi.
Quos contra ſummi Genitoris filius infit,
Purgator ſcelerum,mentes qui nouit opertas.
Concipite has miſeri noſtras melioribus omnes
Res animis,tantúmque leues non fingite crimen,
Dedignati æquúmq; palàm uerúmque fateri.]
Non labor hic comitũ nõ ipſa hæc culpa meorum eſt,
Qua

Qua requies ſancta, & lucis uiolentur honores.
Obſeruare Deus feſtæ dedit ocia lucis,
Ipſum ut mortales, ipſius ut omnia totis
Facta animis, ut ſummum operum tueantur honorem,
Virtutiq; uacent, linquantq; negocia rerum.
Non leges, non phas, ultra procedere uires
Iuſſere. In ſacris fieri dat plurima templi
Relligio, & fieri ſine crimine cogit egeſtas
Plurima. Sunt etiam, præſens quæ caſus adurget.
Agnos in templo geminos de more ſacerdos
Cædit, uiſceribusq; parat non impius ignes.
Ieſſæum ſociosq; fames aſſumere paſtus
Dura inconceſſos olim, Cereremq; dicatam,
Hæc eadem comitesq; meos confringere culmos,
Et uictum attritis captare ſubegit ariſtis.
Quin agite, incenſisne licet ſuccurrere tectis,
Vicinasq; domos tutari incendia contra?
In medióne freto remos ſurgentibus undis
Contra hyemes agitare manu, pecorine mederi
Conceſſum, puteoq; pecus ſubducere lapſum?
Nulla Deo lucis requies, nulla hoſtia tantum
Grata, inopes quantum pietas quæ reſpicit, & quæ
Succurrit miſeris, qui morbo aliisq; premantur
Caſibus. hanc nunquam phas exercere recuſat,
Deſpexiſſe nephas. Ergo nunc ægram age dextram
Tolle, & opem quam poſcis, habe: tibi quã ipſe ſalutis
Author ego (haud dubita) do, feſtæ lucis & author,

Supremiq́; genus Patris ſata uirgine proles.
Paruit, arentemq́; manum ſimul extulit ille.
Hæc ſimul incaluit, ſenſu cum uiribus humorem
Accipiens, digitisq́; micat ſublata repente.
Continuò factumq́; Dei *pia laudibus una*
Pars ornare nouum, pars æmula tollere murmur,
Sabbata contemni clamant, ſanctamq́; quietem.
Ecce uirum fili interea chariq́; trahentes
Adſunt cum fletu & mœſtis per plurima uulgi
Agmina cũ lachrymis: cui mentẽ Acherontis Erinnys
Turbaret rabie, & totos penetraret in artus,
Lucem oculis, uocisq́; obſtructis auribus uſum
Eripiens, ſenſusq́; furens confunderet omnes.
Illum ut anhelantem, furijsq́; infanda frementem
Membraq́; iactantem coràm ſtatuere propinqui:
Dura, iubente Deo, Cocyti *peſtis & omnis*
Exceſſit rabies: patefactæ protinus aures,
Reddita lux oculis, ſubitò uox reddita linguæ eſt.
Obſtupuitq́; metu mentem percuſſus Eremnus,
Zelemonq́;, Ephedrosq́;, *trucidatorq́;* Molobros,
Continuò in latebras trepidi ceſſere retrorſum.
Ille Deo *ſtat agens grates, uocemq́; ſoluta*
Ingeminat rumpens diuturna ſilentia lingua:
Et rerum aſpiciens formas miratur, & altum
Aethera, ſtelliferiq́; decus miratur olympi,
Omniaq́; ardenti luſtrantem lampade ſolem.
Innumeras audit uoces, dum tollitur ingens.

Spectan-

Spectantum plauſus, laudéſque ſub aſtra ferentum.
Exarſere odijs proceres, legúmq; periti,
Laudibus aduerſi, factique inſignis honori,
Mente nephas agitant. Miranti prodere turbæ
Non audent, animo quæ ſecum indigna uolutant
Atroces, ipſum magico depellere cantu,
Viq; ducis Stygij manes, ægriſq; mederi,
Humana ignotis terrentem pectora ſignis.

Ipſe autem extemplo, qui mentem agnouit opertā,
Tantum animo, ô miſeri, ſceleris quid uoluitis? inquit.
Non alios conſueti alij depellere manes.
Vno omnes animo iuncti, paribuſq; nocendi
Humano generi ſtudijs, & uertere terras
Coniurati omnes. Socia ut collecta latronum eſt
In ſyluis acies, ualeat per deuia ſi quos
Excipere errantes, opibuſq; extinguere raptis,
Vna poteſtatem Stygiæ concordia gentis
Continuit duram, quæ phas tot ſecula preſſit
Antiquum, toto exercens regna impia mundo,
Compreſſuque iugo terras. ſed nunc uenit ætas
Cognita tot Vatum monitis, qua debita uobis
Cœleſtis ſoboles magnis cum uiribus adſit,
Quæ uires Erebi franget, maneſq; ſuperbos,
Et dura imperia, & ſoluet iuga triſtia terris.
Virtutem inſtare ex alto, duroſq; fugari
Orcicolas magna deiectos corporibus ui,
Rurſus & ad dirum remeare Acheronta coactos

Cernitis, & regna æternæ conſurgere pacis.
Ipſam hominum gentem ſeruare, ægriſq; mederi,
Non labor hic Orci, magicæ non hoc fuit artis,
Sed ſummi genitoris opus. Mortalibus Orcus
Officit, aſſuetus placidam turbare quietem:
Bella ſerit, magnoſq; metus, morboſq;, necemq;,
Infernis totum lacerans prædonibus orbem.
Quid uetitæ potuere artes? Spectantur inanes
Vi magica rerum ſpecies, mentitaq; ludunt
Signa oculos: mugire umbræ, curſuq; morari
Flumina mutato, & denſæ diſcedere ſyluæ,
Et cœlum allabi uiſum, uertique retrorſum.
Supra homines, ſupra manes opera omnia noſtra.
Non uana hæc: claudi, & cæci, mutiq; repente
Vim pedibus, lucemq; oculis, munuſq; loquendi
Accipiunt: rurſumq; calent redeuntibus artus
Algentes animis ſubito ex Acheronte reductis.
Morbi abeunt, abeunt, fuerint quicunq; dolores,
(Credite) non alio ſummi quàm Numine Olympi.
His furor incendit maior præcordia dictis,
Triſte fremunt, conati odium prætexere fruſtra:
Conſilioq; dolos agitant, ſi fallere poſſint,
Ficto animo ingreſſi, ut cœli certis ſua monſtret
Numina portentis: repetunt, quæ ſigna ſequuta
De cœlo quondam: flammas hic iuſſit ab alto
Allabi, atq; alius pluuias æſtate ſerena
Cum tonitru, retroq; alius Titana referri.

Stare

Stare diu orbe.alius medio,lucemq́; quadrigis
Produci immotis,ex alto alius dare paſtum
Aethere.quos contrà affatur ſic Rector olympi,
Quid uaria tantum uos diſſimulare neceſſe eſt
Arte nephas?illis nil factum ex omnibus olim
Me ſine portentis.Iam uobis noſtra uidere
Signa datum, optarunt ueſtri quæ plurima quondam,
Et cecinere Patres,licuit quos ſcire futura.
Vltima Vatis adeſt ſeptenis partibus ætas
Digeſta,obiectum quem non læſere leones.
Sub Ducibus ueſtris multos ſub Regibus annos
Regnatum,externumq́; iugum iam ferre coacta eſt
Iudæa,externo infelix iam ſubdita regi
Amiſit regnum.Natali gaudia noſtro
Cœlicolæ cecinere ipſi,noua duxit ab ortu
Stella Magos,regesq; timor ſæuire coëgit.
Pridem audita Dei cœlo uox lucida aperto,
Progeniem affati,lapſumq́; ſub alite numen
Ad Iordanis aquas.monſtrauit in agmine multo
Indice ſpem ueſtram Vates,preciumq́; ſalutis.
Scire etiam eſt geminis hominum tot millia paſta
Piſcibus,& Cerere exigua,quàm multa relicta
Fragmenta.Hinc claudi & cæci mutiq́; repente
Vim pedibus,lucemq́; oculis,munusq́; loquendi
Accipiunt:rurſumq́; calent redeuntibus artus
Algentes animis.Vos ſigna uidebitis olim
Triſtia,pallenti ſolem ſe nocte tegentem

Horrentemq́; nephas ueſtrum,radijsq́; nigrantem
Germani Lunam amiſſis,terramq́; trementem:
Dum manibus ueſtris ſceleris cadet hoſtia ueſtri,
Cœleſti genita humanoq; à ſemine proles:
Treisq́;,dies condetur humo,uitamq́; reſurgens
Accipiet,lætis Oriens quum tertius orbem
Rurſum inuiſet equis. Qualis diuinus Amathi
Aequoris in medijs ſubmerſus filius undis,
Quem pelagi uaſto depaſta eſt bellua hiatu,
Et terræ incolumem,effulſit lux tertia quando,
Reddidit,& ſicca ſeruatum eiecit arena.
Aethere per noctem toto concurrere turmas
Supra urbem horrentes uideo,ſydusq́; cruentum
Cuſpidis in morem,& flammam circundare templũ,
Mœniaq́; excindi,populumq́; expendere pœnas.
Vltro aderunt ueſtris,cœli ne quærite ſigna,
Debita commiſſis,ultrixq́; inſtabit Erinnys,
Mundi extrema dies dum uenerit,horrida ubique
Multa ferent portenta metus:quum deficiet ſol,
Lunaq́; caligans,cœlo labentibus aſtris,
Extremæq́; ferent flammæ omnia,rurſus & omnes
Corpora ſe referent animæ in ſua. Non erit olim,
Qui lateat,ſponte in lucem delicta ferentur.
Recta recuſantes hunc ultrà audire docentem,
Inuidia furijsq́; fremunt maioribus omnes.
E fornace uelut rapida dum tingitur ardens
Maſſa lacu,furit æſtus aquis cum murmure multo,

Obſcu-

Obſcurusq́; uapor ſtruentibus euolat undis.
Ergo inter ſe agitant duri, poſſint quibus ipſum
Perdere conſilijs, & clarum extinguere nomen
Ipſius. hinc regem Herodem, regisq; miniſtros
Vnà adeunt inſenſi omnes, odia atra metumq́;
Vt rerum nouitate ſerant, & plurima paſſim
Crimina mentiti referant, cauſasq́; necandi.
Dementes, qui tale Deum neſcire putarent
Conſilium occultum, fraudesq́; latere paratas.
Ipſe ſuo ſummus qui dirigit omnia Rector
Numine, & antè uidens certus non omnia neſcit,
Se, procul ingratæ gentis regione relicta,
Ad fines alios referens, aliosq́; receſſus
Digreditur, magnorum operum præclarus honore.
Iam flauam Cererem Cancri ſol proximus aſtro
Torrebat, gemina inuectus per ſydera curru:
Annua cum ſancta patrum ſeruata rediret
Relligione dies, qua legem acceperat olim
De cœlo populus. primis qua frugibus agnos
Cum uitulo oblatis mactans de more ſacerdos,
Pacem exorabat, temploq́; ferebat honorem.
Huc urbem ad Solymam, & ſummi delubra parentis,
Ex agris celerant, totis ex urbibus omnes
Iudææ gentes, fluit huc regio agmine tota,
Atq; ſoluturi cum lætis uota maniplis
Vndiq; maturæ ſegetis coguntur agreſtes.
Huc comites ducens inopes ſine nomine ſecum,

Frangere congreſſi uires. Non maxima ſigna,
Ardua non opera eſt nobis inhibere poteſtas.
Arte uiam inueni, qua falſo extinguere tantam
Crimine lucem operum, & tantis occurrere rebus
Poſſumus: inueniq; nephas, ſceleriq; paratos
Mille uiros. Omnis, patrio qui præſidet ipſi
Concilio, & Sadducæi diſcordibus omnes
Atq; Phariſſæi ſtudijs, legumq; periti,
Atq; Sacerdotum primi: quos plurima uulgi
Inuida pars ſequitur, corruptam ingentibus ultro
Omnem agitant uitam uitijs: moresq́; ſeuera
Fronte pios ſimulant, cupiunt iuſtiq; uideri.
Non faſtus, non ambitio, non ardor habendi
Vllis eſt maior (noſco) nec acerbior ullis
Inuidia. Horum animos odijs multoq́; timore
Incendam, uarijs acuens ad crimina curis:
Qui uertant uitio, & magicis dent artibus illa
Omnia, ſupra hominem fuerint quæcunq; ſequuta
Tanta opera: his uulgi implebunt rumoribus aures,
Clarum indignati unius conſurgere nomen,
Expoſcentq́; necem. hunc, ſi qua nos poſſumus arte,
Si quibus inſidijs animos urgere, necabunt.
Impia continuò ſedet hæc ſententia cunctis,
Hoc Stygij proceres poſcunt, hoc improbus Orcus
Imperat exultans: fraudumq; repertor Eremnus
Callidus obſcuræ petit arma accommoda nocti,
Dulces melle epulas cum letiferis aconitis,

Atq; Stygis multa & Phlegethontis pocula ſecum
Excipit: & circum tenebris occultus in auras
Exit, mille uocans comites. Tot millia circum
Adſunt, tam ſæuæ facies: furiæq́; ſequuntur
Accinctæ colubris crines, durusq́; Taractes,
Zelemonq́;, Ephedrosq́;, trucidatorq́; Molobros.
Ciſonem iuxta taciti montemq́; Taborem
Feſtinant, cæcaq́; diem caligine condunt.
Quales ſola lupi linquentes luſtra feruntur
In prædam, lætoque gregi per rura latentes
Armentoq́; parant ſtragem, finesq́; pererrant
Agnorum, imbriferæ tecti uelamine nubis.
Vt Chriſti altricem ſpeculati in collibus urbem,
Nazareumq́; iugum uidere, per aëra raptim
Conuerſi in miluos tectorum culmina ſupra
Alta uolant, uarios flectentes agmine gyros.
Venerat huc ſummi Patris ſata Virgine proles
Nazarea in patriam, felicis conditor æui
Maximus, in cœtum cunctos dum ſancta uocarent
Sabbata, ſeptenoq́; die de more quietem
Eſſe operum certam, & totos ceſſare labores.
Sacraq́; concinere, et Vatum reſponſa iuberet
Relligio audire, & legum præcepta referre.
Ipſe ergo in medijs ſpectatus corpore pulchro,
Vultu oculisq́; flagrans, & ui clariſſimus omni
Verborum, & læta Diuini luce decoris,
Sacra aſtabat ſcripta legens, Vatumq́; docebat

Sancta pius monita, & patrum monumenta piorum.
Numine ſe ualido, & ſignis monſtrabat apertis
Affore, quem canerent Vates, quem poſceret unum
Noſtra ſalus, ſtygioq; iugo qui ſolueret orbem.
Culpabatq; ſuæ dictis incredula gentis
Pectora, & ingratos animos, moremq; ſuperbum.
Virtutem attoniti tantam diuinaq; uerba,
Diuinæq; decus lucis mirantur, & artes
Non ſtudio partas. pars indignantur honores
Horum operum, atq; uiro tantas in paupere uires,
Culpariq; dolent miſeri ſua crimina ciues.
Nec mora, ſe medijs furtim demiſſus Eremnus
Infert, parq; dolis Ephedros, furiæq; ſequuntur
Inuiſæ, ſtimulisq; mouent ingentibus iras.
Feruent continuò proceres, legumq; periti
Iniuſtis accenſi odijs, primusq; Bachorus
Concilij, de ſtirpe Sebæ, cui prole perempta
Ieſſæi regis, rurſum dum bella moueret,
Eſt caput abſciſſum, clauſis quod fœmina portis
Victori ſapiens muris deiecit ab altis:
Increpat his dictis animos, acuitq; furorem.

Quæ tanta, ô Ciues, nobis portenta uidemus
Ingruere, indignumq; nephas inimica minari?
Pauperis unde uiri uirtus, qui talia poſſit,
Qualia ſupra hominem nulli uidere priores?
Vnde iſtæ, quas non didicit, quibus eminet, artes?
Hactenus hic noſtra ſine nomine pauper apud nos

Vixit in urbe, alias nuper diſceſſit ad urbes,
Dudum operum huc tanto rediјt manifeſtus honore.
Pauper uterq; parens huius, nouiſtis utrumq;,
Exiguamq́; domum, conſanguineósq; iacentes
Pauperie. Nunc & nos noſtramq́; laceſſit
Criminibus famam, & patriæ decus obruit ingens.
Quid referam? ſummo ſe iactat ab æthere miſſum,
Quem reſponſa canũt; certam ſpem ponimus in quo,
In quo noſtra ſalus, totus cui ſeruiat orbis.
Accelerate, uirum demus de uertice rupis
Præcipitem, tutúsq; ſuo ſe Numine ſeruet
Labentem, eripiatq́; neci (ſi poſſit) acerbæ.
Dixerat hæc, ingens ſurrexit in agmine clamor,
Commoti fremuere animi, uelut impete magno
Cum ſonitu è ſcopulo torrens uiolentior alto
Labitur, & rapidis ad ſaxum frangitur undis,
Aeſtu immane furens, cunctos furor impius urget
In cædem: ac cœli magnum extra mœnia regem
Eiјciunt, mundi lucem, pretiumq́; ſalutis.
Dementes, qui tanta Dei non Numina norunt,
Quem fruſtra excelſa tentant detrudere rupe.
Alta in præcipiti ſtat rupes mœnia iuxta,
Montis dorſum ingens, expoſtaq́; tollitur Auſtro
In nubes: ſummoq́; patens in uertice campus
Imminet, atq; herbis incultus agreſtibus horret.
Huc ubi conuenere, ardent ingentibus omnes
Vnà acti furiјs circùm, ſceleriq; parati.

Ipſe oculis uultuq; flagrat, maiorq; uidetur
Stans medio, tutumq; ſuo ſe Numine firmat.
Nec tulit ipſe parens, fuerat ſi fortè paratum
Quid ſceleris, ſanctumq; malis contingere mundi
Ciuibus haud regem licuit, charumq; parenti,
Charum cœlicolis. micuit ter numine ſæuo,
Ter tremuere illi: inſinuat ſe mentibus horror,
Attonitiq; iacent. Quales pallentibus ægri
In tenebris, dum uana premunt inſomnia mentes,
Turbida quas uarijs terrent ſimulacra figuris:
Torquentur, preſſiq; tremunt ſine uiribus artus.
Ergo inter medios tutus, ceu marmoris inter
Labitur, aut ligni ſtatuas: patriamq; relinquit
Ingratam incolumis, gentem miſeratus iniquam.
Inde alios fines, externaq; mœnia rurſum
Beſſædamq;, Capharnaumq;, urbemq; Naymam,
Betulamq; iterum, et Gentem quæ nomina ſeruat
Vrbibus à denis, & quas celeberrimus urbes
Iordanis, paruoq; rigat quas flumine Ciſon,
Plurimaq; inuiſit Samaritidis oppida terræ.
Vltro ipſi Dominum multis cum laudibus omnes
Suſcipiunt populi, & multo uenerantur honore.
Quam cuncti optantes ægri petiere ſalutem,
Integram accipiunt: ſpecies quæcunq; fuiſſet
Morborum, excedunt duri quicunq; dolores.
Iam uer tranſierat, iam meſſes ſolus iniqui
Torrebat radijs incenſa ardentibus æſtas:

Ibant

Ibant maturæ ſegetis per rura ſequuti
Ieiuni Dominum comites, culmosq; coacti
Frangere: et attritis paſtus exquirere ariſtis,
Dura inopes urgente fame, penuria rerum,
Cogebat, peterent operum dum ſancta quietem
Sabbata, & in cœtum populos de more uocarent.
Continuò furijs inſtat comitatus Eremnus,
Aſtutoq; Ephedro furtim, turbamq; ſequentem
Conſpicit innumeram latè, legumq; peritos
Murmura iactantes, odio quos ſumma procaci
Gloria torquebat Chriſti, nomenq; per urbes
Diffuſum uarias. Ergo ſe mittit adempto
Tartareo uultu in medios, Abiæq; figuram
Induit annoſi, qui non incognitus eſſet
Interpres legum, regi gratiſſimus olim
Herodi, atq; opibus qui ſe iactaret auitis.
Hos petit, inq; nephas ficto ſic excitat ore:
   Nos ſacrum morem, patriæq; uidemus honorem
Excidere, & ſinimus? Noſtrum decus obruit unus,
Vnus homo: feſtoq; die, quem Rector olympi
Vult ſibi ſeruari, uiolat ſanctæ ocia lucis,
Vulgo ægros medicans. hoc qua facit improbus arte,
Neſcimus. Comitesq; huius feſta ſibi paſtum
Luce parant, culmosq; terunt flauentis ariſtæ,
Ingreſſi ſegetes. eſt ſæcli infamia noſtri
Maxima, quam cuncti referant, culpentq; nepotes.
Res dubias regi Herodi, regisq; miniſtris,

Qua requies ſancta, & lucis uiolentur honores.
Obſeruare Deus feſtæ dedit ocia lucis,
Ipſum ut mortales, ipſius ut omnia totis
Facta animis, ut ſummum operum tueantur honorem,
Virtutiq; uacent, linquantq; negocia rerum.
Non leges, non phas, ultra procedere uires
Iuſſere. In ſacris fieri dat plurima templi
Relligio, & fieri ſine crimine cogit egeſtas
Plurima. Sunt etiam, præſens quæ caſus adurget.
Agnos in templo geminos de more ſacerdos
Cædit, uiſceribusq; parat non impius ignes.
Ieſſæum sociosq; fames aſſumere paſtus
Dura inconceſſos olim, Cereremq; dicatam,
Hæc eadem comitesq; meos confringere culmos,
Et uictum attritis captare ſubegit ariſtis.
Quin agite, incenſisne licet ſuccurrere tectis,
Vicinasq; domos tutari incendia contra?
In medióne freto remos ſurgentibus undis
Contra hyemes agitare manu, pecorine mederi
Conceſſum, puteoq; pecus ſubducere lapſum?
Nulla Deo lucis requies, nulla hoſtia tantum
Grata, inopes quantum pietas quæ reſpicit, & quæ
Succurrit miſeris, qui morbo alijsq; premantur
Caſibus. hanc nunquam phas exercere recuſat,
Deſpexiſſe nephas. Ergo nunc ægram age dextram
Tolle, & opem quam poſcis, habe: tibi quã ipſe ſalutis
Author ego (haud dubita) do, feſtæ lucis & author,

Supremiq́; genus Patris ſata uirgine proles.
Paruit, arentemq́; manum ſimul extulit ille.
Hæc ſimul incaluit, ſenſu cum uiribus humorem
Accipiens, digitisq́; micat ſublata repente.
Continuò factumq́; Dei pia laudibus una
Pars ornare nouum, pars æmula tollere murmur,
Sabbata contemni clamant, ſanctamq; quietem.
Ecce uirum fidi interea chariq́; trahentes
Adſunt, cum fletu & mœſtis per plurima uulgi
Agmina cũ lachrymis: cui mentẽ Acherontis Erinnys
Turbaret rabie, & totos penetraret in artus,
Lucem oculis, uocisq́; obſtructis auribus uſum
Eripiens, ſenſusq́; furens confunderet omnes.
Illum ut anhelantem, furijsq; infanda frementem
Membraq́; iactantem coràm ſtatuere propinqui:
Dura, iubente Deo, Cocyti peſtis & omnis
Exceſſit rabies: patefactæ protinus aures,
Reddita lux oculis, ſubitò uox reddita linguæ eſt.
Obſtupuitq; metu mentem percuſſus Eremnus,
Zelemonq́;, Ephedrosq;, trucidatorq́; Molobros,
Continuò in latebras trepidi ceſſere retrorſum.
Ille Deo ſtat agens grates, uocemq́; ſoluta
Ingeminat rumpens diuturna ſilentia lingua:
Et rerum aſpiciens formas miratur, & altum
Aethera, ſtelliferiq́; decus miratur olympi,
Omniaq́; ardenti luſtrantem lampade ſolem.
Innumeras audit uoces, dum tollitur ingens

Spectan

Spectantum plauſus, laudéſque ſub aſtra ferentum.
Exarſere odijs proceres, legúmq; periti,
Laudibus aduerſi, factique inſignis honori,
Mente nephas agitant. Miranti prodere turbæ
Non audent, animo quæ ſecum indigna uolutant
Atroces, ipſum magico depellere cantu,
Viq́; ducis Stygij manes, ægrisq́; mederi,
Humana ignotis terrentem pectora ſignis.
Ipſe autem extemplo, qui mentem agnouit opertã,
Tantum animo, ô miſeri, ſceleris quid uoluitis? inquit.
Non alios conſueti alij depellere manes.
Vno omnes animo iuncti, paribusq́; nocendi
Humano generi ſtudijs, & uertere terras
Coniurati omnes. Socia ut collecta latronum eſt
In ſyluis acies, ualeat per deuia ſi quos
Excipere errantes, opibusq́; extinguere raptis,
Vna poteſtatem Stygiæ concordia gentis
Continuit duram, quæ phas tot ſæcula preſſit
Antiquum, toto exercens regna impia mundo,
Compreſſitque iugo terras. ſed nunc uenit ætas
Cognita tot Vatum monitis, qua debita uobis
Cœleſtis ſoboles magnis cum uiribus adſit,
Quæ uires Erebi franget, manesq́; ſuperbos,
Et dura imperia, & ſoluet iuga triſtia terris.
Virtutem inſtare ex alto, durosq́; fugari
Orcicolas magna deiectos corporibus ui,
Rurſus & ad dirum remeare Acheronta coactos

Cernitis, & regna æternæ conſurgere pacis.
Ipſam hominum gentem ſeruare, ægriſq́; mederi,
Non labor hic Orci, magicæ non hoc fuit artis,
Sed ſummi genitoris opus. Mortalibus Orcus
Officit, aſſuetus placidam turbare quietem:
Bella ſerit, magnoſq́; metus, morboſq́;, necemq́;,
Infernis totum lacerans prædonibus orbem.
Quid uetitæ potuere artes? Spectantur inanes
Vi magica rerum ſpecies, mentitaq; ludunt
Signa oculos: mugire umbræ, curſuq́; morari
Flumina mutato, & denſæ diſcedere ſyluæ,
Et cœlum allabi uiſum, uertique retrorſum.
Supra homines, ſupra manes opera omnia noſtra.
Non uana hæc: claudi, & cæci, mutiq́; repente
Vim pedibus, lucemq́; oculis, munuſq; loquendi
Accipiunt: rurſumq́; calent redeuntibus artus
Algentes animis ſubito ex Acheronte reductis.
Morbi abeunt, abeunt, fuerint quicunq; dolores,
(Credite) non alio ſummi quàm Numine Olympi.
His furor incendit maior præcordia dictis,
Triſte fremunt, conati odium prætexere fruſtra:
Conſilioq́; dolos agitant, ſi fallere poſſint,
Ficto animo ingreſſi, ut cœli certis ſua monſtret
Numina portentis: repetunt, quæ ſigna ſequuta
De cœlo quondam: flammas hic iuſſit ab alto
Allabi, atq; alius pluuias æſtate ſerena
Cum tonitru, retroq́; alius Titana referri.

Stare

Stare diu orbe.alius medio,lucemq́; quadrigis
Produci immotis,ex alto alius dare paſtum
Aethere.quos contrà affatur ſic Rector olympi,
Quid uaria tantum uos diſſimulare neceſſe eſt
Arte nephas?illis nil factum ex omnibus olim
Me ſine portentis.Iam uobis noſtra uidere
Signa datum, optarunt ueſtri quæ plurima quondam,
Et cecinere Patres,licuit quos ſcire futura.
Vltima Vatis adeſt ſeptenis partibus ætas
Digeſta,obiectum quem non læſere leones.
Sub Ducibus ueſtris multos ſub Regibus annos
Regnatum,externumq́; iugum iam ferre coacta eſt
Iudæa,externo infelix iam ſubdita regi
Amiſit regnum.Natali gaudia noſtro
Cœlicolæ cecinere ipſi;noua duxit ab ortu
Stella Magos,regesq; timor ſæuire coëgit.
Pridem audita Dei cœlo uox lucida aperto,
Progeniem affati,lapſumq́; ſub alite numen
Ad Iordanis aquas.monſtrauit in agmine multo
Indice ſpem ueſtram Vates,preciumq́; ſalutis.
Scire etiam eſt geminis hominum tot millia paſta
Piſcibus,& Cerere exigua,quàm multa relicta
Fragmenta.Hinc claudi & cæci mutiq́; repente
Vim pedibus,lucemq́; oculis,munusq́; loquendi
Accipiunt:rurſumq́; calent redeuntibus artus
Algentes animis.Vos ſigna uidebitis olim
Triſtia,pallenti ſolem ſe nocte tegentem

Horrentemq́; nephas ueſtrum, radijsq́; nigrantem
Germani Lunam amiſſis, terramq́; trementem:
Dum manibus ueſtris ſceleris cadet hoſtia ueſtri,
Cœleſti genita humanoq; à ſemine proles:
Treisq́;, dies condetur humo, uitamq́; reſurgens
Accipiet, lætis Oriens quum tertius orbem
Rurſum inuiſet equis. Qualis diuinus Amathi
Aequoris in medijs ſubmerſus filius undis,
Quem pelagi uaſto depaſta eſt bellua hiatu,
Et terræ incolumem, effulſit lux tertia quando,
Reddidit, & ſicca ſeruatum eiecit arena.
Aethere per noctem toto concurrere turmas
Supra urbem horrentes uideo, ſydusq́; cruentum
Cuſpidis in morem, & flammam circundare templũ,
Mœniaq́; excindi, populumq́; expendere pœnas.
Vltro aderunt ueſtris, cœli ne quærite ſigna,
Debita commiſſis, ultrixq́; inſtabit Erinnys,
Mundi extrema dies dum uenerit, horrida ubique
Multa ferent portenta metus: quum deficiet ſol,
Lunaq́; caligans, cœlo labentibus aſtris,
Extremæq́; ferent flammæ omnia, rurſus & omnes
Corpora ſe referent animæ in ſua. Non erit olim,
Qui lateat, ſponte in lucem delicta ferentur.
Recta recuſantes hunc ultrà audire docentem,
Inuidia furijsq́; fremunt maioribus omnes.
E fornace uelut rapida dum tingitur ardens
Maſſa lacu, furit æſtus aquis cum murmure multo,
Obſcu-

Obſcuruſq; uapor feruentibus euolat undis.
Ergo inter ſe agitant duri, poſſint quibus ipſum
Perdere conſilijs, & clarum extinguere nomen
Ipſius. hinc regem Herodem, regiſq; miniſtros
Vnà adeunt infenſi omnes, odia atra metumq́;
Vt rerum nouitate ferant, & plurima paſſim
Crimina mentiti referant, cauſaſq; necandi.
Dementes, qui tale Deum neſcire putarent
Conſilium occultum, fraudeſq; latere paratas.
Ipſe ſuo ſummus qui dirigit omnia Rector
Numine, & antè uidens certus non omnia neſcit,
Se, procul ingratæ gentis regione relicta,
Ad fines alios referens, alioſq; receſſus
Digreditur, magnorum operum præclarus honore.
Iam flauam Cererem Cancri ſol proximus aſtro
Torrebat, gemina inuectus per ſydera curru:
Annua cum ſancta patrum ſeruata rediret
Religione dies, qua legem acceperat olim
De cœlo populus. primis qua frugibus agnos
Cum uitulo oblatis mactans de more ſacerdos,
Pacem exorabat, temploq; ferebat honorem.
Huc urbem ad Solymam, & ſummi delubra parentis,
Ex agris celerant, totis ex urbibus omnes
Iudææ gentes, fluit huc regio agmine tota,
Atq; ſoluturi cum lætis uota maniplis
Vndiq; maturæ ſegetis coguntur agreſtes,
Huc comites ducens inopes ſine nomine ſecum,

Sed mox Legatos totis cœleſtia latè
Iuſſa relaturos terris, hominumq; ſalutis
Præcones primos, fœlicis conditor æui
Feſtæ lucis adit ſanctam non inſcius arcem.
Vi ualida, & ualida miſeris præſens ope Numen
Circum quinq; datum Solyma fuit urbe lauacrum
Ingens porticibus, ſacræ prope limina ſedis,
Regum opus antiquum, lectos ex omnibus imbres
Delubri accipiens per longa canalia tectis.
Huc aditus inter torquentes tecta columnas
Vndiq; erant uarij, hic partes circum area in omnes
Protenta, & duro conſtructa ſedilia ſaxo.
Huc ouium lætiq; greges cum pinguibus agnis
Candentiſq; bouis fœtus tener hoſtia multa
Ducitur aſſiduè, ſcelerumq; piacula capri.
Mactare hic pecudes lectas, hic pinguia lymphis
Abluere aſſuetus luſtralibus exta Sacerdos.
Cœlicolûm hos latices medicans riuoſq; ſalubres
Vnus, qui ſeruat medicandi à munere nomen,
Sæpe per incertum uoluebat tempus, & undis
Vim dabat ingentem: morbus qua protinus omnis
Aegri hominis, qui primus aquas tetigiſſet, abibat.
Vim lymphæ hanc medicam paucos cõceſſerat annos
Ante ſui aduentum Nati, & poſt funus acerbum
Abſtulit Omnipotens, cædem indignatus iniquam.
Hic prope aquam ingenti numero circumq; iacebant
Aegri porticibus lecti undiq;, opemq; petebant.

Cœleſti è motu cuncti atq; ſalubribus undis.
Orbi luminibus multi, multiq; pedum ui
Exhauſti, multiq; ſacer fuerat quibus artus
Ignis depaſtus, multi quos arida febris
Depaſta, & papulis elephas quos turpibus ora
Fœdarat, quos & linguæ defecerat uſus,
Quosq; tumens hydrops, et quos ſine nomine morbi
Torquebant alij, unà animis ſe ardentibus omnes
Circum aderant motas primum demittere in undas.
Hos inter longæuus homo pallore ſupremo,
Lecto humili uectus lacera cum ueſte gemebat,
Poſcebatq; ſtipem infelix pia munera gentis.
Membra ſuo reſoluta loco, & neruis labefacti
Diſcluſis membrorum artus, totumq; iacebat
Languore ingenti corpus ſine uiribus ægrum.
Hic opis expectans Diuinæ munus, ad undas
Manſerat incaſſum, & multos conſumpſerat annos,
Tam longum morbum, atq; moræ tot tædia paſſus.
Huc ubi purgator ſcelerum ipſe, datorq; ſalutis
Affuit, hunc animo miſerans petit ocyus ultro,
Curarine uelit tandem, reddiq; ſaluti.
Ille autem lachrymis per mœſta fluentibus ora,
Numinis ignarus tanti, quo certa repente
Auxilia ægroto atq; ſalus optata ferantur,
Multa gemens, tales imo dat pectore queſtus:
Quas ego non curas miſerè, quantosq; labores
Non tulerim hoc ſperans? homines quoscunq; uocaui

Auxi-

Auxilio, ſuperûmq; patrem. nec uota reliqui
Vlla mihi, nullasq́; preces. ſummiſſus & aris
Dona tuli, ut potui æger inops, dum fortè putarem
Nil opis eſſe aliud, ceſſi huc delatus ad undam.
Terq́; decem fruſtra exegi & bis quatuor annos,
Magnum opis expectans diuinæ munus ad undas:
Tam longum morbum, atq; moræ tot tædia paſſus
Omnium egens, miſeramq́; ſtipem pia munera gentis
Implorans. Non uis mihi, qua contingere primus
Poſſim adiutus aquas: nec adeſt, qui tendere dextram
Curet in aduentu diui, dum uoluitur unda.
Hoc primæ acre malum inuaſit me flore iuuentæ,
Perductum ætatem in ſeram. mihi nulla laborum eſt
Annoſo requies, duri iam morte propinqua
Angores, luctusq́; noui ſine fine ſuperſunt.
Reſpicit ipſe, queriq́; ſinit non amplius ægrum:
Surge age, & acceptis iam uiribus accipe lectum.
Numen ineſſe iubet uerbis, dum talia fatur:
Colligit his ſeſe ſubitò uis priſtina dictis,
Oſſaq; conſtrictis neruis firmantur, & artus
Robur in antiquum. Propere tum iuſſa ſequutus
Surgit, lectum humero imponens, templumq́; requirit
(Mirandum dictu) incolumis: noua facta uidentem
Per populum accelerans, uocesq́; ſub aſtra ferentem.
Contrà odio ardentes Solymi, tantoq́; dolentes
Huius honore operis gens inuida, murmure magno,
Certatim ſanctæ uiolarier ocia lucis

Concla-

Conclamant, agitantq; uirum clamore frementes.
Aſt non ille hominum terrore minisq; repreſſus,
Ibo, inquit, lectumq; feram mandata ſequutus
Incolumis: noſtræ ut uoluit, iuſſitq; ſalutis
Ipſe dator. quæruntq;, nephas quis iuſſerit iſtud.
Non noui huius, ait, nomen: turbamq; relinquit,
Et templo deponit onus, partæq; ſalutis
Lectum inſigne locat monumentum in limine primo.
Nauta uelut multas hyemes qui fluctibus egit
Aequoris undoſi, portu iam lætus in alto
Conditur, & remos figens in poſtibus offert
Velaq; Neptuno patri, & magno Melicertæ,
Haud maris in caſus alios rediturus, & undas.
Ipſe autem coràm delubri in limine ſolo
Chriſtus adeſt, celeriq; gradu ſe fortè ferentem,
Lætantemq; uirum ſic admonet. Iſta tuorum
Pœna fuit ſcelerum, inde ſequi meliora memento,
Ne grauius commiſſa luas. Ego, numine cuius
Eſt tibi parta ſalus, duri ceſſere labores,
Sum Chriſtus, ſummi Patris ſata uirgine proles.
Vade age, ne ceſſa terrore minisq; repreſſus,
Dic hominum eſſe Deum memorem, ſperentq; ſalutē.
Sic fatus, numenq; animo uiresq; recedens
Infundit, ſubitò ſacris è ſedibus ille
Iudæos proceres motos inuiſit, & ipſum
Re magna attonitum uulgus: quem quæritis (inquit)
Eſt Chriſtus, Deus ille Deus, ſata Virgine proles,

Supre-

Supremiq́; genus Patris. magno mihi cuius
Numine parta ſalus, cuius iam Numine terra
Impletur, ſceleriſq́; lues purgatur auiti.
Cui genus humanum, cui totus ſeruiet orbis.
Quem metuunt manes (mihi credite) maximus eſt, qui
Nos Erebo eripiet uictor, cœloq́; reducet.
Plura loqui proceres uetuere, ad ſydera uoce
Sublata aduerſi. ter contrà feruidus ille
Laudem extollit opusq́; Dei, ter dura minantur
Supplicia infenſi. tum furtim exultat Eremnus
In medijs, & atrox Ephedros, diræq́; ſequuntur
Eumenides, ſtimuliſq́; mouent ingentibus iras.
Sæpe domum ut modicus ſi primùm corripit ignis,
Perq́; trabes primas ingens ad culmina fertur,
Nigrantem eructat nebulam, diffuſaq́; totis
Euoluunt rapidi tectis incendia uenti.
Ipſi ergo proceres ſecum legumq́; periti
Vnà agitāt taciti, Chriſtū aut quibus artibus, aut qua
Vi teneant, tradantq́; neci. mortalibus iſta
Poſſe fuit uerſare nephas audacia tantum.
Præſcius ipſe alios (neq; adhuc conceſſerat illum
Eſſe diem, ſceleris quo concidat hoſtia noſtri)
Inuiſit populos, odijsq́; incœpta refugit
Conſilia, ad terramq́; tulit Samaritida ſeſe.
Eſt cuius mons in medio (gens illa Garizim
Appellat) palmis felix & gramine multo,
Mons ſacer, & cultu magnorum inſignis auorum.
Vene-

Venerat huc ductis pecudum tot millibus olim,
Dum ſocerum fugeret, multa cum prole reuertens
In patriam: tectumq́; iugo conſtruxerat alto,
Prædia mercatus, fontemq́; effuderat agro
In puteum, Iſaaci natus. quò paſtus ad undas
Grex ouium, quò tota domus, quò Sicharis ibat.
Ille locum ſacris iuxtà delegit, & aris
Sæpe Deo poſitis dignos adoleuit honores.
Hoc quoq; ſacra loco proles moremq́; parentis,
Ipſaq́; poſteritas ſancto per ſecula cultu
Seruauit: rerum donec mutauerit ætas
Sæpe uices, regioq́; externis ceſſerit armis.
Hanc gentem Aſſyrij Mediq; in uincla ſubactam
Sedibus egere, & ſecum ſua ſacra deosq́;
Induxere: ſinit non talia Rector olympi,
Morbi immiſſa lues ultrix, quæ funere diro
Sontes corriperet uulgo, ſæuiq́; leones
Immiſſi ultores, qui corpora ſola necarent
Humana impaſti. Ergo illi tot cladibus atris
Impulſi, ueteres aras in monte reponunt.

CANDIDO LECTORI.

Hactenus Roſſetus. quem niſi mors nobis eripuiſſet, emendatiora & perfectiora haberemus. Hoc interim qualecunque eſt candide Lector, boni æqui facies. Eſt certè hoc opus non ab ipſo Authore ſatis emendatum, nimirum morte prærepto. Emendaturus tamen, ſi licuiſſet, erat. Fruere igitur eo, quod quamlibet imperfectum, perire non debuit.

AD ILLVSTRISSIMVM VIRVM
Ioannem Godonem Equitem, Grauienæque Dominum, ac primarium Regis Conſulem, Paſcaſius Syluanus.

Ingenio ſuperas, quos regia purpura ueſtit,
Gallorum primis Conſul in ordinibus.
Omnibus auxilium, præſtas quibus aſpera res eſt:
Da, tibi ſim ſtudio, ſim ſine fine cliens.
Ornatumq; legas Roſſeti Carmine Chriſtum,
Nil, tibi quod poſſit gratius eſſe, leges.

Ad And. Morellum Caſtrelirianum, H. Suſſannæus.

Docte Morelle leges Roſſeti nobile Carmen,
Inuitat tituli nobilitate Liber.
Tum titulo reſpondet opus. ſe in littore nemo
Vidit, ut hoc uiſus Carmine Chriſtus erit.

Ioannes Manicurtius Morinus, ad Franciſcum Margatium Aurelium.

Diſcito Margati Chriſtum cognoſcere, Chriſto
Roſſetus dignum (ne fuge) Carmen habet.
Quippe Iouem, taurum, & nugas cecinere Poetæ:
Hic pia, ſed ſummi ſacráque regna Dei.
Quique decet propria iuuenésq; ætate ſenésque
Cultus, non ficta relligione canit.
Hunc igitur, quæſo, puer amplexare Poëtam,
Qui dabit ætherea proſperitate frui.

AD ILLVSTRISSIMVM ET EXCELLENtiſſimum Franciæ Cancellarium

Antonium à Prato, Petri Roſſeti Poetæ laureati, Paulus, de laboribus beatiſſimi Apoſtoli.

ORdiri uarios mihi mens incenſa labores
Herois, poſuit qui corda furentia quondam
Cœleſti iuſſu, moremq́; reliquit auitum.
Vim maris irati quoties, quàm dira ſuorum
Eſt odia expertus, læti dum nuncius æui
Tot terris ultro erraret: quid limina uinctus
Aeneadum, & ſummum petijt quo funere cœlum,
Expediam. Tu cui cœli bis regna uidere
Ardua permiſſum, terræq; inuiſere fines,
Dic age, quid toties tantis exarſerit in te
Effera gens odijs, quæ non cœleſtibus ullis
Prodigijs mota eſt: penitus dum ingentibus omnem
Pro meritis parat iſta tibi pœnamq́; necemq́;:
Teq́; per innumeras gentes, populosq́; per omnes
Incuſans ſequitur, paſſimq; inimica fatigat.

Hæcne odij uis illa fuit, cui defuit omnis
Creſcendi modus, effecta eſt quæ tempore maior?
Gens furijs Iudæa dolens ingentibus olim
Infremuit, Solymo in templo dum maximus heros
Poſt uarios caſus aderat, poſt multa reuerſus
Effugia, atq; Deum ſupplex in uota uocabat.
Ecce uirum primi ut norunt, ſuccurrite, clamant:
Quid ſtatis Solymi? non ſtandum urgente ruina,
Nunc prohibete nephas, ariſq; auertite labem
Immundã: hic ſcelerũ author adeſt, hic uertere ſacra,
Hic ueterum tendit cultus abolere parentum.
Sic illi tantum, ſubitò uox acta per aures
Intonat, & cunctos dijs uulgo inſperſa ſiniſtris
Hinc atq; hinc Solymos mouet. haud mora, dẽſius alto
Vndiq; perq; uiam, atq; domos diſcurritur omnes
Murmure. Fit ſtrepitus late, tectiſq; relictis
Erumpunt, ſceleriq; (nephas) non abfuit atro
Sacrorum antiſtes, palmis effringere ueſtem,
Inſtantiſq; animos dictis incendere turbæ.
Prò ſcelus ô ciues (inquit) poſt talia uiuet,
Et patrum legem, & templi uiolarit honorem,
Sacratis alienam adytis inducere gentem
Auſus? nunc agedum det pœnas impius, ultro
Obijcit hũc (equidẽ haud fallor) Deus ipſe necãdum.
Acrior his dictis omnes ſimul occupat ardor,
Ardor, cædendiq; uirum mens omnibus una.
Vndiq; circunſtant, alijſq; ad funera uoce

Dant

Dant animos alij, coguntq́; horrore morantes.
Non adeo inſuetus Lapithis, qui prælia miſcent
Nubigenas contra: Geticis non matribus, Orphea
Quæ laniant: non mille lupis, qui ſepta fatigant,
Inceſſit furor. Extendunt ad colla lacertos,
Et medij inſontem trudunt de limine templi:
Non habet ira modum, longe pelluntq́;, premuntq́;,
Et ſtrepitum ingeminant omnes: ferit æthera clamor,
Clauditur, inceſtent aras ne funera, templum.
Iam medio in leto ſcelerata à gente tenetur
Chriſtigenûm decus, & fidei ſpes maxima noſtræ,
Et iam ſaxa parant, aptantq́; ad uulnera dextras.
Nuncius interea Lyſiam clamore Tribunum
Excitat, & totam penitus miſcerier urbem,
Inſontemq́; ad fata rapi demonſtrat. & ipſe
Mox ſonitum ſenſit, ſtipatus milite multo
Ocyus ad turbam caſtris feſtinat apertis.
Et procul è triuio, tanta eſtne audacia uobis?
Iuſtitiæ quid habet rabies tam dira? quid ipſi
Quæritis, ô miſeri? quò uos inſania pellit?
Sancta Sacerdotes tueantur templa, domumq́;
Vulgus alat, nos lege reos damnabimus æqua.
Sic ait, & medijs ſeſe trepidantibus infert,
Atq; inter medios ſtricto ruit enſe, uiamq́;
Expedit irrumpens, turbamq́; exterret inermem,
Et manicis ligat inſontem progreſſus: at ille
Præſenti elapſus de cæde, potentibus armis

Affari à ſummis gradibus ſic incipit heros.
Eſte boni uos ô Ciues, quid tenditis ipſi
Me contra? ſum Iudæus, quem nobilis illa
Vrbs aluit Cilicum Tarſos: docuitq́; parentum
Gamaliel leges, colui quas ſedulus olim:
Protexiq́; puer (neq; enim neſcire poteſtis)
Incœpit Chriſti quum primum ſurgere nomen:
Chriſtigenas rapui, & uinctos ad funera traxi,
Tecta per & uicos, & per deſerta latentes
Quæſiui, cæcisq; acerrimus è ſpeluncis
Corripui innumeros, pœnæq́; neciq́; daturus:
Primatum iuſſu uobis ego teſtibus ipſis
Vim comitum contra aſſumpſi, petijq́; Damaſcum,
Chriſtigenæ Solymam ut uincti traherentur ad urbē.
Iamq; propinquabam, atq; urbis uicina tenebam
Rura uiam accelerans, turres ac tecta uidebam.
Ecce noua ardenti, & cædem ſine more paranti
Effulſit lux uiſa mihi, ſtupor incidit ingens:
Lapſus equo iacui, uox eſt audita per auras.
Quis tantus te Saule, furor non uiribus æquis
Impellit noſtri ignarum concurrere cœlo?
Aſpice, ſum Chriſtus: ſenſus, quæ nubila uelant,
Eripiam, pulsáq; dabo caligine lucem,
Arcanum ut uideas: ſed tu ſuccede Damaſco,
Hic tibi, quid facias, Vates, cui promere noſtrum
Conſilium dedimus, perfuſus Numine dicet.
Dixerat, & ſecum multa me luce iacentem

Aethera per liquidum tulit, atq; euexit Olympo.
Effari ſi phas homini foret, omnia uobis,
Quæ uidi, exequerer, nequeunt ſpectacula dici;
Diuorum uidi loca luce micantia late,
Multiplicesq; choros, hauſi modulamina cantus.
Cœleſtum ſupra aſtra plagis ſpaciatur in altis
Mens mea, Diuinis dapibus ſatiata, Penates
Cui ſummos licuit, cœliq; arcana tueri.
Vt me labentem, mecumq; inſueta loquentem,
Et radijs ſeptum ſocij uidere ſerenis,
Obſtupuere, pauorq; animos excuſſit. at illi
Collapſum excipiunt ſubitò, portantq; Damaſcum
Sermonum expertem mœſti, uiſuq; carentem.
Hic Cereris triduo, & laticis mihi defuit uſus,
Me monitis pius Annanias cœleſtibus ultro
Reddidit incolumem, docuitq; oracula Vates.
Poſt uarios caſus, cædisq; pericula tandem
Huc ueni, adſtabam ſupplex altaria iuxta,
Ecce iterum mihi uiſa Dei redeuntis imago
Effundit tales clara inter nubila uoces.
Huc ades incaſſum, ô Saule, ingrataq; ſalutis
Expectas in ſtirpe ſuæ. Quod iuſſimus olim,
Aſpice. phas, genus in noſtras tibi ſubdere leges
Externum. Hac cœpi ſtupefactus uoce profari,
Hosne adeo duros rear, ut ceſſiſſe ſalubres
Ad cultus me, Chriſte, tuos ſine numine credant?
Quandoquidẽ uulgo innumeros ego, teſtibus illis

Chriſti-

Chriſtigenas rapui,uinctosq́; ad funera traxi.
Quũ premerent Stephanũ,inſtabã, ueſtesq́; necãtum
Seruabam,magnoq́; animos clamore iuuabam.
Si uero iubeas,equidem tua maxima iuſſa
Exequar,& Solymis uiſam longinqua relictus.
Altius in cœlum ſublatus plura uolenti
Dicere clamor obeſt,animisq́; incenditur ira.
Pars ueſtes lacerant,pars iactu pulueris auras
Infenſi denſant:ſcelus heu ſupereſſe nephandum,
Vox eadem cunctis,pœnasq́; necemq́; repoſcunt
Vnius inſontis,flagrant cupidine cædis.
Haud fruſtra Lyſias tantos inſtare tumultus
Poſſe putat,ſubitò captum ſublimia duci
Intra caſtra iubet,coram cogatur ut arctis
Extortus uinclis,& uerbere cæſus iniquo,
Quæ tanta in Solymos fuerint commiſſa fateri.
Et iam multa ſuper quæſiuit,& inſcius ultro
Audijt,hunc ubi ſed dura inter uerbera ciuem
Romanum didicit,ſecum perterritus hæret,
Et talem in miſero euentum ſtupet. haud mora capto
Vincula laxari,cædemq́; inhibere cruentam,
Et uulgi iubet urgentem diſcedere turbam.
Sol primo terram cœlumq́; retexerat ortu
Poſterus,Eoosq́; Venus dimiſerat ignes,
Quum Lyſiæ accitu uenere,exercet acutæ
Quo:ternum Sophiæ genus. Ad certamina primum
Sadducæa cohors furijs proceſſit iniquis,

Crudelis nimium: caſu, ſine Numine uolui
Res hominum, extinguiq; animas cũ corpore cenſet;
Eſſe negat Diuûm quenquam, nec ſontibus ullas
Poſt obitum pœnas, meritis nec præmia linquit.
Inde Phariſſæi ſæuis ſua pectora contra
Incendunt odijs, & funera dira minantur:
Hos illis ſocios idem nunc liuor in unum
Addit, quos ſtudia infenſos contraria ſemper
Fecerunt: hominum certa eſt conſtantia nulli,
Multa regi partim fatis, partimq́; fatentur
Multa Dei arbitrio, & Diuos conſiſtere cœlo,
Queis noſtrum curæ genus eſt: non præmia tollunt,
Non ſcelerum pœnas, rurſumq; in luce ſupremi
Iudicij expectant redituram in corpora uitam.
Poſt niuea ad pugnam candentes ueſte petuntur
Eſſæi, quibus eſt ſummo Deus author honori,
Et ſcelus horrori, nec ſunt connubia curæ:
Quæſita in medium ponunt, ſatisq́; teneri
Cuncta putant. transq́; oceanum in regione beata
(Elyſios dicunt Graij cognomine campos)
Inſontes Diuûm æternis conſidere menſis.
At uentis ſontes undisq́; atq; ignibus atris
Torqueri aſſidue, atq; Erebo ſine fine teneri.
Tum furijs fremit Annanias ingentibus ultro
Oſtentans ſeſe, & comitum ſtrepit ordine longo
Antiſtes: ſpecula quos ut proſpexit ab alta
Cunctari ante arcem Lyſias, & poſcere lites,

Edu-

Eduxit Paulum tectis, & gentis iniquæ
Hic medio (ualeat pax ſi qua furentibus eſſe)
Siſtit in obtutu. At circumcingentibus unà
Effari cunctis coram ſic incipit heros,
Vos inter uixi ſceleris non conſcius unquàm
Legis ego patriæ cuſtos, Antiſtitis ultra
Plura locuturum uetuit uiolentia fari.
Concitus ille quati pugnis iubet ora loquentis,
Cui breuiter Paulus, ſcelerum non impie debes
Vltorem ſperare Deum? dabis (inquit) acerbas
Pro meritis, poteris quas non euadere, pœnas:
Fas audire tibi potius, quàm uera loquentem
Cædere me miſerum, & merito mea iura tuentem.
Vnà omnes ſtrepuere, tibine impunè uerendum
Pontificem culpare datur? nec plura loquuti.
Ille refert, ipſum ignarus nec noſcere quiui,
Nec ſum Pontificem affari ratus. Hæc ubi fatus,
Hos animis illosq́; nefas concordibus auſos,
Diſſimili quibus eſt ſtudio diſcordia ſemper,
Proſpicit, ut uario poſſit diſſoluere partes
Diſſenſu: certum eſt, noſtro me è ſanguine, clamat,
Eſſe Phariſſæum, penitúsq; ad funera pelli
Ob generis ſpem noſtri, expectatamq; ſalutem,
Credere cui liceat redituram in corpora uitam.
Hæc ſubito celeris ritu uòx acta ſagittæ,
Vox ſubito Sadducæis præcordia figit,
Peruertitq́; animos, ſæuamq́; incendit Erinnym.

Hi leto inſontem certant abolere nephando,
Quos contra incenſi ſubito rapiuntur oborta
Lite Phariſſæi, collectiq; altius una
Voce tonant: hic uir magnum cœleſtibus auris
Afflatus ſonat, huic uocem Pater ipſe miniſtrat
Omnipotens, cœlo non eſt indigna loquutus.
Pugna ingens late diuiſis partibus orta eſt,
Hinc rapidi atq; illinc concurrunt, impetus ingens
Fertur, & elatis promuntur uocibus iræ.
Fortè lupi ut ceruum, denſisq́; in ſaltibus unà
Inuaſere canes, proprijs committere pugnam
Hos odijs inter ſe atq; hos cogentibus. ille
Deſeritur, rabiemq́; fuga fruſtratur utramq;.
Tum uero gradibus Lyſias ſpectator ab altis
Obſtupet, & quæ ſint tanta hæc portenta, uolutat.
Nanq; latere Deum noſtra ſub imagine quenquam
Credidit, ambiguisq́; homines illudere ſignis,
Et turbare metu, furijsq́; incendere mentes.
Gradiuuſne pater, Lapithas qui ſæpius armis
Iritare ſolet, pellitq́; à uertice Dacos?
An Bacchus, Geticum qui regem ſcindere crura
Impulit, & multis cauſas dedit ante furoris?
Quisquis erat, timuit, iuſtumne ad funera pellant,
Iritentue Deum. armatos deſcendere ab arce
Iuſſit, qui captum eripiant, reprimantq́; tumultum.
Accelerant igitur iuſſi, atq; in tuta reducunt
Caſtra uirum, repetunt Solymi ſua tecta furentes,

Illu-

Illuſiq; dolent, & ſedem odere Tribuni.
Humida nox aderat, ſecumq; ſilentia Somnus
Alta ferens, uires ſenſim reuocabat in artus
Amiſſas. leniſq; quies erat omnibus una,
Altius Eois medio lucentibus aſtris.
Fortè pius nullis, ſecum dum multa uolutat,
Pœnarum, letiq; minis perterritus heros.
En liquido pulſis delapſus ab æthere nimbis
Cœleſtum dux Chriſtus adeſt, atq; obice nullo
Miranda penetrat fulgens in luce penates.
Apparet primum ante oculos obiectus, & ultro
Solari placida cœpit ſic uoce dolentem·
Ipſe tui (ne Paule time) non immemor adſum,
O dextra defenſe mea, genus omne ſuperbum
Semper uiciſti Duce me. dabitur quoq; ſemper
Vincere poſſe tibi, turbata per æquora mare,
Aeneadumq; domos, magnæq; inuiſere fines
Heſperiæ. Supereſt, & Cæſaris ora tueri.
In cultus ſubigenda meos capita ardua uincto,
Vltimaq; occiduæ debentur littora terræ.
Perge age, ſume animos, ego te tutabor euntem.
Dixit, & occuluit lucem, noctiſq; per umbram
Amiſſa in tenues diſceſſit imagine uentos.
Obſtupet, atq; animum perfuſus Numine Paulus
Quæ coram aſpexit uigilans, non uana putabat.
Hunc ſubitò agnoſcit, Superûm quem uiderat aula,
Cernere quem toties ſolitus, ſua lumina cœlo

Attollit ſupplex, uocemq́; effundit ad auras
Sidereas· O tu Superûm Rex Chriſte, iacentes
Res hominum miſerans, placuit cui ex æthere labi,
Et me ſolari, tua quò iubet ire uoluntas,
Ibo uolens, durumq́; feram quemcunq; laborem.
Sic fatus, paretq́; Deo, & ſua pectora firmat
Cocyti contra ſtimulos, uiresq́; ſiniſtras:
Et multa lætus conſumpta nocte quieſcit
Numen habens ſecum, Diuûmq; incenſus amore.
Aſtrorum flammam extinguens Aurora uocabat
Vicino iam ſole diem, uultuq; rubebat
Puniceo, & preſſæ ſurgebant cornua Lunæ.
Interea inſidijs, cæcaq́; immane paratur
Arte nephas, nullo inuentum quo triſtius æuo eſt:
Ecce truces de plebe uiri, gens perfida ſemper,
Quadraginta (atræ tantus necis omnibus ardor)
Omnes iurati Paulum truncare, prius quàm
Veſci epulis, ibant flagrantes cædis amore:
Poſtquàm Pontificis celſos iniere penates,
Mœrentem affari è numero ſic incipit unus·
Nunc age ſancte pater, breuiter, quò tendimus, audi:
Et nos & te idem dolor urget, uenimus ipſi
Res Solymas animo tecum ſeruare parati.
Ille nouas, noſti, quo lites improbus aſtu
Mouit: & antiquos quoties peruertere ritus
Tentauit, templi quoties uiolauit honorem:
Quid memorem, media ſi nos in morte retentus

Illudat

Illudat coram? quid non petulantior ultro
Audeat elapſus leto, uinclisq́; ſolutus?
Ne ruat in peius fatis res noſtra ſiniſtris,
Adſunt iurati (ſi qua fortuna ſequatur)
Obtruncare prius Saulum, quàm pocula ſumant,
Et guſtent epulas. Breuiter, qua poſſumus, audi·
Tu Lyſiam exores, dubium cognoſcere quicquam
Velle tuos ſimulans: noſtro Sol redditus orbi
Craſtinus, Eois quum primum emerſerit undis,
In medio Saulum ſiſtat: ueniemus eandem
Compoſitò in ſedem, hunc prius obtruncabimus unà
Auxilio multi ueniant quàm militis arma.
His multum antiſtes furtis lætatur, & atro
Aſpirat ſceleri, ardoremq́; audacibus auget:
Cuncta uiris puer immixtus (Rex ætheris ipſe
Sic uoluit) clam audit. tectisq́; egreſſus iniquis,
Quem magni peperit Pauli Germana, latentes
Inſidias aperit Paulo, quas Tarſius heros
Hunc iubet egregium Lyſiæ narrare nepotem.
Audierat Lyſias, fido quum lætior ultro
Obtulit huic dextram puero: iuſſitq́; taceri
Conſilium, uana cupiens ſpe fallere gentem.
Iam medios cœli nox huda cadentibus aſtris
Ducebat curſus, lateq́; ingentibus umbris
Per terras tulerat nocturna ſilentia ſomnus:
Quum iubet armatas acies deſcendere ad urbem
Cæſaream Lyſias, captumq́; impune per hoſtes

Tradere

Aſſeruit regno. Qua ui nunc funditus omnis
Vis mea deficiat, quæ ſors ferat iſta ruinam
Tam diram, obſtupeo. Vinci niſi uiribus ullæ
Dum nequeunt uires, rapuiſſet uellera nunquam
Aeſonides. Pubem ſi non habuiſſet in armis
Virginis adiutus furto, tot monſtra ſubegit
Alcidæ indomitum, uetet hæc quis credere, robur?
Tentarunt membris confiſi immanibus, alto
Trudere me cœlo, ſed non potuere, Gigantes.
Aſt hominum genus inſuetum ſine uiribus ullis,
Prorſus inerme genus Solymis à ſedibus ortum,
Prorſus inops, late nunc terris errat, & omnes
Funditur in partes, totumq; mihi eripit orbem.
Horum unus me, pernicies extrema fatigat,
Et flammæ in morem ſecum rapit omnia Paulus.
Non ui, non opibus, Martis non utitur armis.
Non mirum eſt? uictum manibus ſibi quærit, et ipſum
Me premit uſq; adeo, tutas ut inire latebras,
Et fugere atra uiri cogat ſpectacula uultum.
Huc adit, atq; illuc progreſſus, & omnia late
Percurrit, ſunt illi omnes una atria terræ.
Non ſatis ire ſemel, rurſumq; errata pererrat,
Fertq; refertq; gradum, metuens amittere gentem
Quæſitam. & quoties aliquas peruenit ad oras,
Effugio toties procul, atq; occultor in umbris.
Corripuit iam Aſiã, Europæ pars magna ſequuta eſt.
Romam ibit, ſi qua Solymos euaſerit arte.

Non

Non mihi tot cæſis cernam de more iuuencis,
Tarpeia celebres ultra de rupe triumphos.
Non prædam accipiam, aut ſpolijs donabor opimis.
Quid faciam? non res ultra retinere, nec ipſum
Ire uirum contra, inſidiasq́ nec tendere poſſum.
Tanta mihi exiguæ ſunt contra incommoda uires:
Hæc ſupereſt ſpes ſola mihi, nunc cedere cogor,
Fraude nephas aut ui aggrediar, ſi tempora quandò
Mollia ſi dederint, ſpero, mutabitur ætas.
Vix hos cum lachrymis tantos effuderat æger
Ex animo queſtus, faciem dum linquit Olympi,
Spem ſecum exiguam retinens, & conditur umbris.
Præterea inſidias poſtquàm patuiſſe, uirumq́;
Ereptum nouit, fruſtrataq́; uota ſuorum,
Infremit Antiſtes grauiter ſuccenſus: & iram
Ingeminat, furiasq́; odijs exaſperat amens.
Nulla quies igitur, donec peruenerit ille
Cæſaream Procerum turba comitatus ad urbem.
Hunc ſubeunt iter emenſi, ſimul acrius omnes
Ardeſcunt, multoq́; minas cum murmure tollunt
Ingentes, iniere nouas ut Præſidis ædes:
Captus adeſt, Solymos iubet ad ſublime tribunal
Tanta uiri, Præſes, fuerint quæ crimina, fari.
Tum ſe Tertullus coram non inſcius æquis
Accumulare nephas, & crimina fingere lingua
Cum dictis offert: huc ad tua limina, Præſes,
Venimus huc læſi: quem prima ab origine morem

Cœpi-

Cœpimus, hunc colimus, noſtri hunc coluere Parentes,
Hunc temerare nephas: multos regna inclyta noſtri
Et reges ijdem & uates tenuere per annos
Præſagi. Stetit immotus per ſecula noſtræ
Relligionis honos, Aſiæ uiſura penates
Nos perclara ſuæ ante omnes gentes Romula quondã
Iunxit amicitiæ, morem nec uertit auitum.
Nunc (neq; neſcimus quantum defendere curæ
Eſt tibi res Solymas, pariterq́; extinguere lites)
Nunc læſis fer rebus opem. nihil iſte relinquit
Integrum, templi nuper uiolauit honorem,
Sacratis alienam adytis inducere gentem
Auſus. Chriſtigenûmq; noui dux ſemina ritus
Aſpergit uulgo, cultusq́; euertit auitos.
Quid memorem? ſoluit ſine fine per omnia noſtrum
Seditione genus, tandem hunc haud talia paſſi
Cepimus, ac nobis de more necantibus ipſe
Eripuit Lyſias, meritaq́; à morte retraxit,
Atq; haurire reum uoluit te iudice pœnas.
Dixerat, ipſe ſua pro re ſic incipit heros.
Hæc fari contra intrepidus, te iudice coram
Egregie ô Præſes, ſtudium cui iura tueri,
Vera loqui haud metuo, & partes defendere noſtras.
Non me aliter norunt patrijs quàm ritibus omnes
Obſeruare Deum, aut monitis quàm credere Vatum,
Lex eadem mihi, Diuinæ fuit illa ſalutis

Spes eadem mihi quæ proauis.ſi muneris huius,
Si Chriſtum ſequor authorem non noxius ulli,
Haud uideor tamen antiquos extinguere ritus.
Qui mundi credo exitium,magniq́; tonantis
Affore iudicium,& redituram in corpora uitam
Luce ſub extrema. Quis uidit,dicite,quæſo,
Me ſacris alienam adytis inducere gentem?
Mecum nullus erat,patrio dum uota ferebam
In templo,purusq; Deum de more uocabam,
Me moti inuidia,ut norunt,loca uocibus implent.
Vrbs ſine more ruit,trepidus quam fortibus armis
Continuit Lyſias,meq́; atra à morte retraxit.
Aſſiduane datum uos ſeditione mouere?
Qui procul abfuimus,Solymos qui noſtra penates
Vota ſoluturi tot lapſis uenimus annis.
Inſtat ab aduentu ſolum,non amplius una
Lux biſſena meo.generis nec in agmine ueſtri,
Nec ueſtris ſum concilijs inuentus,& omnem
Effugi turbam,& ſæua cum lite tumultum.
Diſſenſusne inter ſurrexit me duce pridem
Seditio,quam dira tulit diſcordia ueſtra?
Forſan clam uiui,noſtro me ex ſanguine certum eſt
Eſſe Phariſſæum,penitusq́; ad funera pelli,
Ob generis ſpem noſtri,expectatamq́; ſalutem,
Credere cui liceat redituram in corpora uitam.
Mota eſt lis,eſto,noſtro non crimine mota eſt,
Concordes ſtudio antè pari ueniſſe licebat.

Sic

Sic cuncti orantem, quem non uiolentia terret,
Mirantur taciti. Qualis Tegeatica quando
Arua petit Maia ſatus, & Iouis omnibus unà
Collectis mandata refert. ſtupuere Lacones
Verba dei, agreſtum cœleſtia nuncia diuos
Exterrent, ſaltusq; habitantem Pana Lycæi.
Præcipuè ſecum Fœlix audita reuoluit,
Miraturq; uirum, & tali ſic uoce profatur.
Litibus ô Solymi, tantis me iudice primum
Non modus eſſe poteſt: uiolat ſeu limina Diuûm,
Seu uaria aſſiduè uos ſeditione fatigat,
Expendet pœnam. Inſontem nec lædere phas eſt,
Parcere nec ſonti. Hæc fatus, diſcedere turbam
Imperat, Oceano quum iam Titana iugales
Deducunt, mœſti cedunt à Præſidis arce
Iudæi, curisq; animos ſine fine fatigant.

LIBER SECVNDVS

OBſtupet interea, ſecumq; audita uolutat
Suſpenſus Præſes, mentemq; per omnia uerſat,
Dicendi quis tantus honor, quæ pectoris illa
Vis queat eſſe reo, lateat quod Numen in illo?
Fortè accumbebat menſis iam lætus Iaccho,
Dum uarijs proferre uolens conuiuia dictis
Druſillam affatur, iuxtà quæ fortè ſedebat.
Tu genus ô Solymo præclara ſanguine coniunx,

Chara mihi coniunx, Dijs forte ſimillimus heros,
Vel Diuûm quiſquam, uel Diuûm cretus ab uno
Me penes eſt captus, quàm ſe imperterritus ultrò
Fronte gerit? quàm grande ſonat uox illius ore,
Corda mouẽs? quibus ille animis, quo pectore præſtat?
Quid memorem, intrepido dixit quæ plurima uultu?
Sed quædam è multis non intellecta notaui,
Hic inter menſam nobis nunc clarius illas,
Quas dudum cecinit ſortes, quæ fata ſuprema,
Expediet. comites ſubitò poſt talia dicta
Accelerant iuſſi, & domini mandata ſequuntur.
Extemplo captiuus adeſt, coramq́; locatur
Obtutu in medio, ſic Fœlix ocyus infit.
Quæ memini auditu noua te cecini ſſe, quid olim
Luce ſub extrema uenturam in corpora uitam,
Dixiſti? totum quis terminet exitus orbem,
Atq; extrema Dei quæ ſit ſententia, nobis
Dic age. Sic fatus, cupideq́; aduertit, et omnes
Sedato aduertunt ſtrepitu, ſic incipit heros.
Dicam equidem, mens ſcire tibi ſi talia Præſes.
Quæ metuunt manes, cœliq́; exercitus horret,
Mortalesq́; tremunt, eſt omnibus ante uerendum,
Quàm ueniant, miſerosq́; premant grauiore ruina.
Auditune nouum eſt, cecinit quod noſtra Vetuſtas,
Hebræiq́; patres, Vatumq; oracula late
Omnigenûm, & ſanctæ quondam cecinere Sibyllæ?
Iampridem cœlum omne patet, gens aurea ſurgit

Chriſti-

Chriſtigenûm, quibus ipſe domũ rex magnus Olympi
Annuit æthercam. Stygijs iam clauditur umbris,
Fortè pios tanto, ut quondam, ne munere fraudet
Dux Erebi uinctus. Meritis Patientia palmam
Egregiam dabit, & Virtus quæ perferet æſtum
Irarum fragilem, multos furor impius annos
Sæuiet. Innumeris Superûm lætabitur aula
Millibus, innumeri quærent ſibi ſanguine cœlum,
Et rabies finem, atq; furor funeſtus habebit.
Relligionis enim uerus per tela per ignes
Surget honos, Chriſtumq́; colet gens omnis ad aras.
Et tu Roma cades, pulſusq́; aquilonis ab arce
Barbarus exitium feret, & dominabitur urbi.
Paulum emiſſa fremet Stygij uis improba regis,
Fallendiq́; uiam multa ſpeculabitur arte.
Auerſas uero ſectas feret ater, & aſtu
Educet noua monſtra uirûm, qui uertere ſacra,
Sacrorumq́; nouos tendent effingere ſenſus.
Ecce (nephas) Arabum celerat Mahometus ab oris
Cœlo indigna lues, hominumq́; ſiniſtra ſaluti.
Heu quot Chriſto animas, Diuûm ſi quærat honorẽ,
Eripiet, quantoq́; domos implebit Auerni
Agmine? quæret opes, patriæq́; inuadere ſceptra
Audebit, ſed tela timens hoſtilia cedet.
Spe regni caſſus ritum temerabit Olympi,
Et ficta ſtatuet leges pietate nephandas,
Affrica quas uulgo, atq; Aſiæ gens tota ſequetur,

Europæ pars magna colet, ſic effluet ætas,
Illa propinquabit mundi poſtrema ruina.
Mortales premet atra fames, exuret ariſtas
Sirius, haud uictum infelix arentibus herbis
Terra dabit, uotis nec quærere proderit imbrem.
Fœderis indicium, pluuiam non amplius Iris
Venturam oſtendet, nebulis multo antè uideri
Deſinet, & gemino fluuios non hauriet ore.
In ſe conuerſas uulgo concurrere gentes
Mars ferus impellet, ferriq; incendet amore.
Quanta ruet Boreæ de uertice copia contra,
Quanta Noti, atq; Euri contra aggredietur ab oris?
Solis ab occaſus exibit rex magnus ad ortum
Cuncta terens, pacemq; feret poſt plurima bella.
Pax breuis illa tamen, ſubitò laxabitur Orcus,
Irruet in medium Furijs comitatus, & omnem
Liber aget curam, atq; hominum portenta mouebit.
Ecce autem (piget heu peſtem meminiſſe nephandam)
Anguſto letale ſinu, Syriæq; latebris,
Armatum facibus, telisq; accedere monſtrum,
Monſtrum ingens uideo. propius comitante barathri
Agmine, treis capite in ſummo ſine fruge cruentas
Vnius cum parte gerens exhorret ariſtas.
Heu monſtrum horrendum, ſæuam Zephyriq; Notiq;
Perniciem, Boreæq; plagis Euriq; minatur,
Ceruicem extollens, Solymam feſtinat ad urbem.
Quis nouus ille labor? nuſquam fugientibus illo
Tem-

Tempore certa ſalus, poterit ſe condere nemo,
Tantarum tellus uim ſentiet ærumnarum.
Tunc rurſum innumeri quærent ſibi ſanguine cœlum,
Fœlicesq; mori optabunt ob munera uitæ.
Mortales olim Deus haud oblitus ab alto
Aethere reſpiciet propius, tolletq́; laborem,
Cum ſocio Helias terris orientis ab horto
Auxilio ueniet, talem ſeruatus in uſum.
Iudæos (ut priſca canunt Oracula) uertet
Ad Chriſtum, & fidei dona ad meliora uocabit.
Extinguetq; dolos ſceleratæ peſtis, & atras
Signorum ambages, mentitaq; numina ſoluet.
Enſe cadet duro, oſtendet lux tertia rurſum
Viuentem, in cœlum cunctis ſpectantibus ibit.
Tum uero ardeſcet tantis exterrita rebus
Contemptrix Superûm labes, hominumq́; uorago,
Tres ubi funeſtos ſenis cum menſibus annos
Egerit, ingenti montem conſcendet Oliuæ
Conuentu cœlum uobis ſpectantibus, eſto,
Helias petijt, nobis ſpectantibus illum
(Dicet) deijciam. Atra cohors Acherontis acerbi
Cominus accedet celeri per nubila motu,
Improbus è numero ante tamen ſe ſpiritus unus
In ſublime feret, ſpectantem ut talia turbam
Heliæ ſumpta deiectus imagine fallat.
Continuò in nubes monſtrum Stygis effera turba

Aethera per liquidum tollet (mirabile uiſu)
Horreſcet latè diffuſum inſueta uidendo
Vulgus iners. non hæc fiunt ſine Numine, dicet.
Ecce autem medij pars ætheris illa patebit,
Quæ Phaethontæo (licet ſi credere) curru
Arſit. terrorem pariet demiſſus ab aſtris
Nuncius, & multo diſſoluet fulgure nubes,
Dijs Stygijs ſubitò ad manes fugientibus imos
Turbine deijciet faſtum congreſſus. At ille
Decidet in medios, & linquet in aere uitam,
Atrum Acheronta petens. lacerum tellure cadauer
(Horrendum uiſu) fibris ſternetur apertis.
Talibus extemplo monſtris exterrita paſſim
Corda trement, cunctiq; animos ad ſidera tollent
Deluſi, uotisq; Deum precibusq; uocabunt.
Extremam oſtendent quæ res, quæ ſigna ruinam.
Venturæ belli clades, & funera regum
Prodigijs horrens prius, & præſagia mutant
Regna prius, rerumq; occaſum ſidera monſtrant.
Quid, magni penitus ſi molem exhauſerit orbis
Ignis edax, ſcelerum uindex ſi uenerit aſtris
In terras Deus? ante grauem peritura neceſſe eſt
Cuncta pati quondam (ut perhibent) elementa laborem.
Monſtrorum horrendæ facies, inſuetaq; uulgo
Signa laboris erunt. tanget mortalia cœlum,
In medio miſerans ſeſe teget æthere Titan,

Horro-

Horrorem cum nocte feret, lucemq; negabit
Germanæ, cæcaq; diem caligine condet.
Sanguineisq; cadent ardentia ſidera flammis,
Exitijq; minas flagranti crine cometæ
Oſtendent. tonitru metuendum fulgur ab omni
Parte ruet, current incenſa hoſtilia cœlo,
Concutient animos audita in nubibus arma.
Aerumnas ſudore ſolum teſtabitur atro,
Horrendumq́; tremet. quatientur motibus urbes,
Deijcient montes capita, & ſoluentur hiatu
Aequati campis, complebunt aggere ualles.
Ventorum incipient triſtes conſurgere pugnæ,
Qui tumulos, operumq́; ruent à culmine moles
Eductas cœlo, rapientq́; per aera ſecum.
Et ſyluis exire feras, lateq́; per urbes
Miſceri nouus impellet mortalibus horror.
Miſcebuntq́; noua cœlum formidine laruæ,
Et ſimulacra uirûm tumulis pallentia ſurgent,
Ante oculos ſeſe obijcient. Ruet æthere toto
Obſcœnus cruor, ac terras & flumina tabo
Inficiet, creſcentq́; infanda per omnia luctus.
Altius extemplo ſurgens ſe Pontus ab imo
Extollet fundo, celſiſq́; æquabitur aſtris,
In ſicca pariter prolem tellure natantum
Aequoream linquet manes demiſſus ad imos,
Subductuſq́; ſuo demum requieſcet in alueo.
Pax breuis extemplo, uarijs ſpem caſibus omnes

Elapſi accipient, moliri tecta iuuabit,
Et dare coniugijs operam, atq; accumbere menſis.
Ecce nouus per inane fragor (mirabile dictu)
Quatuor à uentis ruet, & formidine corda
Conſternet. medioq; poli cœleſtis ab axe
Tela facemq; feret Diuis comitatus, & alta
Cum tonitru Deus in nebula deſcendet ad orbem,
Cœlituum uis magna tremet. Non illa ruina
Adueniet, ſeclis quàm tot labentibus orbi
Incrementa ferunt undæ, flammæq; uiciſſim,
Vel timet ambiguis quàm Iupiter affore fatis.
Sed Deus indomitas denſa inter nubila flammas
Diſperget uulgo, terriſq; incendia mittet.
Sæuiet immiſſus ſine more per omnia latè
Vulcanus, rapidoq; uolans ſpaciabitur æſtu,
Et maria ac terras cœlumq; inuoluet, ab omni
Parte cremans penitus, fonteſq; abſumet. at ipſi
Altius inſontes tenuem tollentur in auram,
Aut media illæſi flamma purgante quieſcent.
Poſtquàm exhauſti ignes cœloq; acceſſerit ardens
Et terræ & pelago ſpecies, per ſecula nocte
Amiſſa, rutiliq; iterato lumine ſolis.
Iudicij ecce canet läbens noua ſigna per auras
Nuncius, & cunctos reuocans ad limina uitæ
Concutiet, mundumq; tubæ clangore replebit.
Audiet omne ſolum latè, atq; exterritus Orcus
Audiet, & fundo penitus freta mota ſonabunt,

Sublimesq́; trement cœli, & ſurgentia rurſus
Vndiq; conuenient accepta corpora uita.
Immenſum per inane Deus ſe turbine magno
Acrior oſtendet coràm, medioq́; ſedebit
Aeris in liquidi tractu. iuxtaq́; ſedebunt
Biſſeni Comites, Superûmq; exercitus omnis.
Horrenda antè crucis tollent inſignia Diui,
Huc aderunt trepidi reges in iura uocati,
Ductoresq́; alij, matrum uirûmq; propago,
Infantumq; manus. ſedem ueniemus in unam,
Non aberit quiſquam, noteſcent omnia latè
Sponte ſua. Non hic Dictæa mouebitur urna,
Nubibus in liquidis dextram ſecura tenebit
Gens Superûm cultrix, pœnam euaſiſſe iuuabit.
At multa ſcelerum deiecti mole iacebunt
Depreſſam per humum ſontes, læuamq́; ſubibunt
Horrentes, Erebi dijs iuxtà aſtantibus atris.
Oſtendet clara ſeſe Deus ætheris aura
Terribilis uiſu, commotum ſentiet æquor,
Extremiq; poli, nutuq́; exterritus æther.
Et geminas terra in partes ſoluetur hiatu
Horrifico, & diri fauces oſtendet Auerni.
Ecce ruent (miſerum) immaniq́; uoragine ſontes
Mergentur ſubitò, & terræ penetralibus imis
Omnia ſupplicium afflicti per ſecula pendent.
Mox cœli Rex immenſus miteſcet, & ultro
Vultum, Cœlicolis ſolitus quem promere, pandet.

Re-

Reſpicietq́; pios, clarumq́; per æthera paſſim
Fulgorem infundet, cœliq́; extollet in arcem
Innumeros ciues, & cœtu implebit Olympum.
Talia ſe cunctis repetens metuentibus heros,
Dicta dabat coram, rerumq́; extrema canebat.
Tum uerò Fœlix ſcelerum non immemor horret
Attonitus, faciemq́; ſolo demiſſus inhæret,
Supplicijq́; noua æterni formidine pallet,
Iudicij extremam uoluens ſub pectore ſortem.
Cui ueteres ſubeunt prædæ, ueteresq́; rapinæ,
Et multæ inſidiæ, pollutaq́; funere templa
Pontificum. cruciatur enim mens conſcia culpæ.
Ergo impune uirum totam ſinit ire per urbem
Exutum manicis, clarosq́; inuiſere amicos.
Quem penitus tutum medio educturus ab hoſte
Soluiſſet, niſi tantus opum tamq́; improbus ardor,
Optatiq́; auri niſi ſpes tam dira fuiſſet.
Mœrentem Iuno, cæcaq́; in ſede latentem
Ecce Iouem explorans Tyrijs à ſedibus ibat,
Quæ mœſtum maris illa Deum perterrita fratrem
Liquerat, & Syriæ infenſas effugerat oras.
Vecta per Aegæas toties iam triſtior undas,
Poſt uarios uocat errores Minoia iuxta
Littora germanum, & magnis ita queſtibus orſa eſt.
Nunc te frater ubi, atq́; idem chariſſime coniunx
Inueniam, quibus ipſe iaces occultus in oris?
Vnà omnes profugi terraq́; mariq́; uagamur

De cœlo pulſi, huc ades ô chariſſime coniunx.
Exoſus lucem Stygij tu fratris ad umbras,
(Vt reor) iuiſti, fraternaq; tecta petiſti.
Quamupereſſe mihi te deficiente ſalutem
In terris uideo? ſine te quid poſſumus ultra?
Quid faciam? Manes lucem pertæſa ſub imos
Te ſequar infelix, cum fratre morabimur ambo,
Acrius illudat ne nos iactura uidendo,
Nulla quibus ſperanda ſalus, quos ſæua fatigat
Fortuna. Extinguat noſtros nunc Paulus honores,
Subijciat Chriſto totum nunc improbus orbem,
Proferat extremæ Chriſtum extra limina terræ.
Heu pudor, heu mœror, uerſæ in conuicia laudes,
Et uetus imperij mutata eſt gloria noſtri
Dedecus in tantum. ſæuo me opponere fruſtra
Sum molita uiro, nam ſemper uicta refugi.
Hunc maris & terræ per quot diſcrimina traxi?
Naufragus elatis quoties elapſus ab undis?
Quot cædes tulit infandas? penitusq; ſuorum
Inſidias tutus quoties euaſit, & omnem
Vim necis urgentem? domuit duriſſima quæq;.
Pro Chriſto ſunt tantum illi ſua gaudia, carcer,
Naufragia, errores, conuicia, uincula, cædes.
Quid Manes fruſtra, Eumenidasq; educere tentem?
Quarum nunc premitur uis, & pallentibus Orci
Conditur in tenebris. Nobis extrema labores
Damna, doliq; ferunt noſtri, qui fallimur ipſi,

Niti-

Nitimur humanam ſi quando fallere gentem.
Si ſpes nulla mihi, ſi non ſucceſſibus obſto,
Mortales, eſto, inſignem per ſæcula Chriſtum
Orbe colent toto. ſcelerum contagia uulgò
Inficient tamen innumeros, diſcordia, liuor,
Ficta boni ſpecies, elata ſuperbia, luxus,
Ambitio, inſidiæ, rerum inſatiabilis ardor.
Atq; homines inter uariæ, quas deſpicit ipſe
Chriſtus, erunt peſtes. Miſeris ubi fudit inanes
Cum lachrymis mœſta in uentos Saturnia queſtus,
Mox terræ in cæcos diſceſſit ab æthere tractus.
Præterea binis quum iam labentibus annis,
Incaſſum Fœlix precium expectaret, & ipſam
Italiam peteret, Syriæq; relinqueret oras
Cæſaris accitu, Solymis extinguere curat
Inuidiam, optatum cupiens impendere munus.
Vt ueterum inueniat pacem, mereatq; malorum,
Auſus inire nephas, conſueta in uincula rurſum
Conijcit inſontem, cæcoq; in carcere linquit
Digrediens. ſceleris tamen haud iniuria tanti
Profuit; Aeneadum magnam mittuntur ad urbem,
Huius iniqua ferant uarijs qui facta querelis.
Interea Syriæ terris ſuccedit, & urbem
Feſtus adit Solymam, ueteri quem ſaucia primum
Gens odio Iudæa petit, primumq́; ſalutat.
Criminibus lacerant captum, atq; ardentius uno
Cæſarea ad Solymos ducendum ex urbe penates,

Ore petunt, ferro ut poſſint extinguere euntem.
Traduci negat hunc Præſes, ſed uerius illos
Huc prodire iubet, coràm qui crimina dicant.
Iamq́; nouo bis quina dies aduenerat ortu,
Cæſaris urbe reum Solymi dum iudice Feſto,
Accuſant iterum, & magno ſtant murmure circum.
Hic (neq; enim ſceleri cedit mens conſcia recti)
Stat contra inuictus. Qualis ſi ferrea quando
Innumeris petitur iaculis ſublata columna,
Quæ nullo penitus ruit, aut illiditur ictu,
Tela impulſa manu uolitant, redeuntq́; repulſa.
Hic uero gentis ſtudio iam uictus iniquæ
Porcius, ire tibi ad Solymos nunc Paule, neceſſe eſt,
Inquit, quos inter dubijs de rebus agatur
Certius, atq; reus peragi me iudice poſſis.
Paulus ad hæc, feciſſe uides me deniq; ſi quid,
Quin reus hic peragor, ſum Cæſaris ante tribunal.
Nulla fuit me ſeditio duce mota, nec ullus
Templi læſus honos. fateor, non noxius ulli
Nunc Chriſtum ſequor inſignem. Quærentibus ergo
Prodere me Solymis ſi tendas, Cæſaris æquum
Iudicium poſco. Hæc fatus, dum talia Præſes
Verſabat, Romamq́; uiro cenſebat eundum,
Nuncius extemplo accelerat per compita præceps,
Perq́; forum late, Agrippamq́; accedere regem
Reginamq́; refert. tota diſcurritur urbe,
Conſurgunt cuncti, linquuntq́; ſedilia patres.

Ingentes pars magna uias inſpergere gaudent
Floribus, & paſſim uarijs bene olentibus herbis.
Pars uelare ſacros uiridanti fronde penates,
Certatim pictis uulgo ſua tecta tapetis
Vnà ornare omnes, aulæis regia late
Emicat interior. luxuq; inſtructa relucent
Atria, mirus ineſt ſignorum poſtibus ordo.
Interea peditum atq; equitum rex ocyus ipſe
Agmine procedit, murisq; urbiq; propinquat.
Obuius it Feſtus, uenientemq; excipit ultrò
Effulgens chlamyde, & claras perduxit ad ædes
Impoſitis auro, impoſitis dapibus argento.
Ille tot exactis regem iam fortè diebus
Conſulit, huc te Dijs (inquit) melioribus actum
Rex ueniſſe reor, dum mens incerta, tuisq;
Conſilijs opus eſt. generis nunc accipe litem
Ambiguam generoſe tui, uæſana tuorum
Dicam odia, ac ritum noſti, moremq; paternum.
Eſt mihi uinctus homo, Solyma quem nuper in urbe,
Aut leto tradi, aut ad ſe petiere remitti
Iudæi. hunc aliò primum tranſire negaui,
Tranſire huc illos iuſſi, ut me iudice pro ſe
Dicendi proprium parti ius cedat utriq;.
Quid dicam? uentum eſt, poterant nec furta, nec ullâ
Infenſi cædem, nec dira incendia templi
Obiectare reo. de uana fortè ſubortum
Acre ſuperſtitione fuit certamen, & unâ

Mota illos inter uarijs ludibria dictis.
De cæſo lis una uiro, poſt funera Paulus
Quem rurſum humanæ ueniſſe ad limina uitæ
Aſſerit, & credit: ſed demum prouocat ille
Victus ad Auguſtum, Solymis quem tradere uellem.
Quæ lites, quæ ſint odia, ô rex optime noſti,
Et quia nunc ſcelerum expertem ſtat mittere Romã;
Tu modo dic age, dic liceat quam ſcribere noxam.
Tum rex affari iamdudum, & cernere Paulum
Ardebat, fama illuſtrem quem nouerat olim.
Fac (ait) ô Præſes, fac illum ſiſtere coràm;
Phas audire uirum; quæ ſit ſententia demum;
Expediam. Sic effatus, ſublimior aureo
In ſolio ſedet, & Tyrio ſupereminet oſtro,
Quem iuxta Berenice aderat regina ſuperbo
Effulgens cultu. celſaq; in ſede locatur
Feſtus, pòſt alij proceres ſtant ordine circum.
Vinctus adeſt, quem ut rex uidit, ſic ocyus ultrò
Compellat: quid Paule, tui te triſtibus iſtis
Preſſerunt Solymi uinclis? effare. quid (inquit)
Feciſti tantum? Reddit cui talia Paulus,
Accipe (quando audire uacat) nunc optime rector,
Vera tibi dicam, patrium quo latius omnem
Nouiſti morem, ueterumq; oracula Vatum,
Hoc potius fabor, tu rem tutabere noſtram.
Quàm bene ſemper ego uitam iuuenilibus annis
Exegi, Deus eſt certus mihi teſtis. & omnes

Sunt Solymi teſtes, priſcos quàm fortiter olim
Seruaui cultus in relligione meorum.
Incœpit Chriſti quum primum ſurgere nomen,
Chriſtigenas rapui, uinctosq; ad funera traxi.
Tecta per & uicos & per deſerta latentes
Corripui innumeros, pœnæq; neciq; daturus,
Primatum iuſſu Solymis ego teſtibus ipſis
Vim comitum contra aſſumpſi, petijq; Damaſcum,
Chriſtigenæ Solymam ut uincti traherētur ad urbem.
Iamq; propinquabam, turres, ac tecta uidebam,
Quum multo ante oculos Chriſtus fulgore per auras
Emicuit, ſtrauitq; uelut me fulminis ardor.
Saule tibine licet fruſtra non uiribus æquis
Tendere me contra? cernas, quem Marte laceſſis.
Atra tuos, inquit, uelant quæ nubila ſenſus,
Eripiam, pulſaq; dabo caligine lucem,
Vt diuos poſſis, Diuûmq; arcana tueri.
Fœlicis gente in tota tu maximus æui
Teſtis eris, cultusq; feres ad ſidera noſtros.
Ipſe Deus cœlo, ſtupui, me quantus ab alto
Preſſit. non illum in ſomnis, non noctis opacæ
In tenebris uidi, ſed clara in luce loquentem.
His ſubitò dictis parens diuina per omnes
Terrarum tractus paſſim mandata ferebam,
Et melius fidei in donum genus omne uocabam.
Hinc furor immanis Solymis inceſſit, & atrum
Hinc odium. me certa ſalus ſpectata, meiq;
Maxima

Maxima ſpes generis dira hæc in uincla coëgit.
Non fruſtra ſummo lapſurum ex æthere Numen
Auxilio terræ, rurſumq; ad limina uitæ
Venturos homines bis ſenis patribus orti
Credidimus. Precibus ſi uitæ expertibus auram
Vitalem Helias, flatu ſi reddidit alter.
Iudæis etiam poſt ſceptrum Chriſtus ademptum
Monſtratus Vatis digito ſi uenit in orbem.
Mactandum humanam ſi ſe mitiſſimus ultrò
Obtulit ob noxam, rurſum ad limina uitæ
Surrexit primus, lucem qui præbeat orbi.
Inſcius iſta uirum ratus, inquit, fingere Præſes,
Quis nôuus in tantum furor, ô ueſane? quid audes
Talia mentiri, liceat quum uera fateri,
Quid fictis opus eſt? Iterum poſt funera uixit
Viribus, Euridice, manes ſi fortè dediſſent,
Vixiſſet rurſum. geminos ſupereſſe uiciſſim
Tindaridas fama eſt, locus hic non talia poſcit.
Tarſius hæc contra, in promptu, quæ dicimus, extant
Omnia. Quid fama cunctis tot cognita uulgo
Geſta Dei memorem? tamē hæc memorare neceſſe eſt,
Quæ uidi, & uidere omnes, nec talia regem
Agrippam latuere. Fuit notiſſimus oris
Lazarus Aſſyriæ, ad manes deſcenderat imos,
Quarta poſt obitum ad uitam qui luce reſurgit,
Numinis immenſi magna ter uoce uocatus.
Hic fugiens mea tela, deum quum feruidus ira

Perſequerer,ceſſit,geminasq́; per æquora uexit
Solis ad occaſum patria de ſede ſorores.
Sed tibi rem notam bone rex,nunc accipe,dicam.
Inſignem Chriſtum,Chriſtiq́; ingentia facta
Nouiſti.tibi nota nimis ſunt omnia,noſtri
Quæ Vates cecinere,quibus te credere certum eſt.
Tot lapſis,uideas,quæ ſit ſpes altera ſeclis.
Iudæa amiſſos facta eſt prouincia regno,
Ille ut ouis mactandus erat.Rex ocyus ipſe
Re tentas,ait, exigua me iungere Chriſto.
Paulus ad hæc,non te ſolum,ſed maximus omnes
Mortales uinclis faciat Deus ipſe remotis
Perſimiles,utinam,noſtri.nec plura loquutus.
Tum uero exoritur ſtipata per agmina murmur,
Phasne ligare uirum?ſic uno dicitur ore.
Fœmineas mouet ante omnes Regina querelas,
Quid meruit,ſi digna Deo,ſi magna loquutus
Vir Diuûm interpres?quæ uis cœleſtis in ipſo
Tanta latet?mentem tetigit quo numine fando,
Neſcio. Non illum cœlo,ſi promere phas eſt,
Inuiſum credo,magni qui ſæpe tonantis
Colloquio fruitur,diuinaq́; nuncia deſert.
Dixit,& è medio uinctum miſerata receſſit.
Tum Rex ſuſpenſum paucis incœpit amicum
Affari Feſtum,quàm magno pectore ſortes
Diſſerit æthereas,Vatumq́; oracula pandit?
Hic ſolui poterat prius,atq́; impune relinqui,

Sed nunc ad Latium, et magnam mittendus ad Vrbem
Romulidum, magni quia Cæſaris æqua popoſcit
Iudicia. Hæc fatus, ſolio deſcendit ab alto,
Pronus ad Heſperias quum Sol deſcenderet undas
Accelerans, curruq́; diem labente fugaret.
Conſurgunt cuncti, ſedemq́; uirumq́; relinquunt,
Et notos ineunt uicina nocte penates.

LIBER TERTIVS.

VT duri generis, uetus alta per æquora
liuor
Egit ad Heſperiam, & iuſſit rex magnus Olympi
Ire uirum, hanc unam aſſumit, quæ fortè parata,
Centurio, uelisq; aptat, remisq́; carinam
Iulius. huc ſubeunt ſocij, ſubit impia turba
Captorum, quibus ipſe (nephas) pius additur heros,
Deducunt proram, Tyrijq́; per æquoris undas
Alta ſecant unà intenti, iam ſole ſecundo
Monſtratur tellus, creſcitq́; in littore Sydon.
Hæc Chriſtum Pauli monitu iam norat, & omnes
Phœnices norant, uertunt ad littora puppim,
Ocyus ad portum defert ueniſſe reuinctum
Fama uirum, & tota uulgo denunciat urbe.
Erumpunt unà, deſertis undiq; tectis
Curritur, & primi procul, ô gens impia, u[illegible]

Auſa ligare pium, ſceleratæq; addere turbæ.
Nec plura, obſtupuere illi, tremuitq; repente
Iulius, & ueteres agnouit Paulus amicos.
State uiri, nutu fiunt hæc omnia (dixit)
Diuino. ire mihi turbata per æquora rurſus,
Aeneadumq; domos, magnæq; inuiſere fines,
Heſperiæ ſupereſt, & Cæſaris ora tueri.
In cultus ſubigenda pios capita ardua uincto,
Vltimaq; occiduæ debentur littora terræ.
Sic ait, inde uirum circunſtant undiq; plauſu,
Vſq; iuuat ſpectare, manuq; attingere uincla,
Appoſitis cunctos epulis ad mœnia ducunt.
Quæſitam gentem ſeruandi impulſus amore
Huc atq; huc graditur Paulus, paſſimq; uagatur
Cuncta ſuper Chriſto, quæ iam monſtrauerat olim,
Sydoniis repetit, mentesq; & pectora firmat
Cocyti contra ſtimulos, uiresq; ſiniſtras.
Altera iamq; dies optata aduenerat aura,
Velocemq; fugam pelagi, cœliq; ſerena
Monſtrabat facies, remosq; & uela uocabat.
Phœnices addunt abeunti munera puppi,
Sufficiuntq; uiæ Bacchum, Cereremq; paratam.
Deducta iam puppe uolant, feriuntq; ſecundi
Vela Noti, ſol occiduis ſe tingit in undis.
Ecce fremunt medio ſub noctem in gurgite uenti,
Atq; propinquantem Cypro ſubducere proram,
Vicinosq; negant mutati accedere portus.

Per maris obnixi Cilicum ſurgentia nautæ
Contendunt contrà, fluctusq́; urgentur in altos.
Allabi Lyciæ, atq; Myræ ſuccedere tectis
Contigit. Vna fuit iam rebus onuſta triremis,
Adnare Italiam uelis quæ forte parata,
Hanc cunctis ſimul aſſumptis conſcendit, & alto
Centurio dare uela iubet, curſumq́; parare.
Vi ualida intenti certant impellere nauem
Depreſſam ſocij, tumidas hæc lentior undas
Aere ſecat, celeriq́; fugæ contrarius obſtat
Ventus, onusq́; premens. multo pòſt tempore feſſi
Tellurem atq; Cnidi ſublata cacumina cernunt,
Cui gemino penitus iuncta eſt breuis inſula portu.
Huc claſſem aduerſis nequeunt ſubducere uentis,
Per maris Icarij fluctus ad littora Cretæ
Deueniunt, remis inſtant, terræq́; propinquant.
Iam gelidis urgebat hyems Titana ſagittis
Centauri, terrasq́; gelu cœlumq́; premebat.
Interea agnouit uenturi præſcius heros
Ingentem cœli rabiem, pelagiq́; futuram,
Et ſic admonuit feſſos, quid tendimus ultra?
Quò ruimus ſocij, nos multa pericula Ponti
Vndiq; circunſtant, claſſemq́; hyberna fatigant
Sidera depreſſam uariarum pondere rerum.
Quin nobis potius uicino in littore certum eſt
Vſq; ſub exactæ finem conſiſtere Brumæ?
Iam freta miſceri, cœlumq́; uidebimus atra

Grandine, & elatos ad ſidera ſurgere fluctus,
Atq; perire ratem amiſſis in gurgite rebus.
Ipſe gubernator contrà, tu talia fando
Me terrere queas? ſi non, quid ſidera monſtrent,
Quæ loca ſint, norim, Pontum quæ flamina turbent?
Nonne aliæ nobis quærendæ hoc tempore ſedes?
Quandoquidem hæc noſtræ non opportuna carinæ
Terra, Nothus iam dexter adeſt, iam monſtrat Orion
Fulgentem faciem, mulceriq; incipit æther.
Haud procul apricis Phœnix *qui uallibus auſtrum*
Mollior aſpectat, Boreæ *non frigora ſentit,*
Non hyemem. huc igitur remis impellite proram
O ſocij, hæc placidi quærenda eſt littoris ora.
Sic fatus, clauoq; ratem direxit in undas.
Hoc magis alterius pars capta cupidine ſedis,
Iulius hoc potius uenturi neſcius optat.
Omnibus inſuetus Phœnicem *exquirere portum*
Ardor ineſt miſeris nimium, qui certa canenti
Crediderint minime Paulo, *qui ſidera norat*
Sidereasq; uices, & ſi quid ſidera ſupra eſt.
Ecce per Aegæos *fluctus, perq; humida regna*
Ionij ſalis errabat Neptunus *honore*
Amiſſo mœſtus, Paulum *ut proſpexit euntem,*
Horruit, & trepidus retro ueſtigia flexit.
Nereidumq; domos, Phorciq; *liquentia tecta*
Miſcuit, & Maleæ *rapidas effugit ad undas.*
Hæc imo in fundo occultus ſic triſtia ſecum

Dicta

Dicta dedit, regnaſſe diu, labiq; repente
Eſt perquàm miſerum, pereunt res deniq; noſtræ.
Sed iactura minus quàm me modus iſte fatigat
Perdendi inſuetus, uulgo nos improbus omnes
Territat unus homo, totoq; extrudit ab orbe.
Et Chriſtum extremæ fert extra limina terræ,
Quem iubet ipſe coli depulſis omnibus unum.
Ortygiæ ſortes Lyciæq; extinxit, & ipſis
Theſidis modò nullus honos Tritonidis uſquam eſt,
Deſpectam prius ultricem ſtirps Lemnia matrum
Experta eſt Venerem, quæ nunc inuiſere Cyprum
Non audet. Damno nobis ſi fortè dolere
Communi licuit, tamen atra iniuria matris
Me tetigit, Phrygiæ culta eſt quæ collibus Idæ.
Ille Deûm priſcos pellens à culmine ritus,
Iliacis latè erraret dum finibus olim,
Pulſa metu genitrix latuit, nec ſpreta uideri
Pòſt uoluit, ſæuum potui nec ferre dolorem.
Vlciſci cupiens pelago ſpeculabar ab alto,
Illum protenſis currentem in gurgite uelis
Aggreſſus, uentis turbaui ingentibus æquor,
In ſcopulos traxi feſſam, fregiq; carinam.
Occubuere omnes, Epheſi quo numine littus
Attigerit ſolus, ſtupui. Latonia longè
Aduentum ſenſit, penituſq; exterrita fugit.
Hoc (inquit) Neptune paras caput addere templis
Exitiale meis? merui num talia de te?

Me toto oppoſui nixu commotus, & urbem
In furias rapui, dirumq́; in cædis amorem,
Intulit ille tamen pulſa ſua ſacra Diana,
Germanæ natale ſolum, quem deinde parantem
Rurſus adire Samum inuaſi. Quid frangere proram,
Aduerſis miſcere Notis *quid profuit undas?*
Forte uirum excepit ſubmerſis obuia nantem
Omnibus una ratis, feſſumq́; ad littora uexit,
It Romam *tandem poſt tanta incommoda noſtra*
Pulſurus fratrem, magnamq́; ex arce ſororem
Tarpeia. uinclis ſeſe ultrò obiecit, ut ingens
Eſſet honor facti, magnos domuiſſe penates
Qui potuit uinctus, ueteriq́; extrudere regno.
Nunc, quanquam opponam fruſtra me talibus auſis,
Aggrediar, tales pariat ne incuria caſus.
Hæc ubi dicta, quatit terram cœlumq́; tridenti,
Turbataſq́; rotis ſulcat uelocibus undas.
Iam pelagi pallet facies, exſurgere nubes
Incipit in montem, denſumq́; per aera tolli,
Quæ pontum occultat latè, atq; extenditur omnes
In parteis, operitq́; diem cœlumq́; tenebris.
Ventorum moto conſurgunt prælia fundo.
Cōtrà Eurus, Zephyrus*q́; fremēs, atq; horridus atra*
Tempeſtate No*tus furit, & uada turbine miſcet.*
Sub noctem aduerſi ſurgens aquilonis in altum
Sæuit hyems, claſſemq́; ignota per æquora uoluit.
Deficiunt tanto exanimes diſcrimine nautæ,

Per

Per noctem ratis infeſtas ne fluctibus acta
Decidat in Syrteis, curſum retinere laborant.
Funditur omne premens rerũ graue pondus, & undis
Dantur opes, precio ipſa ſalus pereuntibus omni
Quæritur. hinc uarijs iactati in fluctibus errant,
Bis quinos ſine ſole dies, totidemq́; procella
Acriter impulſa uentis ſine ſidere noctes
Voluuntur. caſus cunctis fortuna ſupremos
Intentat, ſperatq́; extrema euadere nemo.
Tum Paulus, tanta hæc inter diſcrimina uobis
Humanis opibus non eſt, ut cernitis, ulla
Expectanda ſalus. potius conſiſtere portu
Phas fuit, infido quàm ſe commitere Ponto.
Hæc eſt illa tamen certæ uia ſola ſalutis,
Quam cecinit Deus ipſe mihi· tu Cæſare coram
Teſtis noſter eris, uentisq́; undisq́; recepti
Te propter uiuent, qui ſunt in gurgite tecum,
Te propter cunctis animam donauimus ultro,
Effracta incolumes uenient ad littora puppi.
Vos igitur feſſi ô ſocij (non irrita quando
Sunt promiſſa Dei) certam expectate ſalutem.
Talibus haud potuit dictis excedere terror,
Vrgenti miſeris horreſcunt omnia leto,
A tergo ſtridens denſum cœ per aera turbo
Infremuit, & puppim per multa pericula uoluit
Aequoris in Libyci fluctus. Caligine iuxta
In noctem apparent rupes, nox humida nautas

Ex-

Exterret. ne cæca ruant in ſaxa, rudentes
Expediunt illi, fundumq́; tenaciter uncis
Dentibus arripiunt, impulſaq́; carbaſa ſiſtunt.
Quum mare miſceri uideant uincente procella,
Terrentur, ſimulant funes extendere uelle,
Cautius ut lembum excipiant, terramq́; relictis
Contingant ſocijs. Præſenſit Tarſius heros
Has ubi moliri fraudes, abitumq́; parare,
Vos (inquit) prohibete nephas, diſcedere nautæ
Tanta parant ſocijs inter uada cæca relictis.
Hæc tantum effatus, ſubitò fugientibus ipſe
Iulius obſtandum clamat, mox irruit omnis
Iuſſa cohors, ſtrictisq́; uiam tenet enſibus ardens.
Vincla ſecant, cymbamq́; procul per cærula tradunt,
Quo nautis minus ulla fugæ ſpes eſſet in undis.
Noctem illam uariæ poſtrema timentibus horrent
Monſtrorum ante oculos cõmota per æquora formæ.
Eoos iam Solis equos Aurora uocabat,
Dum Libycos inter fluctus, mediamq́; Sicanos
Conſpiciunt Meliten, tollunt retinacula fundo,
Huc feſſi (fuerit ſtatio quæcunq;) ſubire
Vrgenti certant pelagi grauiore periclo.
Eſt iuxtà gracilis tellus, quæ diuidit undas,
Longe extenſa mari medio, geminiq; propinquo
Littoris obiectu premitur non hoſpita remis.
Protinus huc ſæuo ratis acta Aquilone propinquat,
Et uario it curſu. ſumma nunc pendet in unda,

Nunc

Nunc ruit in præceps, terram nunc pulſat apertam
Inter aquæ cumulos, feruentemq́; æquoris æſtum.
Hanc iuxta adſtantem ſtridens (miſerabile uiſu)
Impellit turbo, æratamq́; infigit arenis
Cum gemitu proram. illa uadis inflicta moratur
Subducto fluctu, terræq́; immobilis hæret.
Diſcutitur, crebraq́; impulſæ mole fatiſcit
Puppis aquæ. ſtupuere omnes, littusq́; propinquum
Nando intrare parant. Sed captos militis ira
In tanto afflictos miſerari neſcia caſu
Obtruncare cupit, fugiat ne uincula quiſquam
Elapſus pelagi fatis. Hoc Iulius ipſe
Centurio Paulum miſerans committere tantum
Triſte nephas prohibet, nando ſibi quiſque ſalutem
Nunc age quærat, ait, caſusq́; euitet acerbos.
Extemplo in partes undis iam uicta carina
Soluitur, & crebro diſiecta inuoluitur æſtu.
Adnare effuſi turbato in gurgite certant,
Ille gubernaclo tumidis innixus in undis,
Hic uelum amplexus. trabibus pars magna reuulſis,
Pars remis natat, atq; alijs ſua brachia proſunt
Cum pedibus. ſubeunt omnes (mirabile dictu)
Tellurem incolumes, madidaq́; in ueſte fluentes
Ore ſalem reddunt, brumaq́; urgente premuntur.
Vt miſcente Noto nautis non hoſpita claſſem
Littora quærentem aſpiciunt è collibus altis
Agricolæ, dandum clamant pereuntibus alto

Subſi-

Subſidium,ruit agreſtum collecta iuuentus.
Vt uenere,pyram expediunt in littore ſicco,
Succenduntq́; focos. flammis obiectat onuſtus
Sarmentum Paulus,congeſtis arida circum
Fortè alimenta rogis late dum ſternit,& ignem
Excitat incenſum,ecce(nephas)ſæuiſſima tactu
Vipera ſarmentis latet,occuliturq́; latebris
Impatiens hyemis,fumum ut præſenſit & æſtum.
Diſſoluit nexus,& ſeſe extendit in auras
Sanguineis oculos flammis infecta,uiriq́;
Inuadit dextram,morſuq́; infigit amaro
Virus acerba ferens plagis.tam dira ueneni
Hæc fuit illa lues,ut tunc periſſet acerbo
Si periiſſe grauis morſu potuiſſet echidnæ.
Excutit in flammas peſtem,quæ uoluitur æſtu
Vulcani medio,crimenq́; expendit iniquum.
Illam ut pendentem,& dextra uidere cadentem
Agricolæ,murmur,fati plebs neſcia,tollunt·
Proh ſcelus(exclamant)humana polluit iſte
Cæde manus,pelagi elapſum quem fluctibus ipſi
Dii ſcelerum ultores terra ſupereſſe recuſant.
Stant longo obtutu,extinguat ſi forte ueneni
Vis extrema uirum,ſoluatq́; à corpore uitam.
Quem poſtquam morſus tutum euaſiſſe nephandos
Conſpexere,ſtupent·Deus hic,quem nulla ueneni
Vis necat,exclamant. Monuit quos maximus heros,
Iſta rei nouitas ne uos,aduertite,fallat:

Sum

Sum uir mortalis,dat uires magnus Olympi
Rector,quem neq; adhuc ullo coluiſtis honore.
Cultores tegit ipſe ſuos,quos lædere nulli
Viperei morſus,aut noxia pocula poſſunt.
Hunc Agabus uates morſum,atq; hæc uincula nobis
Prædixit,palmis nectens mea cingula quondam.
Hæc(inquit)nunc illa uiri gero cingula,cui iam
Vincla parant Solymi,litem cognoſcere phas eſt
Externis,motumq; Notis dare uela per æquor.
Fruſtra aggreſſa manum flagrabit uipera flammis.
Sacra feret Chriſto Latium,Chriſtumq; fugatis
Dijs patrijs Roma accipiet.quot funera cerno
Chriſtigenûm,caſumq; magi,celeremq; uolatum?
Vis duo grande uiros,hominum decus auferet orbi.
Pendeat hic ligno,ſitq; alter truncus arena
Vertice ſublato,& cædat ſua dextra tyrannum.
Tales ille mihi morſus reſtare canebat.
Vos agite ô cuncti,magnum cognoſcite Numen,
Quo potuit,poteritq; aliud non maius haberi.
Talia dicentem cupidi magis uſq; tueri
Atq; audire uirum,& ſacrum cognoſcere morem
Ardeſcunt omnes,magnum quod Numen adorent,
Cui celebrem ſtatuant cultum,cui munera ponant.
Haud procul in medijs uillam rex Publius aruis
Condiderat,tribus eiecti tenuere diebus.
Huius enim pater expirans fortaſſe iacebat,
Membra diu rapido febris contriuerat æſtu,

Et lactes grauis illuuies. non profuit uſus
Pæonius, uoiuit fruſtra ſuccurrere Chiron.
Pæoniæ nocuere herbæ, nec ferre uocatæ
Auxilium uotis uires potuere deorum.
Hunc ergo petit accelerans non inſcius heros,
Et iam expirantem admiſſus, gemitusq́; cientem
Reſpicit extremos, ſubitoq́; exorat Olympi
Pronus opem: mea te curet duce dextera Chriſto,
Inquit, & hoc dicens ægrum contingit, & auram
Vitalem extemplo retinet migrare paratam.
Lactibus excedit dolor, atq; extinguitur æſtus,
Et male contritos noua uis perfunditur artus.
Ille torum linquens ualido ſe corpore tollit
Incolumis, graditurq́; citus, miſerabile dictu.
Hæc tam præſentis nondum prius acta per aures
Rara Dei aſpectans miratur numina uulgus.
Ergo omnes uotis magnum precibusq́; uacantes
Dignantur Chriſtum, incenduntq́; altaria flammis:
Ad ſacros fontes, ſacræq; ad flumina lymphæ
Conueniunt, iam fama mouet regionibus illis
Finitimos, & miſſa ſalus cœleſtibus auris.
Innumeros rerum nouitas huc undiq; cogit,
Innumeri uarijs ſine fine à partibus adſunt,
Morborum illuuies grauiter quos merſerat atra,
Expertes uocum, ac uiſu audituq́; carentes,
Optatusue pedum quibus olim defuit uſus,
Auxilium implorant. tactu quos maximus heros

Exo-

Exorans curat,uireſq; refundit in artus.
Nec ſatis,ecce (licet mihi non incerta referre)
Veſte uiri tacta innumeri ſanantur,& ipſi
Sanari citius qua ui potuere,uolutant.
Aſſiduo huc tribus hybernis,illucq; uagatur
Menſibus,& cunctos diuina ad fœdera uertit.
Ignaros ceu forte uiæ,qui ſaltibus errant
Syluarum ignotis inter metuenda ferarum
Tecta uagi,pecudes dum luſtra per auia paſtor
Explorat paſſim amiſſas,in tuta reduxit.
Interea brumæ fugat intractabile frigus
Helleas ingreſſa domos Titania flamma,
Et poſitis Zephyri aſpirant aquilonibus auræ.
Stat remis inſtructa ratis,ſummoq; refulgent
Tyndaridæ,Melitæa ruit gens omnis ad undam,
Et Bacchum imponit,Cereremq;,uiatica puppi.
Rex heroa bonus paucis affatus euntem,
Vir diuine meis conſiſte penatibus,inquit,
Seruiet ipſa tibi Melite,Chriſtoq; per aras
Te duce ſacra feret,meritumq; extollet honorem.
Tum Paulus contrà,nuſquam licet uſq; morari
O bone rex,mihi ſunt omnes una atria terræ
Erranti,& cunctos ſacra ad meliora uocanti.
Nec plura,expediunt curſum tellure relicta,
Extenduntq; ſinum,placidi conſurgere uenti
Incipiunt,motas feriunt iam uela per undas
Trinacriæ,ſurgunt rupes & ſaxa Pachini.

Perſequerer, ceſſit, geminasq; per æquora uexit
Solis ad occaſum patria de ſede ſorores.
Sed tibi rem notam bone rex, nunc accipe, dicam.
Inſignem Chriſtum, Chriſtiq; ingentia facta
Nouiſti. tibi nota nimis ſunt omnia, noſtri
Quæ Vates cecinere, quibus te credere certum eſt.
Tot lapſis, uideas, quæ ſit ſpes altera ſeclis.
Iudæa amiſſos facta eſt prouincia regno,
Ille ut ouis mactandus erat. Rex ocyus ipſe
Re tentas, ait, exigua me iungere Chriſto.
Paulus ad hæc, non te ſolum, ſed maximus omnes
Mortales uinclis faciat Deus ipſe remotis
Perſimiles, utinam, noſtri. nec plura loquutus.
Tum uero exoritur ſtipata per agmina murmur,
Phasne ligare uirum? ſic uno dicitur ore.
Fœmineas mouet ante omnes Regina querelas,
Quid meruit, ſi digna Deo, ſi magna loquutus
Vir Diuûm interpres? quæ uis cœleſtis in ipſo
Tanta latet? mentem tetigit quo numine fando,
Neſcio. Non illum cœlo, ſi promere phas eſt,
Inuiſum credo, magni qui ſæpe tonantis
Colloquio fruitur, diuinaq; nuncia defert.
Dixit, & è medio uinctum miſerata receſſit.
Tum Rex ſuſpenſum paucis incœpit amicum
Affari Feſtum, quàm magno pectore ſortes
Differit æthereas, Vatumq; oracula pandit?
Hic ſolui poterat prius, atq; impune relinqui,

Sed nunc ad Latium, et magnam mittendus ad Vrbem
Romulidum, magni quia Cæſaris æqua popoſcit
Iudicia. Hæc fatus, ſolio deſcendit ab alto,
Pronus ad Heſperias quum Sol deſcenderet undas
Accelerans, curruq; diem labente fugaret.
Conſurgunt cuncti, ſedemq́; uirumq́; relinquunt,
Et notos ineunt uicina nocte penates.

LIBER TERTIVS.

VT duri generis uetus alta per æquora liuor
Egit ad Heſperiam, & iuſſit rex magnus Olympi
Ire uirum, hanc unam aſſumit, quæ fortè parata,
Centurio, uelisq́; aptat, remisq́; carinam
Iulius. huc ſubeunt ſocij, ſubit impia turba
Captorum, quibus ipſe (nephas) pius additur heros,
Deducunt proram, Tyrijq́; per æquoris undas
Alta ſecant unà intenti, iam ſole ſecundo
Monſtratur tellus, creſcitq́; in littore Sydon.
Hæc Chriſtum Pauli monitu iam norat, & omnes
Phœnices norant, uertunt ad littora puppim,
Ocyus ad portum defert ueniſſe reuinctum
Fama uirum, & tota uulgo denunciat urbe.
Erumpunt unà, deſertis undiq; tectis
Curritur, & primi procul, ô gens impia, u[illegible]

Auſa ligare pium, ſceleratæq; addere turbæ.
Nec plura, obſtupuere illi, tremuitq; repente
Iulius, & ueteres agnouit Paulus amicos.
State uiri, nutu fiunt hæc omnia (dixit)
Diuino. ire mihi turbata per æquora rurſus,
Aeneadumq; domos, magnæq; inuiſere fines,
Heſperiæ supereſt, & Cæſaris ora tueri.
In cultus ſubigenda pios capita ardua uincto,
Vltimaq; occiduæ debentur littora terræ.
Sic ait, inde uirum circunſtant undiq; plauſu,
Vſq; iuuat ſpectare, manuq; attingere uincla,
Appoſitis cunctos epulis ad mœnia ducunt.
Quæſitam gentem ſeruandi impulſus amore
Huc atq; huc graditur Paulus, paſſimq; uagatur
Cuncta ſuper Chriſto, quæ iam monſtrauerat olim,
Sydoniis repetit, mentesq; & pectora firmat
Cocyti contra ſtimulos, uiresq; ſiniſtras.
Altera iamq; dies optata aduenerat aura,
Velocemq; fugam pelagi, cœliq; ſerena
Monſtrabat facies, remosq; & uela uocabat.
Phœnices addunt abeunti munera puppi,
Sufficiuntq; uiæ Bacchum, Cereremq; paratam.
Deducta iam puppe uolant, feriuntq; ſecundi
Vela Noti, ſol occiduis ſe tingit in undis.
Ecce fremunt medio ſub noctem in gurgite uenti,
Atq; propinquantem Cypro ſubducere proram,
Vicinosq; negant mutati accedere portus.

Per

Per maris obnixi Cilicum ſurgentia nautæ
Contendunt contrà, fluctusq; urgentur in altos.
Allabi Lyciæ, atq; Myræ ſuccedere tectis
Contigit. Vna fuit iam rebus onuſta triremis,
Adnare Italiam uelis quæ forte parata,
Hanc cunctis ſimul aſſumptis conſcendit, & alto
Centurio dare uela iubet, curſumq; parare.
Vi ualida intenti certant impellere nauem
Depreſſam ſocij, tumidas hæc lentior undas
Aere ſecat, celeriq; fugæ contrarius obſtat
Ventus, onusq; premens. multo pòſt tempore feſſi
Tellurem atq; Cnidi ſublata cacumina cernunt,
Cui gemino penitus iuncta eſt breuis inſula portu.
Huc claſſem aduerſis nequeunt ſubducere uentis,
Per maris Icarij fluctus ad littora Cretæ
Deueniunt, remis inſtant, terræq; propinquant.
Iam gelidis urgebat hyems Titana ſagittis
Centauri, terrasq; gelu cœlumq; premebat.
Interea agnouit uenturi præſcius heros
Ingentem cœli rabiem, pelagiq; futuram,
Et ſic admonuit feſſos, quid tendimus ultra?
Quò ruimus ſocij, nos multa pericula Ponti
Vndiq; circunſtant, claſſemq; hyberna fatigant
Sidera depreſſam uariarum pondere rerum.
Quin nobis potius uicino in littore certum eſt
Vſq; ſub exactæ finem conſiſtere Brumæ?
Iam freta miſceri, cœlumq; uidebimus atra

Grandine, & elatos ad ſidera ſurgere fluctus,
Atq; perire ratem amiſſis in gurgite rebus.
Ipſe gubernator contrà, tu talia fando
Me terrere queas? ſi non, quid ſidera monſtrent,
Quæ loca ſint, norim, Pontum quæ flamina turbent?
Nonne aliæ nobis quærendæ hoc tempore ſedes?
Quandoquidem hæc noſtræ non opportuna carinæ
Terra, Nothus iam dexter adeſt, iam monſtrat Orion
Fulgentem faciem, mulceriq; incipit æther.
Haud procul apricis Phœnix qui uallibus auſtrum
Mollior aſpectat, Boreæ non frigora ſentit,
Non hyemem. huc igitur remis impellite proram
O ſocij, hæc placidi quærenda eſt littoris ora.
Sic fatus, clauoq; ratem direxit in undas.
Hoc magis alterius pars capta cupidine ſedis,
Iulius hoc potius uenturi neſcius optat.
Omnibus inſuetus Phœnicem exquirere portum
Ardor ineſt miſeris nimium, qui certa canenti
Crediderint minime Paulo, qui ſidera norat
Sidereasq; uices, & ſi quid ſidera ſupra eſt.
Ecce per Aegæos fluctus, perq; humida regna
Ionij ſalis errabat Neptunus honore
Amiſſo mœſtus, Paulum ut proſpexit euntem,
Horruit, & trepidus retro ueſtigia flexit.
Nereidumq; domos, Phorciq; liquentia tecta
Miſcuit, & Maleæ rapidas effugit ad undas.
Hæc imo in fundo occultus ſic triſtia ſecum
Dicta

Dicta dedit, regnaſſe diu, labiq; repente
Eſt perquàm miſerum, pereunt res deniq; noſtræ.
Sed iactura minus quàm me modus iſte fatigat
Perdendi inſuetus, uulgo nos improbus omnes
Territat unus homo, totoq; extrudit ab orbe.
Et Chriſtum extremæ fert extra limina terræ,
Quem iubet ipſe coli depulſis omnibus unum.
Ortygiæ ſortes Lyciæq; extinxit, & ipſis
Theſidis modò nullus honos Tritonidis uſquam eſt,
Deſpectam prius ultricem ſtirps Lemnia matrum
Experta eſt Venerem, quæ nunc inuiſere Cyprum
Non audet. Damno nobis ſi fortè dolere
Communi licuit, tamen atra iniuria matris
Me tetigit, Phrygiæ culta eſt quæ collibus Idæ.
Ille Deum priſcos pellens à culmine ritus,
Iliacis latè erraret dum finibus olim,
Pulſa metu genitrix latuit, nec ſpreta uideri
Pòſt uoluit, ſæuum potui nec ferre dolorem.
Vlciſci cupiens pelago ſpeculabar ab alto,
Illum protenſis currentem in gurgite uelis
Aggreſſus, uentis turbaui ingentibus æquor,
In ſcopulos traxi feſſam, fregiq; carinam.
Occubuere omnes, Epheſi quo numine littus
Attigerit ſolus, ſtupui. Latonia longè
Aduentum ſenſit, penituſq; exterrita fugit.
Hoc (inquit) Neptune paras caput addere templis
Exitiale meis? merui num talia de te?

Per noctem ratis infeſtas ne fluctibus acta
Decidat in Syrteis, curſum retinere laborant.
Funditur omne premens rerũ graue pondus, & undis
Dantur opes, precio ipſa ſalus pereuntibus omni
Quæritur. hinc uarijs iactati in fluctibus errant,
Bis quinos ſine ſole dies, totidemq́; procella
Acriter impulſa uentis ſine ſidere noctes
Voluuntur. caſus cunctis fortuna ſupremos
Intentat, ſperatq́; extrema euadere nemo.
Tum Paulus, tanta hæc inter diſcrimina uobis
Humanis opibus non eſt, ut cernitis, ulla
Expectanda ſalus. potius conſiſtere portu
Phas fuit, infido quàm ſe commitere Ponto.
Hæc eſt illa tamen certæ uia ſola ſalutis,
Quam cecinit Deus ipſe mihi: tu Cæſare coram
Teſtis noſter eris, uentisq́; undisq́; recepti
Te propter uiuent, qui ſunt in gurgite tecum,
Te propter cunctis animam donauimus ultro,
Effracta incolumes uenient ad littora puppi.
Vos igitur feſſi ô ſocij (non irrita quando
Sunt promiſſa Dei) certam expectate ſalutem.
Talibus haud potuit dictis excedere terror,
Vrgenti miſeris horreſcunt omnia leto,
A tergo ſtridens denſum cœ per aera turbo
Infremuit, & puppim per multa pericula uoluit
Aequoris in Libyci fluctus. Caligine iuxta
In noctem apparent rupes, nox humida nautas

Ex-

Exterret. ne cæca ruant in ſaxa, rudentes
Expediunt illi, ſundumq́; tenaciter uncis
Dentibus arripiunt, impulſaq́; carbaſa ſiſtunt.
Quum mare miſceri uideant uincente procella,
Terrentur, ſimulant funes extendere uelle,
Cautius ut lembum excipiant, terramq́; relictis
Contingant ſocijs. Præſenſit Tarſius heros
Has ubi moliri fraudes, abitumq́; parare,
Vos (inquit) prohibete nephas, diſcedere nautæ
Tanta parant ſocijs inter uada cæca relictis.
Hæc tantum effatus, ſubitò fugientibus ipſe
Iulius obſtandum clamat, mox irruit omnis
Iuſſa cohors, ſtrictisq́; uiam tenet enſibus ardens.
Vincla ſecant, cymbamq́; procul per cærula tradunt,
Quo nautis minus ulla fugæ ſpes eſſet in undis.
Noctem illam uariæ poſtrema timentibus horrent
Monſtrorum ante oculos cõmota per æquora formæ.
Eoos iam Solis equos Aurora uocabat,
Dum Libycos inter fluctus, mediamq́; Sicanos
Conſpiciunt Meliten, tollunt retinacula fundo,
Huc feſſi (fuerit ſtatio quæcunq;) ſubire
Vrgenti certant pelagi grauiore periclo.
Eſt iuxtà gracilis tellus, quæ diuidit undas,
Longe extenſa mari medio, geminiq; propinquo
Littoris obiectu premitur non hoſpita remis.
Protinus huc ſæuo ratis acta Aquilone propinquat,
Et uario it curſu. ſumma nunc pendet in unda,

Nunc

Nunc ruit in præceps, terram nunc pulſat apertam
Inter aquæ cumulos, ferue ntemq́; æquoris æſtum.
Hanc iuxta adſtantem ſtridens (miſerabile uiſu)
Impellit turbo, æratamq́; infigit arenis
Cum gemitu proram. illa uadis inflicta moratur
Subducto fluctu, terræq; immobilis hæret.
Diſcutitur, crebraq; impulſæ mole fathiſcit
Puppis aquæ. ſtupuere omnes, littusq; propinquum
Nando intrare parant. Sed captos militis ira
In tanto afflictos miſerari neſcia caſu
Obtruncare cupit, fugiat ne uincula quiſquam
Elapſus pelagi fatis. Hoc Iulius ipſe
Centurio Paulum miſerans committere tantum
Triſte nephas prohibet, nando ſibi quiſque ſalutem
Nunc age quærat, ait, caſusq; euitet acerbos.
Extemplo in partes undis iam uicta carina
Soluitur, & crebro diſiecta inuoluitur æſtu.
Adnare effuſi turbato in gurgite certant,
Ille gubernaclo tumidis innixus in undis,
Hic uelum amplexus. trabibus pars magna reuulſis,
Pars remis natat, atq; alijs ſua brachia proſunt
Cum pedibus. ſubeunt omnes (mirabile dictu)
Tellurem incolumes, madidaq; in ueſte fluentes
Ore ſalem reddunt, brumaq; urgente premuntur.
Vt miſcente Noto nautis non hoſpita claſſem
Littora quærentem aſpiciunt è collibus altis
Agricolæ, dandum clamant pereuntibus alto

Subſi-

Subſidium,ruit agreſtum collecta iuuentus.
Vt uenere,pyram expediunt in littore ſicco,
Succenduntq; focos.flammis obiectat onuſtus
Sarmentum Paulus,congeſtis arida circum
Fortè alimenta rogis late dum ſternit,& ignem
Excitat incenſum,ecce(nephas)ſæuiſſima tactu
Vipera ſarmentis latet,occuliturq; latebris
Impatiens hyemis,fumum ut præſenſit & æſtum.
Diſſoluit nexus,& ſeſe extendit in auras
Sanguineis oculos flammis infecta,uiriq;
Inuadit dextram,morſuq; infigit amaro
Virus acerba ferens plagis.tam dira ueneni
Hæc fuit illa lues,ut tunc periſſet acerbo
Si perijſſe grauis morſu potuiſſet ehidnæ.
Excutit in flammas peſtem,quæ uoluitur æſtu
Vulcani medio,crimenq́; expendit iniquum.
Illam ut pendentem,& dextra uidere cadentem
Agricolæ,murmur,fati plebs neſcia,tollunt·
Proh ſcelus(exclamant)humana polluit iſte
Cæde manus,pelagi elapſum quem fluctibus ipſi
Dij ſcelerum ultores terra ſupereſſe recuſant.
Stant longo obtutu,extinguat ſi forte ueneni
Vis extrema uirum,ſoluatq́; à corpore uitam.
Quem poſtquam morſus tutum euaſiſſe nephandos
Conſpexere,ſtupent·Deus hic,quem nulla ueneni
Vis necat,exclamant. Monuit quos maximus heros,
Iſta rei nouitas ne uos,aduertite,fallat:

Sum

Sum uir mortalis,dat uires magnus Olympi
Rector,quem neq; adhuc ullo coluiſtis honore.
Cultores tegit ipſe ſuos,quos lædere nulli
Viperei morſus,aut noxia pocula poſſunt.
Hunc Agabus uates morſum,atq; hæc uincula nobis
Prædixit,palmis nectens mea cingula quondam.
Hæc(inquit)nunc illa uirigero cingula,cui iam
Vincla parant Solymi,litem cognoſcere phas eſt
Externis,motumq; Notis dare uela per æquor.
Fruſtra aggreſſa manum flagrabit uipera flammis.
Sacra feret Chriſto Latium,Chriſtumq; fugatis
Dijs patrijs Roma accipiet.quot funera cerno
Chriſtigenûm,caſumq; magi,celeremq; uolatum?
Vis duo grande uiros,hominum decus auferet orbi.
Pendeat hic ligno,ſitq; alter truncus arena
Vertice ſublato,& cædat ſua dextra tyrannum.
Tales ille mihi morſus reſtare canebat.
Vos agite ô cuncti, magnum cognoſcite Numen,
Quo potuit,poteritq; aliud non maius haberi.
Talia dicentem cupidi magis uſq; tueri
Atq; audire uirum,& ſacrum cognoſcere morem
Ardeſcunt omnes,magnum quod Numen adorent,
Cui celebrem ſtatuant cultum,cui munera ponant.
Haud procul in medijs uillam rex Publius aruis
Condiderat,tribus eiecti tenuere diebus.
Huius enim pater expirans fortaſſe iacebat,
Membra diu rapido febris contriuerat æſtu,

Et lactes grauis illuuies. non profuit uſus
Pæonius, uoiuit fruſtra ſuccurrere Chiron.
Pæoniæ nocuere herbæ, nec ferre uocatæ
Auxilium uotis uires potuere deorum.
Hunc ergo petit accelerans non inſcius heros,
Et iam expirantem admiſſus, gemitusq́; cientem
Reſpicit extremos, ſubitoq́; exorat Olympi
Pronus opem: mea te curet duce dextera Chriſto,
Inquit, & hoc dicens ægrum contingit, & auram
Vitalem extemplo retinet migrare paratam.
Lactibus excedit dolor, atq; extinguitur æſtus,
Et male contritos noua uis perfunditur artus.
Ille torum linquens ualido ſe corpore tollit
Incolumis, graditurq́; citus, miſerabile dictu.
Hæc tam præſentis nondum prius acta per aures
Rara Dei aſpectans miratur numina uulgus.
Ergo omnes uotis magnum precibusq́; uacantes
Dignantur Chriſtum, incenduntq́; altaria flammis.
Ad ſacros fontes, ſacræq; ad flumina lymphæ
Conueniunt, iam fama mouet regionibus illis
Finitimos, & miſſa ſalus cœleſtibus auris.
Innumeros rerum nouitas huc undiq; cogit,
Innumeri uarijs ſine fine à partibus adſunt,
Morborum illuuies grauiter quos merſerat atra,
Expertes uocum, ac uiſu audituq́; carentes,
Optatusue pedum quibus olim defuit uſus,
Auxilium implorant. tactu quos maximus heros

Exo-

Exorans curat, uireſq; refundit in artus.
Nec ſatis, eæ (licet mihi non incerta referre)
Veſte uiri tacta innumeri ſanantur, & ipſi
Sanari citius qua ui potuere, uolutant.
Aſſiduo huc tribus hybernis, illucq; uagatur
Menſibus, & cunctos diuina ad fœdera uertit.
Ignaros ceu ſorte uiæ, qui ſaltibus errant
Syluarum ignotis inter metuenda ferarum
Tecta uagi, pecudes dum luſtra per auia paſtor
Explorat paſſim amiſſas, in tuta reduxit.
Interea brumæ fugat intractabile frigus
Helleas ingreſſa domos Titania flamma,
Et poſitis Zephyri aſpirant aquilonibus auræ.
Stat remis inſtructa ratis, ſummoq; refulgent
Tyndaridæ, Melitæa ruit gens omnis ad undam,
Et Bacchum imponit, Cereremq;, uiatica puppi.
Rex heroa bonus paucis affatus euntem,
Vir diuine meis conſiſte penatibus, inquit,
Seruiet ipſa tibi Melite, Chriſtoq; per aras
Te duce ſacra feret, meritumq; extollet honorem.
Tum Paulus contrà, nuſquam licet uſq; morari
O bone rex, mihi ſunt omnes una atria terræ
Erranti, & cunctos ſacra ad meliora uocanti.
Nec plura, expediunt curſum tellure relicta,
Extenduntq; ſinum, placidi conſurgere uenti
Incipiunt, motas feriunt iam uela per undas
Trinacriæ, ſurgunt rupes & ſaxa Pachini.

Tecta Syracuſia apparent, ciuilibus armis
Quæ fuerant euerſa prius. poſt aſpera bella
Auguſtus partem, primos quæ reſpicit ortus,
Quæ ſacris Arethuſa tuis extenditur undis,
Erexit, iuſſitq; nouos habitare colonos.
Poſtquàm treis illic ſoles egere, ſub ortum
Auroræ portu excedunt, & littora circum
Trinacriæ celerant, Zanclææ conditur altus
Vrbis apex, feciſſe ferunt cui nomina falcem
Saturni. fines abeunt, urbesq; Sicanæ,
Rheginas ſubeunt ſedes impulſa ſecundo
Vela noto. inde uolat Tyrrhena per æquora claſſis,
Cimmeriasq; domos iuxta iam diuidit undam,
Fama Dicarchææ populo dum nunciat urbis
Aduenisse uirum, & fines petiiſſe Latinos,
Quem Deus ad terras mittendum elegerat omnes.
Ergo ubi uicinis appulſam remige nauem
Chriſtigenûm collecta manus cognouerit oris,
Ad portum ruit, & feſſos ad mœnia ducit.
Appoſitis uulgo dapibus, menſisq; paratis,
Rurſus abire parant, aſpirat euntibus Auſter,
Auſter agit puppim, & tandem per Tybridis intrant
Oſtia, & auerſos ſuperant luctamine fluctus.
Illo forte die innumeri, qui Martis ad urbem
Seſe pertulerant uariis à partibus orbis,
Narrabant, quàm mira forent primordia noſtræ
Fœlicis fidei. meruit quid maximus unus

De

De cunctis præco, monitu qui flexerit omnem
Europæ atq; Aſiæ diuina ad fœdera gentem.
Saxa ſemel, ter naufragium, ter uerbera paſſus,
Vt uarios caſus, diras ut ſæpe ſuorum
Euaſit furias per multa pericula uictor.
Hæc inter ſeſe. Portis urbiq; propinquat
Interea Paulus, fluuiumq́; ratemq́; relinquit.
Chriſticolûm pia progreditur gens ocyus omnis
Obuia. completur late locus, Appia longe
Qua ſeſe extendit uia. quos ubi Tharſius heros
Proſpicit, hæc ſecum, Præſens, ait, ætheris omni
Labitur aura loco, & patet alti ianua cœli.
Nimirum externis Domini grex creſcit in oris.
En numerus, cui parta quies, Deus omnibus aſtra
Annuit. hæc fatus, numerum inueniſſe piorum
Lætatur, certæq́; aditum patuiſſe ſalutis.
Tum uero ingenti ducunt per compita plauſu,
Circunſtantq́; uirum læti, & comitantur euntem.
Iamq́; uiri magnum late increbreſcere nomen
Per Latium, multisq́; augeri gloria factis
Incœpit magis, extolliq́; ad ſidera fama.
Romulidæ innumeri, uarijsq́; à ſedibus olim
Aſtabant alij (cunctos nec dicere refert)
Cœlorum ut Paulo diſcant arcana docente.
Hic primum Syrius Paulum per cuncta ſequutus
Regna comes, medicus, cui non certaſſet Apollo,
Hærebat lateri Lucas, largamq́; per omnes

Fidus opem domino caſus ſine fine ferebat.
Antè fuit magnæ cuſtos genitricis, & omnem
Deſcripſit Chriſti hiſtoriam, Pauliq́; labores,
Et nullos Venerem nouit thalamumq́; per annos,
Bebryciæ ut ſtetit in terris, gauiſa receſſit
Cœlituum uita ad ſedes. non defuit olim
Tyrrhena Linus inſignis de gente ſacerdos,
Qui gregis accepit curam, dum quæreret aſtra
Decedens Petrus, noſtrumq́; reliquerent orbem,
Romanus, cui deinde gregis cuſtodia curæ,
Cletus erat: ſæuis toties pro uiribus ultro
Mille feris ſeſe oppoſuit, ſed deniq; preſſit
Hunc inimica fremens Flaui de gente uorago.
Percupida Pauli ad ſanctam ſe mente ferebat
Romulidûm Clemens claro de ſanguine ſedem,
Dux gregis ille pius Petro ſuccedere iuſſus
Ceſſit in exilium, Aegæis non debuit undis
Immergi, è ſaxo dulces ſitientibus undas
Monſtranti ſi forte pijs eduxerat agno.
Aſſiduis pia te petijt gens fletibus omnis,
Ingemuit Pontus, ſonuerunt littora longè,
Atq; aditum diuiſa dedit quærentibus unda.
Inde Lycaonius Domino poſt mille uocatus
Affuit ærumnas, Epheſiq́; penatibus altis
Timotheus ceſſit, Tyberinaq́; flumina uidit
Matre ſatus Solyma. ſecuit poſt funera patris
Inguinis huic partem (fieri ſine crimine quando

Relli-

Religio paſſa eſt) Paulus de more parentum,
Vt comes Hebræos inter ſine litibus iret,
Quem trucis extinxit rabies infanda tyranni.
Poſt Titus, admonuit quem mitis epiſtola Pauli,
Quærere Dalmatiam iuſſus, rurſumq́; reuerti
Ad Dominum, properè ſe optata ad tecta ferebat,
Dictæis bonus irato Ioue præfuit aris.
Incertum eſt, merito poſſit quo carmine dici
Nathanael, ſine labe doli, ſine crimine fraudis,
Teſte Deo purus, uiridi qui forte iacebat
Sub ficu, oſtendit regem dum frater Olympi.
Ille per ærumnas Dominum ſine fine ſequutus
Fidus ad uſq; necē. hinc Stephanū comitatus, et huius
Poſt lapides, Petro per multa pericula iunctus
Italiam petijt, Saulum ſine more frementem
Effugit prius. at Fœlix, cui cernere Paulum
Atq; audire datum, Gallos poſt funera Petri
Viſit, & inſignem Chriſtum poſt mille labores
Intulit Auarico, ſedesq́; & templa locauit.
Linquere nec tacitum Senecam mea carmina poſſunt,
Plus uni Heſperiæ debet, dedit ultima uitam,
Magna necem. ah miſer ipſe ſui qui funeris arte
Imbuit authorem, & domuit pro tempore peſtem,
Poſtquàm illum incœpit trucis irritare tyranni
Liuor, ſpriuit opes, ſophijsq́; inglorius hæſit,
Et fidei à Paulo didicit myſteria noſtræ.
Aſt hominum exarſit tantum implacata uorago,

Effari ſi non mortalibus omnia phas eſt,
Quæ uidi quondam, quum me ſine more frementem
Preſſiſtis, celſamq́; poli rapuiſtis in arcem:
Pauca quidem tamen expediam, quæ ſcire iuuabit,
Nec reſerare nephas, nec gens cœleſte prophana
Audiet arcanum. rapidis me faucibus Orci
Subtraxit, terræq́; plagam Deus ire per omnem
Et generi externo ſanctos oſtendere late
Sacrorum ritus, æternaq́; fœdera cultus
Iuſſit: ſed prius ipſa tamen cœleſtia regna,
Cœlituumq́; mihi ſummum patefecit honorem,
Vt promiſſa pijs, quæ uidi, præmia cœli
Orbe alijs toto paſſim depromere poſſem.
Ante oculos magnum Deus ecce amplexus inane
Affuit extemplo, liquidumq́; per æthera fulſit:
Mox nubem eripuit, ſenſus quæ plurima noſtros
Velabat, pulſaq́; dedit caligine lucem,
Vt diuos poſſem, & diuûm ſpectare penates.
Mille pati ſoles acies potuiſſet, & omnem
Corpoream ſubito obtutu perrumpere molem.
Proſpexi Stygios trepidare per aera manes,
Deſeruiq́; ſolum tenues ſublatus in auras,
Trans nubes triuiam tetigi, trans æthera miſſus,
Sub pedibus longe uiſus Cyllenius ales,
Cyprigenæq́; iubar, luſtrantemq́; omnia flammis
Tranaui Phœbum, terrisq́; nocentia regna
Gradiui, & placido ſæuam Iouis igne relicto

Haud falcem ſenis extimui, cœlataq; tecta
Signorum ſecui, albeſcit qua candor in aſtris
Lacteus: & uitrei ſpacioſa per atria cœli
Altius euectus, latos ſine fine penates,
Atq; ſua uidi loca luce micantia late,
Spectari ſi qua poſſent, quis dicere poſſet?
Illa forent quàm grata oculis ſpectacula noſtris.
Non hic corporibus locus, ulla nec aſtra relucent,
Nec noſtræ Titan lucis fons ipſe, ſed amplis
Gemmarum in morem ſpacijs nouus undiq; fulgor
Emicat, & liquidis uulgo diffunditur auris.
Inſpiciunt diui uario qui ſidera motu,
Et mundi æternis conuoluunt legibus orbes,
Me multi ad diuûm ſedes mirantur euntem,
Quid cœli (exclamant) aditus inuadit, & altas
Quid petit iſte domos, quem mors nõ corpore ſoluit?
Contrà alij, Maiora Deus, qui talia curat,
Molitur, quæ ſint ultra ne quærite diui.
Ardentis feror ad flammæ non mobile cœlum,
Nunc mihi magna hominũ fari nõ cognita cuiquam,
Nunc animum uobis mentemq; intendere fas eſt.
Tum uero immenſæ decus exardeſcere lucis
Vndiq; proſpicio, quantum mens ipſa tueri,
Quantum oculi nequeunt, eſt non niſi fulgor amœnus
Ipſe locus, qui mille poteſt extinguere ſoles.
Hæc intra regio, atq; extra tenet omnia late
Amplexa, ſine fine patent fulgentia tempe.

Gratior

Gratior hic facies, alibi nihil eſſe locorum
Proſpiceres, nullumq́; alibi fulgoris honorem.
Tum uulgo innumeros uideo per flammea regna
Cœlicolas uolitare, poteſt tot credere nemo,
In uarias longe diuiſa habitacula partes
Apparent, uarij circumq́; ſupraq́; penates
Apparent: procerumq́; incenſa palatia flammis,
Vocum mille ſonis implet concordibus aures
Dulce melos, totamq́; poli concentibus arcem
Demulcet, diuûmq; animos noua gaudia tentant.
Obuius ecce domo Michael deſcendit ab alta
Effulgens, coram ante oculos delapſus ut ipſe
Aſtitit. hunc placidis ſupplex ſic uocibus ultro
Alloquor: ô ſuperûm atq; hominũ fortiſſime ductor,
Cui primum Stygios fratres detrudere cœlo
Ius fuit, & ſtirpem Hebræam per multa tueri
Secula, quam ſcelus ob dirum, cædemq́; nefandam
Liquiſti, nunc Chriſtigenas tutaris, in ipſo
Fine nephas ſummo quondam extincturus acerbum.
Nunc oro, doceas, qui ſit cœleſtibus ordo,
Vnde boni uis ſumma fluat, quæ munera diuûm.
Sic ego. Nunc agedum (ille refert) te Paule docebo,
Huc ſummi imperio patris delabor, ut omnem
Suſpenſo tibi rem dicam quam ſcire neceſſe eſt.
Principio, ſimplex, ſed numine numen in uno
Triplex, & rerum Deus immutabilis author,
Vi potuit, poteritq; ſua, dux maximus æui,

Et molem mouet immenſam non motus, & intus
Fuſus ubiq; fouet, magno circumq; ſupraq;
Amplexu cingit ſine mole extenſus, & ingens
In ſe habitat tamen, atq; in ſe tenet omnia ſolus,
Fons uitæ exuperans, atq; ardua lucis origo
Cuncta fouet, ſobolem tollitq; nouatq; caducam,
Multaq; res animæ expertes per ſæcula ſeruat.
Surgere dat ſata, dat ſyluas, prolemq; natantum
Et pecudum, alituumq; implet uitalibus auris.
Præcipue ingentem rerum mens ipſa creatrix
Libera, uiua, potens, mundum dum conderet olim
Cœlituum eſſe, hominumq; animos de ſemine cœli
Iuſſit, ſancta ſuæ quos ad conſortia uitæ
Attrahit, æternæq; effingit imagine formæ.
Regna nouem quanto teneat chorus agmine, cernas:
Nemo locum, numerumq; poteſt comprendere tantũ.
Stant patris immenſi nobis penetralia ſupra
Inuia, fons ubi & unde boni uis maxima uulgo
In uitas, ingensq; fluit fauor omnis abunde.
Affectu primum diuos expurgat inerti
Ipſe pater, radijsq; implet, ſenſuq; nitentes
Imbuit æthereo, ſuaq; ad conſorta ſumit,
Coniungitq; ſibi, ſummoq; incendit amore,
Eſſe animi ſecum effigiem dat ſimplicis unam.
In rapida ueluti durus fornace liqueſcit
Candeſcitq; chalybs, & fit lucentior ignis.
Mundus adeſt triplex, triplici ſunt ter tria mundo

Agmi-

Agmina cœlicolûm, triplex eſt omnibus illis
Imperium, ut triplex diuinæ mentis imago,
Regna tenent proceres ſummo tria proxima patri
Supremi, & totidem medij, totidemq́; pererrant
Poſtremi, hæc proprio complentur ſingula cœtu.
Quanto aſtant propius luciq́; Deoq́; ſupremi,
Hoc magis effulgent, maioraq́; lumina ſumunt,
Et mentem & radios medijs, medijq́; extremis
Sufficiunt, non ſunt quibus extremi addere poſſunt.
Germanam ut medijs quum ſol incendit in umbris,
Luce micat. gaudetq́; ſua, quam fratris ab ore
Illa rapit flammam fundit mortalibus ægris
Nocte ſub obſcura, uehiturq́; argentea bigis.
Nunc age digna pios maneant quæ præmia cernas,
Omnibus ut referas, ego te per ſingula ducam,
Tu ſequere. hæc fatus, cœloq́; incedit amœno,
Ante ferens greſſum, & uicina palatia monſtrat.
Inſequor, hinc atq; hinc late flammantia regna
Monſtrantur. ſedes primum in regione ſiniſtra
Stant uariæ, colit has hominum genus omne piorum
Ingenti numero, & regio latiſſima ſuprà eſt,
Quæ micat ante alias, flām̃isq́; inſpergit Olympum,
Miranti proſpectus erat mihi nullus in illa.
Quis tenet hos numerus, dic ô dux magne, penates?
Incolit hunc quid nemo locum? ſuper arduus omnes
Eminet, hæc placido fanti dux inclytus ore (uerni
Reddidit. Hoc hominum genus eſt, quod Chriſtus A-

Fauci-

Faucibus eripuit, cœliq; euexit in arcem,
Has pia gens uacuas ſedes uentura tenebit
Chriſticolûm, numeroq; domos implebit olympi,
Vnde cohors ſcelerata ruit cum rege nefando,
Qui patris immenſi ſupremum aggreſſus honorem,
Iniuſti proceres huius penetralia iuxta
Hunc tenuere locum, ante alios quem fulgere cernis.
Hunc animæ egregiæ fuſo ſibi ſanguine quærent.
Vix hæc ediderat, ſeſe quum uiſus ibidem
Fert Stephanus, rutiloq; micans incedit amictu,
Tempora cui triplex cingitq; ornatq; corona,
Mira ferunt ſecum inſignes ſpectacula plagæ,
Et dulcem ambroſiæ fundunt cum nectare ſuccum,
Terq; quaterq; magis gemmis auroq; relucent,
Et circum effulgens lapidum monſtratur imago
Multiplicem in ſolis morem. uolat ille frequentem
Inter conuentum per tecta micantia lapſus,
Cui chorus aſſurgens ſeſe tulit obuius omnis,
Obtutu fruitur læto, gaudetq; ſequendo.
Hunc pronus iuxta aſtantem ſic alloquor ultrò:
Tu modò cui merito quæſita eſt gloria prima
Sanguinis effuſi, fidei pro munere noſtræ,
Clarus ades, talem hanc ſpeciem iuuat uſq; tueri,
Certa ſalus duce te pridem mihi parta, tuæq;
Præſentes pridem ſaluum, dum traxit Erinnys,
Me fecere preces. miſerum, quis credere quondam
Te tantum ad decus, & tantos potuiſſet honores
Venturum?

Venturum!tibi tota cohors cœleſtis olympi
Aſſurgit,dant læta tuæ ſpectacula plagæ.
Ille hæc: Nunc uerſum in melius te cernere coram,
Qui prius hoſtis eras,lætor,mitemq́; piumq́;
Affari,ne forte pios tua uerteret ira,
Quàm metui!pro te ueniam,Dominiq́; popoſci
Auxilium,& ſupplex dominum ter uoce uocaui,
Parceret ut ueri ignaro ſine more furenti.
Ad magnum ſeruaris opus.tibi uiſere ſæpe
Europæ atq; Aſiæ per mille pericula fines,
Mille per inſidias dabitur,totamq́; mouere
In melius gentem, Chriſtiq; extendere regna.
Africa plena tuo gaudebit nomine terra,
Triſte geres bellum in terris cum ſtirpe nefanda,
Et uires odiumq́; teres regumq́; furorem.
Huc uenies tandem ſummum accepturus honorem,
Inſignem ob palmam,& magno potieris in altis
Sedibus imperio ſuprà,& dominabere diuis.
Dixit,& ambroſiæ excedens diſperſit odorem.
Exhinc per placidam lucem,clarosq́; per ignes
Cœlituum ad ſedes primum,locaq́;infima uentum eſt,
Vna extenſa quibus late tria regna pateſcunt.
Hic numerum in primo circumq́; ſupraq́; uagari
Proſpicio,ualeat quantum comprehendere nemo.
Hinc exire alios uideas,crebroq́; reuerti
Huc alios,binis hæret pars cætera regnis,
Tunc abitus reditusq́; uices atq; agmina diuûm

Obſtu-

Obſtupeo. ſubitò cauſas, dux, accipe, dixit,
Quas teneant ſedes, obeant quæ munera diui.
Angelicus primis habitat regionibus ordo,
Cui ſeruare genus, cœloq; extollere curæ
Humanum, & terris cœleſtia nuncia ferre.
Hinc cuiq; eſt cuſtos bonus unus, et unus ab Orco
Additur hoſtis atrox, ut det uictoria laudem
Maiorem, & magno ſurgat noua gloria bello.
Hos dextrum & læuum Genios *dixere uetuſti,*
Humanis primum ſolitos naſcentibus addi.
Inde Archangelicus *mediam chorus agmine ſedem*
Incolit, à ſocio deducit nomen utroq;
Ordine, quum præſit diuis, lateq; gubernet
Res hominum magnas, & grandia nuncia portet.
Hæc domus eſt mea: Iudæos *mihi ius fuit olim,*
Nunc Chriſti immenſam phas eſt defendere gentem.
Hoc alius noſtro è numero damnatus Achiuis,
Præfuit hic Perſis, *& gentibus ille* Latinis,
Ecce choros inter Gabriel *cœleſtis* Olympi
Nuncius incedit, ſolitus qui magna referre.
Cerne, Dei *ut promat claro cum lumine uires,*
Vnde tenet nomen, magnæ noua pignora matri
Prædixit iuſſus, uenturumq; æthere numen.
Proditur hunc iuxtà Raphael, *cui prima medendi*
Munera ſunt, ſolo poſſunt è nomine cerni.
Prælargo uiden ut ſucco medicantis abundat
Ambroſiæ late partem quem ſpargit in omnem

Necta-

Nectare cum liquido?reuocare in frigida uitas
Oſſa poteſt, Thobiæq; ſeni reparauit ademptos
Quondã oculos, opibusq; domos impleuit egentes.
Præterea ſpectare magis ſublimia phas eſt.
Sedibus in celſis princeps ſupereminet ordo,
Cuius præcellens monſtratur nomine munus.
Hi regnis præſunt diuûm inferioribus una,
Secum una diuos rapiunt, ſummiq; ſerenam
Principis ad formam certant extollere ſecum.
Dixerat hæc, mediæ ſedes regionis in altas
Altius ire iubet, maioraq; regna tueri.
Extemplo à ſummo late (mirabile dictu)
Effulgere nouam ſpacioſa per atria lucem
Suſpicio, & cœli extremos incendere fines.
Tendimus huc rapti, & medio ſuccedimus orbi,
Innumeri tria regna tenent ubi maxima diui,
Præſentemq; choris dant inferioribus auram,
Et uulgo aſpirant, acceptaq; numina fundunt.
Voce Deum æterna celebrant, cantantq; uiciſſim,
Sic una primi: Tu magna potentia noſtra.
Poſt medij, Nobis tu uis, tu maxima uirtus,
Tu noſter uigor immenſus. ſummiq; ſequuntur,
Tu noſtri fons imperij. concordibus una
Sic numeris recinunt omnes: Tu noſtra poteſtas,
Tu noſtri fons imperij, tu maxima uirtus,
Omnibus infuſum regnas ſuper omnia numen.
Dux ait ille meus, primis in ſedibus aſtat

Ordo poteſtatum,cui magna potentia,magnus
Cui uigor exuperans,qui non crudeliter urget
Subiectos,uincit ue premens de more tyranni,
Sed magnas ſolitus uires extollere ad illas
E domino acceptas,ſimiliq; effingere forma.
Fortia uirtutum medio ſtant agmina regno,
Vis quibus eſt ingens,quibus eſt conſtantia magna,
Fortiter immenſi poſſunt haurire Tonantis,
Indomitaq; acie lucem perferre coruſcam.
At ueluti(magis ſi phas componere parua)
Obtutu Titana nouum Iouis ales acuto
Inſpicit,aduerſoq; acies non uincitur igne,
Quam ſibi dent lucem,atq; aliis infundere poſſint,
A Domino accipiunt,inuictaq; robora ſumunt.
Alta tenet,cui uis magna eſt dominarier,ordo.
Tranſire ad formam obnixe dominantis Olympi
Tendit,& imperio illecebræ non cedit inertis.
Altius extollunt quibus hi dominantur,& ultrò
Inducunt animos ad libera iura uolentes,
Sub iuga nulla trahunt,linquunt parêre negantes.
Hunc ſermonem inter propere iam tendere greſſum
Cœpimus,atq; oculos ſupremum flectere ad orbem.
Ecce nouæ ſubitò patuere incendia lucis,
Vertice ab excelſo labi cœleſtia templa
Lumine uiſa ſua,magnumq; inuoluere mundum,
Et longe extremos radiis implere penates.
Fulgoris tantum eſt,ualeat nec uoce referri

Quan-

Quantum,ulla nec mente capi.ni lumina noſtra
Firmaſſet Deus,incaſſum ſpectare licebat.
Viciſſet ſtupor,atq; aciem preſſiſſet acutam.
Hæc tribus exurgens regnis apparet,& omnem
Funditur in partem regio uicina Tonanti,
Ingentesq́; patent dextra læuáq; penates.
Hic proceres magni luciq́; Deoq́; propinqui
Ante in conſpectu propius fulgentia ſemper
Ipſius ora uident:iuxta magniq́; Tonantis
Conſidunt menſis,dapibusq́; implentur,& hauſtu
Nectaris æterno,& Domini ſermone fruuntur,
Cum Domino celſa ſemper ſpaciantur in aula.
Vim primi & mentem accipiunt,lucemq́; ſerenam
Largius,& diuis dant inferioribus ultro
Patris ab exemplo,& longe lateq́; refundunt,
Quos ad celſa ſuæ tollunt conſortia uitæ.
Tum uero audiri dulces,paſſimq́; ſonare
(Nulla poteſt numeris accedere gratia maior)
Concentus uarij,& grauium modulamina uocum
Multiplici diſtincta ſono,ſecumq́; ſupremi
Lætari proceres,cœtiq́; exercitus omnis,
Aſſiduo æternas uires,magnoq́; uiciſſim
Ore canunt Domini laudem,& memorabile nomen,
Tunc ſic exorſi primi,Quid poſſumus ipſi
Te ſine?phas Dominum noſtra te in ſede locari
Nobiſcum,ut tecum cuncti tollamur in altum.
Succedunt medij,nulla eſt ſapientia nobis

Te ſine, qui mentem inſpiras, lucemq́; miniſtras.
Poſt ſummi, calor ille tuus diffuſus abundat,
Eſt ingens propius qui nos tuus excitat ignis.
Hæc cuncti ſimul ingeminant, Tu cuncta per omnes
Fuſus alis partes, à te primordia rebus,
Te uis ſumma boni, te cernere, uita beata eſt,
Cœlituum domus alta ſonat, ſummiq́; reſultat
Aula patris, lætiq́; ineunt penetralia cantus.
Actutum mihi ſuſpenſo dux talia fatur,
Cerne thronos firmæ dictos de nomine ſedis
Aſtare, & late primo conſiſtere regno.
Qui Dominum accipiūt ſtabilem, torquentq́; ſedentē
Ardua quærentes, ueluti ſuffulta pedum ui,
Atq; educta ſolo longe latiſſima ſedes.
Vi propria intenti ſummam tolluntur in arcem,
Compellantq́; Deum, & ſpecie paſcuntur amœna,
Subiectosq́; choros ad firma ſedilia tollunt.
In media Cherubim, quibus ipſa ſcientia nomen
Fecit, ſede manent, claroq́; in lumine fulgent,
Et mentem aſſiduo ſummi ſpeculantur Olympi,
Et ſapiunt, & dant ſapere inferioribus alti.
Hinc Seraphim, quibus incēdens dat nomina flamma.
Alta tenent, funduntq́; incenſi incendia paſſim,
Aetherei faciem cernunt qui regis, & omnes
Igne choros puro incendunt, puroq́; calore,
Ardentesq́; ferunt ad flammam ſimplicis auræ,
Supremoq́; patri magno iunguntur amore.

Hæc

Hæc inter uerba, extemplo faſtigia longe
Suſpicio: mihi uiſa Dei penetralia rumpi,
Omniaq́; impleri flammis ex arce ſuprema:
Extremo uolitat per mira incendia mundo,
Atq; per immenſum Chriſtus deſcendit inane:
Lucidus in radijs, & luce coruſcus amœna
Emicat, ampla Dei pulchro uenientis honore
Impletur regio, & diui paſcuntur odore
Ambroſiæ, aſſurguntuuà, lætoq́; fruuntur
Obtutu, ſedet ipſe thronis ſubnixus, & ultro
Me uocat, audiui, & uidi, mecumq́; notaui,
Quæ mihi nec fari, uobis nec ſcire neceſſe eſt.
Plurima prædixit, uetuitq́; arcana referre.
Hinc exire iubet, rurſumq; inuiſere terras,
Et uitæ in terris expleri munera noſtræ.
Talia cum lachrymis hominum rediturus ad oras
Dicta dabam, Rex magne tuos habitare penates,
Et uultus ſpectare tuos, tecumq́; morari
Quàm pulchrũ? diuûm numeroſa quid agmina cogor
Fœlicesq́; domos, & amœna relinquere tempe?
Vis ubi ſumma boni, requies ubi certa laborum,
Mira ubi lux, & mira tui ſpectacula uultus,
Ambroſiæq́; dapes, & dulces nectaris hauſtus.
Heu terras, iterum rerum, tam uile ſepulchrum
Inuiſa, heu per mille traham diſcrimina uitam,
Heu mille inſidias, turbatiq́; ætheris iras
Experiar, terræq́; feram pelagiq́; labores?

Sic ego digrediens, mortales ſpiritus artus
Induit, ac tenebris & carcere corporis atro
Conditur, atq; iterum cæcis inuoluitur umbris.
Quæ diuûm effigies, qui diſcumbentibus ordo,
Quo ſomno, quæres, potuq; ciboq; fruuntur?
Sideream mens ueſtra nequit comprehendere diuûm
Effigiem, & uoces nequeunt oſtendere noſtræ.
Noſſe ſatis, qualem uates uidere uetuſti,
Velle nephas plus ſcire homini, quàm tradidit ipſa
Relligio, & ſancti plus quàm cecinere parentes.
Non fuit indignum fœda uoluiſſe uideri
Siue feræ aut pecoris potius ſub imagine diuos,
Quàm rutilæ mira in ſpecie fulgeſcere formæ.
Humanum in fragili proſpectum ſiſtere nunquam
Corporis effigie decuit, ſed tollere ſupra
Corpoream molem, ſenſu metitur inerti
Omnia uulgus iners, mentemq; extollere neſcit
Altius, & rerum occultas exquirere uires.
Alituum numero putat, & pecudum, atq; ferarum,
Et multo impleri cœleſtia milite regna.
Sed uos qui mecum uires nouiſtis opertas
Sacrorum, & diuûm uultis cognoſcere formas,
Audite, & mentem ignauis à ſenſibus ipſis
Eripite. eſt potius ſupero de rege negare,
Affirmare minus, qui protinus omnia ſupra,
Quæ dici poſſunt, uiget, immutabilis ipſe
Semper, & inuictus, nec dictu effabilis author.

Ergò

Ergo diſparium formas aſſumere rerum
Cœlicolas uoluiſſe ferunt, qui numina cœli
Diſſimili propius natura effingere poſſent.
Experti mentis pecori nouus ardor inhæret
Irarum, & furijs certa ſine lege coactus
Impetus, in præcepsq́; trahens inſana libido.
At ſuperis uigor, & uirtus non defuit unquam
Indomita, atq; ingens ſupra conſtantia morem,
Semper ineſt amor æternus, qui tollit in altum
Aethereas mentes, regiq́; adiungit Olympi.
Hi primum ardentis uiſi ſub imagine flammæ,
Quum uires ſuperisq́; Deoq́; ſimillimus ignis
Ingentes habeat, diuinaq́; numina promat.
Ignea ſunt Seraphim, fulget thronus igneus omnis:
Igneus ipſe ſuo Deus omnia ſuſcitat igne.
Cuncta quoq; expurgat, penitusq́; illuminat ignis
Incendens, uertitq́; in ſe, & petit ardua ſemper
Viribus occultis late (mirabile dictu)
Exuperat, cogiq́; nequit, uinciq́; premiq́;.
Hunc Perſæ coluere Deum, cui corpora nunquam
Tradiderint, rapidum inceſtent ne funere numen.
Eſſe animal, ſumenda forent cui corpora nulla,
Credidit Aegyptus: Veſta eſt, ut dicitur, ignis.
Aethera per liquidum ueteres deſcendere cœlo,
Illabiq́; deos flamma labente putarunt.
Fœlix, qui tanti exhibuit mortalibus uſum
Muneris, è ſilicis uenis ſeu exceperit ille,

Siue rotis Phœbi (ut perhibent) extraxerit ille
Fulmine ſeu tacta monſtrauerit arbore flammam.
Ergo cœlicolas certum eſt uoluiſſe uideri
Igne ſub ardenti, nunc ignea fluminis inſtar
Arſit, nunc nimbi in morem fulgentis imago.
Sæpius humana uiſi ſub imagine diui,
Quorum homo perſimilis, faciem qui tollit in aſtra
Sublimem, qui mente polum perluſtrat acuta,
Qui rerum cauſas, faciem qui cernit honeſti:
Cuncta ſibi ratione domat, pedibusq; ſub ipſis
Cuncta tenet, ſubigi imperio non nouit inerti.
Quis modus in uita eſt, agitur quid iure, uolutat.
Hi quoq; non ueriti formam ueſtire leonis,
Omnia quem præſens uirtus inuadere pellit
Fidentem, & pecora atq; feras ui conſcius omnes
Roboris ille ſui ſuperat, prædamq; citato
Aſſequitur curſu, & delet ueſtigia cauda.
Magnanimûm quondam effigiem cepiſtis equorum
Mandatis parere Dei ſi forte parati
O ſuperi, ueſter patuit ſi candor in albis,
Conſilium in nigris latuit, uis maxima ueſtra eſt,
Si rubeant illi, & uarij diſcrimina ſignant.
Scilicet ut ſummi medijs, medijq; miniſtrant
Extremis mentem, extremi mortalibus adſunt.
Sæpe Iouis fuluo latuere ſub alite quondam,
Dum nequit alituum uinci fortiſſimus ales,
Altius elatis in cœlum tollitur alis,

Surgentemq;

Surgentemq́; poteſt acie Titana tueri
Indomita, radijsq́; celer non cedit iniquis.
Non fruſtra ſuperis placuit (neq; numina uiſus
Mortalis ſpectare poteſt) in nube uideri,
Deſuper à ſummo excipiunt quum lumina rege,
Atq; alijs mentem inſpirant, lucemq́; miniſtrant.
Vt nubes radijs ſole ſtatione ſerena
Quam penetrat grauidam pluuijs, euroq́; coactam,
Emicat, optatosq́; ſatis arentibus imbres
Sufficit, & uires animumq́; infundit, & omnem
Educit fœtum gremio telluris in auras.
De ſuperûm forma ſatis eſt, dat cætera nobis
Relligio, nequeunt modico quæ carmine dici.
Præterea referens quæ ſint conuiuia cœlo,
Expediam, Aethiopum læti non qualia menſis
Cum Ioue dij celebrant, non hic Iunonia proles,
Non ſolitus puer Idæus perfundere nectar,
Non Deus it claudus, qui dijs ridentibus ibat:
Sed diuis uulgo ipſe dapes rex ſummus Olympi
Sufficit æternas, & pocula læta miniſtrat.
In medio genus omne dapum, menſæq́; paratæ
In medio ſemper prælargaq́; copia rerum.
Poſtquàm tempus adeſt, quo phas accumbere diuis,
Et reparare ſimul læto conuiuia cœtu,
Sedibus è ſummis Deus, atq; ex arce ſuprema
Labitur extemplò, & nutu cœleſtia late
Tecta mouet, cœlumq́; nouis fulgoribus implet

Lucidus, & paſſim ambroſiæ diſpergit odorem.
Conſurgunt cuncti primum in regione ſerena
Ipſius aduentu proceres, primumq́; per aulam
Vndiq́; collecti occurrunt, atq; agmine magno
Incedunt circum, & dominum comitantur euntem.
Conueniunt alij, cœliq́; à ſedibus imis
Communes propere ad menſas per cuncta uocati
Tecta fluunt, numeroq́; per atria lata uagantur,
Ante alios adſunt proceres, atq; ordine longo
Diſcumbunt primi. potum dat gaudia nectar,
Naſcitur ambroſiæ diuina ſcientia paſtu,
Obtutu pater in medio ſedet altus, & omnem
Lætitia replet, radijsq́; ingentibus aulam.
Dat diuis epulas, diuos illuſtrat honore,
Iam ſurgunt paſti, & læta ſpaciantur in aula
Stant numero Dominum circum, ſedet ipſe ſuperbo
In ſolio, & cunctis noua fert ſpectacula diuis.
Stant Charites circùm innumeræ, poſt prima ſereno
Oblectant ſuperûm cœtus conuiuia uultu.
Ex hinc diſcumbunt, qui fortia regna ſecundi
Orbis habent diui. tum magni largius illis
Dant proceres epulas, procerum reſtantia menſis
Pocula funduntur, fluit ingens nectaris unda.
Pòſt alij, quibus èſt regio inferioris Olympi,
Relliquijs diui & cruſtis ueſcuntur, & alti
Regis in obtutu felicia pocula ſumunt,
Cœleſti poſtquam explerunt conuiuia paſtu,

Inter ſeſe animis unà concordibus omnes
Lætitiam exercent. rector fauet ætheris ipſe,
Et Charites circum aſpirant, atq; omnibus uno
Infundunt pleno uarios è uaſe liquores.
Inde domos ſeſe referunt, totaq́; quieſcunt
Mente Deum amplexi, & ſomno per corda fruuntur
Felici, una quies animos dulcedine mulcet.
Tum circùm proceres aſtant, atq; agmine magno
Surgentem ſolio dominum comitantur ouantes.
Vt mundi ad fines, & ſumma palatia uentum eſt,
Excedunt retro, & læti ſua regna reuiſunt.
Intrat inacceſſæ rector penetralia ſedis:
Indulgetq́; ſibi, atq; in ſe requieſcit: & unà
Huic ſeſe comites Amor & Sapientia iungunt.
Tres unà requiem capiunt. uigilantibus inſtat
Prouida uis oculis cuſtos in limine primo,
Et natura potens, atq; immutabilis ordo.

LIBER QVINTVS.

Hac, cœli quæ regna, tenus, quæ munera diuûm:
Nunc noſtri quales fuerint quantique labores,
Expediam: alta ſequar, dici non omnia poſſunt,
Longa nimis primum furias uitare meorum
Cura fuit, nec me potui fugientibus olim

Iungere Chriſtigenis,mortem quibus antè parabam.
Ergo Arabes libet,externamq́; inuiſere gentem,
Multa perhorrendæ metuenda pericula ſyluæ,
Per uarios ſaltus propere noctemq́; diemq́;
Progredior,qua felices uia ducit ad oras,
Et fors ingentes tandem delabor in agros,
Vſq; per immenſos Arabes,Arabumq́; per urbes
Illapſam refero cœleſti ex arce ſalutem.
Panchæum ſtupuit genus,& Nabathæa propago,
Percuſſiq́; ſimul molles ſtupuere Sabæi.
Tertius interea Titanos uoluitur orbis,
Poſt uarias redeo ærumnas,iterumq́; Damaſco
Appellor,certamen ubi cum ſtirpe nephanda
Ingens pro Chriſto fuit.ecce ingentibus auſis
Triſte parant Solymi letum,tenduntq́; latentes
Moliri inſidias,furijsq́; incendere uulgus.
Is iubet innumero portas cuſtode teneri,
Quem ſocer Herodis magnæ præfecerat urbi
Rex Areta,excubiasq́; locat per mœnia late:
Et me(ſi quà ſinat fortuna)extinguere certat,
Iudæis gratum exoptans impendere munus.
Vt patuere doli,cæca ſub nocte latentem
Me ſporta è muris(cunctos ſopor altus habebat)
Demittunt ſocij,& gentem fruſtrantur iniquam.
Extemplo foſſas ſupero delapſus,& undas:
Velociq́; feror per rura ſilentia curſu.
Et tandem ad Solymos poſt tanta pericula uentum,

Vox præclara Dei audita eſt altaria iuxta,
Linquere qui Solymos, aliamq́; exquirere gentem
Suaſit. erat diuina ſequi mandata cupido,
Vrbe uagor, lateq́; uias & compita luſtro,
Si quibus inuentis forſan me iungere poſſem
Chriſtigenis, pariterq́; animos expromere noſtros.
Aſt illi ueterum memores trepidare minarum,
Et uultus horrere meos, iterumq́; latebras
Quærere. Barnabbas fruſtra iubet eſſe timendum,
Ingentes qui me furias poſuiſſe, Deumq́;
Supremum effantem coràm uidiſſe referret.
Conueniunt igitur, lætiq́; adiungere dextras
Certamus, ſanctumq́; unà exercemus amorem,
Firmamusq́; nouam multa inter gaudia pacem.
Geſtantem uidi ſacrata inſignia Petrum,
Et te ſacra Deo ad Solymos Iacobe ferentem.
Sermo fuit uarijs mecum de rebus utriq;
Plurimis, & ſancta de relligione uiciſſim.
Præterea intrepido Chriſtumq́; fidemq́; canenti
Huc atq; huc mihi creber erat per mœnia curſus,
Argolicum gens una procax à patribus orta
Hebræis, Chriſti ſummum indignatur honorem,
Ardeſcunt, dictisq́; ineunt certamina mecum.
At contra elatis audens ceruicibus obſto,
Clam mihi iam fracti inſidias, & ſæua latenti
Fata parant furto. hæc ſocijs ubi cognita noſtris,
Tela inimica iubent ſceleratæ euadere gentis.

(Heu iam tempus adeſt) uideo conſurgere terris,
Letiferamq́; famem, & multos ſupereſſe labores.
Horruimus cuncti, mox tanta incommoda contra
Subſidium miſeris dandum decreuimus ultro,
Rem quibus inuiſæ abſtulerat uis gentis acerba.
Ergo Chriſticolûm pia gens pro uiribus omnes
Adiuuat afflictos, dantur quæ munera tandem,
Mittimus Antiochi ad Solymos ex urbe penates.
Iamq́; aderant una ſocij, crebrisq́; petebant
Suſpenſi æthereum precibus uotisq́; fauorem,
Quum nutu intremuit tellus commota repente,
Diuini ſonat afflatus uox miſſa per aures:
Cum ſocio Saulum, quos ad maiora uocaui,
Soluite, & in totam lætos dimittite gentem.
Hæc tantum, ac tacitas ineunt noua gaudia mentes,
Tum iuſſa excipiunt, imponuntq́; ocyus illi
Ambobus de more manum, ſoluuntq́; uocatos.
Haud mora, digredimur ſuperûm mandata ſequuti,
Cœleſtiq́; animum afflati diſcedimus aura.
Tunc quærenda prius diris obnoxia Cyprus
Moribus ante omnes, cui phas ſuccurrere primum.
Hanc olim (ut fama eſt) petijt Venus æquore nata,
Cui poſuit templum, atq; aris induxit honores,
Gens adeò petulans, molliq́; exercita luxu,
Miſcendumq́; nephas in relligione putauit.
Hic iungi thalamis ſolitæ non ante puellæ,
Quàm curuo innuptæ quæſiſſent littore dotem

Concu-

Concubitu,hanc peſtem inſperſit mortalibus orcus.
Huic igitur genti auxilium conceſſimus uni
Laturi primum,ueluti quum multa iaceret
Aegrorum manus,oppreſſos magis ante leuare
Contendit Pæon,dextraq́; fouere ſalubri.
Nos latum remis agimur,ueliſq́; per æquor,
Nos campum humentem optata percurrimus aura,
Et Cypro appulſi, Curium,& Salamina,Solumq́;,
Et lætam Alſionem,uarias inuiſimus urbes,
Et morem infandum,peruerſaq́; numina uulgo
Tollimus,intrepidi Chriſtum per cuncta ferentes.
Iamq́; ſuper quærenda Paphus,quam nouimus ipſi
Eſſe Dionæis fœdatam ritibus olim.
Hic Veneris phanum,atq; incenſa altaria centum,
Hic ſertis ſine cæde litat,ſine ſanguine uates,
Feſta dies colitur flammis precibuſq́; quotannis.
Huius enim pius & ſapiens uir Sergius urbis
Rector erat,meruit qui non errore teneri,
Dignus erat fidei dona ad meliora uocari.
Cui uerum ſi noſſe datum,ſi noſſe fuiſſet,
Aetherei regis coluiſſet numen,& ultro
Se ſacris lauiſſet aquis:ſed peſtis acerba
Heroa,& Paphios Elymas fallacibus omnes
Ludere prodigijs,diuûmq́; inuadere honorem,
Et ſummo auſus erat lapſum ſe dicere cœlo.
Venimus,hoſpitio appulſos nos Sergius unà
Suſcepit,uerum exoptans cognoſcere numen.

Ecce (nefas) magus aſſueti non immemor aſtus
Stat contra ſeſe obijciens, & iurgia miſcet,
Tum ſummi afflatus mihi mens incenditur aura,
Quæ coram ultricem cœli denunciat iram.
Iamq; erebi intentus circum trepidantia monſtra
Pendentemq; mali ſupra caput unius atram
Aſpicio nubem ferratæ cuſpidis inſtar.
Irritare etiam cœli fœdiſſime regem,
Fallaciq; pios certaſti illudere paſſim
Signorum ſpecie, & ſanctum peruertere morem?
Nunc te uis inimica petat, nunc lumen utrumq;
Tantorum uindex ſcelerum nox atra tuorum
Obruat, & circum horreſcant tibi cuncta tenebris.
Sic ego, dira uiri ſuper infelicis utranq;
Inuoluens aciem obducta caligine nubes
Obruit, umbra diem eripiens tegit omnia circum.
Obſtupet ille, oculos quæ nox oppreſſerit atra,
Nunc faciem in terram flectit, nunc ſuſpicit aſtra.
Admiſſam exoptans incaſſum aſſumere lucem.
Labenti ſimilem uideas, ſimilemq; trementi
Segnius ire uiam, dubioſq; intendere paſſus,
Auxilium uiſu implorat ductoris adempto.
Rem cuncti inſuetam ſtupefacta mente uolutant,
Inſtantemq; Dei metuunt ultoris Erinnym.
Præcipue ſtupet ipſe rei miracula tantæ
Sergius, immenſi (conclamat) talia cœli
Numen agit, diuina premit uis iſta nocentem.

Sic

Sabbata, gens numero ſedem coit omnis in unam
Auditura uiros, primum duriſſima contra
Iurgia miſcenti ualida me fronte furori
Oppoſui Solymo, liceat ſperare quid ultra?
O miſeri, optatam demum promiſſa ſalutem
Hæc tulit illa dies, cupidi quam cernere patres
Optarunt quondam, & uates cecinere futuram:
Se uobis primum oſtendit rex notus Olympi,
Vos primum petijt terræ demiſſus in orbem.
Nunc uocat, augeri ueſter non deſinit error.
Parta ſalus generi externo, quam ſpernitis ipſi,
Aſtra petent alij. dictis incenditur omnis
Gens externa meis, & tanto munere gaudet,
Et ſe luſtrali Chriſtumq; fidemq; ſequuta
Tingit aqua, Solymæ ſtirpis uis effera contrà
Aeſtuat, & turbam uarijs incendere certat
Criminibus. Socij, ſceleratam euadere gentem
Hortantur, paruo Iconium poſt tempore uentum eſt:
Inuiſa cum ſtirpe mihi certamina rurſus
Crebreſcunt, uulgi inſtabilis iam ſurgere Erinnys,
Iam furtim inſidiæ, iam triſtia fata parari.
Digredimur taciti, motáq; excedimus urbe,
Inde Lycaoniæ paſſim percurrimus arua,
Et tandem ardentes Lyſtræ ſuccedimus urbi.
Inſignes ueniſſe uiros cœleſtia fama
Nuncia portantes denunciat, ocyus omnes
Vrbe ruunt tota, & ſedem rapiuntur in unam.

Ecce uir in me oculos figens miſerabilis unus,
Mœrebat coram, & morbo confectus & annis,
Vnus forte, pedum ex utero cui defuit uſus,
Expectabat opem, dictis quàm credere noſtris,
Quem potius cœlum, noui, quàm, cernere terram.
Sic ego (uim dabat ipſe Deus) nũc ſurge, quod optas
Iam dabitur, feret iſta fides tua magna ſalutem,
Surge age, ne dubita firmis incedere plantis.
Hanc uocem fauor inſequitur, membriſq́; repente
Occultæ ſubeunt uires (mirabile dictu)
Inſtaurantq́; pedes, cedit dolor omnis acerbus.
Hic ſtupet, & primum ire citus, non greſſibus audet
Inſuetis. ut poſſe uiæ ſe fidere nouit,
It celer, & redit, huc rapidis progreſſus, & illuc
Paſſibus, & medios inter ueſtigia perfert.
Cunctorum attonitæ mirantur talia mentes:
Proclamant unà, uocemq́; ad ſidera tollunt,
Dij magni ad terram noſtra ſub imagine lapſi
Adſunt de cœlo, & placidi mortalia curant.
Barnabbam (tantus fuit imprudentibus error)
Eſſe Iouem ignari, & cœli me iuſſa ferentem,
Magnaq́; tractantem, nunquamq́; audita loquentem
Mercurium credunt: nobis ſimul ocyus omnes
Sacra parant auidi, & templum de more coronant,
Inſtaurantq́; focos, magnus Iouis ecce ſacerdos
Candentem parat accelerans mactare iuuencum.
Tum uero hunc nobis fieri indignamur honorem,

Erro-

Erroriſq́; nefas tanti execramur, & uncis
Infenſi manibus tunicas diſcindimus ambo.
Talibus aggredior: miſeri, quid ſacra putatis
Deberi hæc nobis? quò uos inſania pellit?
Nos hominum genus exorti mortalibus, ambo
Mortales, & ſtirpe ſumus telluris ab ipſa
Caſibus expoſiti uarijs, huc tollere ueſtrum
Venimus errorem, diuûmq́; horrentia monſtra,
Supremiq́; Dei ueros oſtendere ritus,
Quo duce nunc tanti ſunt hæc miracula facti,
Dira coli quæ cauſa Deos impellit inanes
Tot ſcelerum canit authores quos fama nefandos?
Quid dictu Iouis indignos expromere fas eſt
Concubitus? non eſt cui tanta potentia, quando
Vinciri potuit, potuit nec ſoluere uincla
Nereidos magno reſolutus munere diuæ.
Quid furum Deus ille coli Cyllenius aris,
Ortygias rapuiſſe boues qui creditur olim,
Debuit? & fruſtra ſoluenda in uota uocari?
Quin potius regi æthereo celebratis honorem?
Qui fecit, qui cuncta regit, recturus in æuum,
Surgere dat ſata, dat ſyluas, prolemq́; natantum
Et pecudum, alituumq́; implet uitalibus auris,
Mortales uocat ad cœlum, quos faucibus orci
Eripuit leti dono miſeratus, & ultro
Dijs iubet errantes uerti ad meliora relictis.
Non tanto inſtabilis poſſunt imponere turbæ

Ardori mea dicta modum, nec tollere motus,
Quandoquidem errorem labor eſt abolere uetuſtum.
Ecce autem exiguo ſeſe poſt tempore cogunt
Iudæi, & propere uarijs à partibus adſunt,
Turba inimica pijs, odiumq́; in pectore uerſant,
Et furias, dictisq́; ſerunt noua crimina paſſim
Inuidiæ, totamq́; mouent terroribus urbem.
Irarum poſtquàm miſere incendia uulgo
Inuadunt primi, & magno gens lecta tumultu
Inſequitur, ſine more fremunt unà acrius omnes.
Et noſtri inſano flagrantes cædis amore
Inſontem rapiunt, atq; extra mœnia trudunt.
Quid dicam? pulſor proiectis undiq; ſaxis
Grandinis in morem, iam crebris ictibus artus
Deficiunt, iam ſternor humi. mortalia uertat
In meliora Deus, meritis & digna rependat:
Et iam migrantem mortalia linquere membra
Hanc animam uetuit, læſoq́; in corpore preſſit,
Et magnos pater omnipotens ſeruauit in uſus.
Exanimem me ſæua putans immanibus eſcam
Illa feris gens extremo ſine mortis honore
Deſeruit. me Chriſtigenæ, qui rura petebant,
Vt mihi proſtrato exequias, tumulumq́; pararent,
Videre incolumem, cæcis occultus in umbris
Vrbem iterum petij. micuit lux altera poſtquam,
Infandam rabiem effugio digreſſus, & oris
Proxima Cappadocum antiquæ peto mœnia Derbæ.

Iamq́;

Iamq́; Aſiæ terris uulgo clareſcere nomen
Inſignis Chriſti, & fidei noua munera noſtræ
Vulgari, ſanctoq́; coli cum numine ritus:
Optata humanis fœlicia ſecula late
Surgere ſynceræ cum relligionis honore,
Et ſacro cunctos uideas in fonte lauari.
Innumeri cæſis fœdare altaria tauris,
Et pecudum fibras, auium inquirere uoces,
Et ſortes Lyciæ incertas audire negabant.
Tum partam uarias iterumq́; iterumq́; per oras
Viſere cura fuit gentem, greſſumq́; penates
Ad Solymos uerti, quum gens Hebræa ſeueram
Inguinis excierat litem de parte ſecanda.
Aſſyriam rurſum, Antiochiq́; exquirimus urbem.
Ad Cilices Silas ſequitur me fidus euntem:
Atq; pererrato Lyciam Pamphilidis orbe,
Myſorumq́; Phrygumq́; peto latiſſima regna.
Bebryciam uellent quum deinde capeſſere terram,
Affuit in ſomnis cœleſtis nuncius unus,
Fit Macedo, & coram mihi ſeſe oſtendit, & ultrò
Cum lachrymis uiſus mœſtas effundere uoces.
Nunc Aſiæ terris Europa petenda relictis,
Te uocat Emathiæ tellus afflicta, tuumq́;
Auxilium implorat, ſancti quæ neſcia ritus
Aeternam in noctem ruit irremeabilis Orci.
Huc citus accelera, & tantæ miſerere ruinæ.
Dixit, & excedens tenebris inuoluitur atris.

Obſtupui uiſu, non mentem inſomnia noſtram
Turbabant, uidi lachrymas, & uerba gementis
Audiui. extemplò Sila comitatus in altum
Prouehor, Aegæo uolat acta ferentibus Euris
In medio puppis, Macedumq; ad littora uentum eſt
Defeſſus ſimul ærumnas poſt mille Phillippis
Appellor, iuxtà ante oculos quum forte puella
Inſtaret ſtimulis obſeſſa prementibus orci,
Cui Phitona dabant præſago ab Apolline nomen,
Qui quondam (ut fama eſt) Phitona extinxerat arcu
Hanc Graij impleri cenſebant numine Phœbi,
Hanc etiam poſſe inſanam monſtrare futura,
Quæ uentura forent igitur cognoſcere tantum
Ardentes multi, huc aderant ingentibus una
Vndiq; cum donis, domino hæc cumularat opum uim
Ingenti quæſtu. ſtygia ut me uidit Erinnys,
Horret, terq; ſequuta refert, Nunc magnus ab ipſo
Ecce Deo uir miſſus adeſt, qui pandit Olympi
Felicem uitam, & fidei cœleſtia dona.
Sæpius haud illam referentem talia paſſus,
Munus enim ſanctum fidei, certumq; ſalutis
Monſtrari felicis iter, preſſaq; teneri
Virginis immundo mentem indignabar ab orco,
Præconem ò peſtis non te cœleſtis Olympi
Eſſe decet, cui non phas (dixi) credere quenquam.
Laus tua uirus habet, uetitam iam deſere ſedem.
Effugiens iam cede procul. uix talia fatus,

Dira

Dira lues animum linquit, corpusq́; coacta.
Virgo caret furijs, & ſana mente loquuta eſt.
Sæuus hero furor inceſſit, cui commoda nulla
Expectanda, prior lucri non amplius uſus,
Me ſubito, & Silam inſontem furibundus & amens
Corripuit comitum numero ſtipatus, & ipſos
Ad proceres primum, atq; fori ſublime tribunal
Confuſam magno traxit clamore per urbem.
Aſtitit ut coràm, exclamat, ſuccurrite ciues,
Res quibus eſt ſumma, & diuûm cuſtodia curæ.
Eœ uiri inſueto permiſcent omnia ritu
Iudæi, certant Romanum euertere morem,
Antiquosq́; Deos (poſſunt teſtarier omnes)
Ignoti noua ſacra Dei, noua numina nobis
Inſtituunt. uix fatus erat, quum ſuſcitat ira
Ingentem turbam, procerum ad prætoria iuſſu
Adſunt lictores, intendunt uincula captis,
Vſq; fremunt circùm, & duris ſine fine flagellis
Corpora cædit atrox labenti ſanguine turba.
Compedibus manicisq́; premunt, et carcere claudūt,
Et certas circum excubias ad limina ponunt.
Iam media amplecti feſſos inceperat artus
Nocte ſopor, nobis quum ſacra canentibus imis
Sedibus intremuit tellus, ruit alta repente
Ianua cum ſonitu, & manicæ cecidere ſolutæ,
Vinclorum cecidit pondus, ſonuitq́; ruina
In geminas ſectus partes cum murmure carcer.

Extemplò cuſtos monſtris exhorruit amens,
Captiuos abijſſe ratus, rapit ocyus enſem
Quo ſeſe extinguat, uitamq́; à corpore pellat.
Hunc ego caſtigans dictis, infanda parantem
Aggredior, Quæ tanta tibi ſunt tædia lucis?
Hic ſumus, eiecto tibi parce miſerrime ferro.
Attonitus ſtupuit, Nunc (inquit) talia, cerno,
Magna iubente Deo fiunt, miſereſcite noſtri,
Et nobis ſi qua eſſe poteſt uia certa ſalutis,
Dicite. cui dicta incipio ſic reddere fanti:
Pone metum, patet ecce tibi uia certa ſalutis,
Si ſpreto ueterum cultu tua læta deorum,
Nunc facilem Chriſtum tecum domus omnis adoret,
Si ſacra tinguatur aqua. me talia ſupplex
Dicentem, & Silam comitem ſuſcepit, & unà
Per noctem in ſua tecta libens perduxit opacam.
Haud mora, fonte ſimul ſacro luſtratur, & ipſum
Inſignis Chriſti numen lætatus adorat.
Inſequitur quem tota domus. nos deinde parato
Et Cereris dono, & læti ſatiamur Iacchi.
Optatum iam nocte diem labente ferebat
Exoriens Titan, ueritos quum turbida monſtra,
Et læſiſſe uiros, furijsq́; arſiſſe repente,
Pœnituit proceres, curant prodire miniſtrum,
Qui nos clam ſoluat, cæcoq́; è carcere mittat.
Nos contrà, inſontéſne prius per compita ciues
Cædere Romanos, & cæſos carcere coram

Clau-

Claudere, nunc etiam miſeros dimittere furtim?
Nunc piget erroris, cupiunt prætexere noxam.
Sed non iccirco extincta eſt iniuria noſtri,
Accedant, & nos cunctis ſpectantibus illi
Dimittant. Iam fatus eram, uelut agmine quando
Conueniunt, pacemq́; petunt, pacemq́; precati
Exorant, procul egreſſi diſcedimus ambo.
Vrbs quondã Emathio muros extructa Philippo
Inclyta, Theſſalico referens de nomine nomen,
Allia dicta prius, quæri tu digna fuiſti.
Iam ſpreto ueterum cultu gens illa deorum
Inſignem Chriſtum uotis precibusq́; uocabat,
Hebræus quum me furijs incenſus iniquis
Perſequitur liuor, turbamq́; inimicus acerbat.
Ipſe dolos quoq; Berrœæ delatus ad urbem
Euaſi, adueniunt iterumq́; iterumq́; ſequuti
Iudæi, & magno permiſcent cuncta tumultu.
Vrbem præterea ille deum me noxius error
Egregiam ſophijs poſt multa pericula cogit
Quærere Cecropidum, fecit cui nomina Pallas.
Vt læti uenere dies, ut maximus æui
Proceſſit felicis honos, mortalibus altam
Morte ſua ut Chriſtus ſedem patefecit Olympi,
Vt cuncti ad uitam nacturi digna reſurgent
Præmia pro meritis, cœpi per cuncta referre.
Tum uero uarijs ingens diſcordia late
Exoritur ſtudijs, ſophiæ commotus & omnis

Obſtupet interpres: primum Gargetius inſtat
Grex, curam exoſus, quem non facit uſq; uoluptas
Felicem, nec dij qui non mortalia curant:
Nec mors, quando animæ eſt idem cum corpore finis.
Stoica poſt acies certat ſua iura tueri,
Stans contra ſola eſt felix in pectore Virtus,
Felix libertas, pugnatq; exercitus omnis
Inter ſe uarius. ſic una uocibus omnes,
Auditu noua, quæ fieri nec poſſe uidentur,
Vir nouus, excedunt quæ mentis acumina noſtræ,
Nunciat, effingitq; deûm noua numina nobis,
Quos ueterum haud coluit pietas, nouitq; parentum.
Ergo age tantarum non intellecta neceſſe eſt
Altius hæc nobis arcana inquirere rerum.
Talibus hæc inter ſe dictis. Martius olim
Vicus erat, quem forte Solon cum patribus unà
Inſtituit, magno quo me traxere tumultu,
Extemplo accelerat plenis huc curia primum
Vndiq; mota uijs, motum ruit undiq; uulgus.
Huc ubi peruentum, compreſſaq; murmura late,
In medio tali incipio ſic uoce profari.
Cecropidæ nunc uera libens, quæ noſcere refert
Expediam dictis, ignotaq; numina pandam.
Vos quibus agnoſco poſuiſſe altaria quondam,
Templa uolutanti, & diuûm ſimulacra tuenti,
Viſa mihi primum, ignoto quæ forte dicata eſt
Ara Deo, ſummum meruit qui primus honorem,
Phas

Phas ſoli cui ferre preces, & ſoluere uota,
Solus hic omnipotens, qualis non defuit unquàm,
Solus nunc idem, eſſe Deus non deſinet unquàm,
Et circum mundum, ſupráq; amplectitur omnem,
Intus alit fuſus, magnis & uiribus implet:
Prima Deo cunctis exordia rebus ab ipſo,
Surgere dat ſata, dat ſyluas, prolemq; natantum
Et pecudum, alituumq; implet uitalibus auris,
Aeternam nobis animam dat origine cœli,
Hucq; redire iubet, uultumq; extollere cœlo,
Ad ſeſe reuocans, uilemq; relinquere terram,
Hunc ſinis errorem quid gens tam neſcia ueri?
Vos lapidum ſtatuas, uitáq; carentia ſigna
Aerea, uos rerum eſſe Deos portenta putatis?
Non ſaxis, duroq; pecus præferre metallo,
Non hominem pecori, diuosq; extollere ſuprà,
Atq; Deum diuis decuit præponere longe?
Qui fecit, qui cuncta regit, recturus in æuum.
Plurima quid uarias per ſecula profuit artes
Rimari, ò miſeri? rerum quid noſcere cauſas
Profuit, & uitæ rectam quid diſcere legem?
Summa tamen uis nulla boni eſt inuenta, nec ipſe
Cognitus author adhuc. uobis ſapientia fruſtra eſt
Tempore tam longo terras quæſita per omnes,
Syncæra ueri ſine relligione Tonantis.
Quin agite, & læti felicia diſcite dona,
Quæ tulit optatis felix cum legibus æuum,

Morta-

Mortalis fieri ſupera miſeratus ab arce,
Et perferre necem uoluit, rurſumq́; reuerti
Ad uitam Deus, aſtra uolens ut pandat, & æquo
Maxima felicis generi det munera uitæ.
Hæc ſumma eſt, Deus ipſe uocat, uos cedite ciues.
Tum uerò his dictis commota per agmina murmur
Exoritur, pars una nouis illudere dictis,
Mirari: pars attoniti, pars quærere plura,
Credere pars ingens. patrum Dionyſius unus
Obſtupet, agnoſcitq́; Deum, & ſic ore profatur.
Agnoſco te uera pater, te magna loquutum.
Iampridem mecum naturæ arcana uolutans
Quid ſtatuæ poſſent, uitaq́; carentia ſigna,
Multa foret quid turba deûm, perpendere cœpi.
Plurima uolenti, & multo maiora tuenti
De ſolo prior illa Deo ſententia ſemper
Viſa mihi, æternis qui legibus omnia tractet,
Quem uetus iſte ſequi patrum non pertulit error,
Nec res ingenij ſuperans faſtigia noſtri,
Sed tua nunc cœleſte ſonans ſanctiſſima noſtro
Vox animo dedit ardorem, priſciq́; ſerenam
Erroris pulſa infudit caligine lucem.
Iamq́; Deum, qui me uocat, imo pectore poſco.
Sic fatus, ſimul ipſe pater, ſimul optima coniunx
Damaria, & ſupplex Chriſtum domus omnis adorat.
Cecropidûm terris per Achaica regna relictis,
Per populos iuuat, & uarias errare per urbes.
Pontum

Pontum inter geminum magnæ celebrata Corinthi
Iſthmus habet, gemino demonſtrans mœnia portu.
Venimus huc, adſunt monitis cœleſtia noſtris
Prodigia, humanasq́; mouent formidine mentes.
Ingenti numeroſa ſacras gens agmine lymphas
Exquirit, Chriſtiq́; nouo lætatur honore,
Et pia fœlicem expectat per fœdera uitam.
Quinetiam in ſomnis per noctem Chriſtus opacam
Ante oculos multo effulgens in lumine flammæ
Apparet, dictisq́; animum mihi talibus auget.
Fer poſito mea iuſſa metu ſine fine per urbem,
Nullus te caſus, te Paule pericula nulla
Commoueant, hominum nec te uiolentia turbet.
Te contra hoſtiles mea dextra tuebitur iras
Audentem, duce me rabiem fruſtraberis atram.
Eſt tibi nec ſine fruge labor, nec inutilis uſus,
Audiet ecce tuam gens omnis Achaica uocem,
Meq́; uolens Sparta, & ſupplex uenerabitur Argos,
Sacra feret, meritosq́; mihi celebrabit honores.
Sic ait, ac menti uires infudit, & altum
Ceſſit ab obtutu ſublatus in æthera noſtro.
Mutari in melius mores, paſſimq́; piorum
Augeri lætis numerum ſucceſſibus olim
Vidiſſes, magnoq́; ſacrari altaria Chriſto.
Exegi poſtquam ſenis cum menſibus annum,
Hulcerat Hebræos iterum manſueſcere liuor
Neſcius. unà igitur concurrunt agmine contrà,

Ad celſumq́; locant tali me uoce tribunal
Aggreſſi, Perferre poteſt quis talia? clamant,
Prò ſcelus, hic ſummum noſtro de more colendum
Eſſe Deum negat, hic paſſim peruertit auitum
Sacrorum morem, patitur nec dicere plura
Argolicum rector dictis offenſus amaris
Gallio, Quid de re lites agitatis inani?
Non ueſtra exuſſit flammis delubra, nec ullum
Extinxit leto, nec rem uiolentus apertè
Aut furtim eripuit, patriam nec prodidit hoſti.
Nec plura, extrudi Solymos iubet ocyus omnes,
Quos inter primi triſtes dementia pœnas
Soſthenis expendit, quem crebris ictibus ipſi
Vndiq; cuſtodes ſceleratum impune fatigant.
Luſus abit, meritaq́; tulit cum cæde repulſam:
Promiſſisq́; Dei, qui per diſcrimina nuſquam
Defuit, euaſi ſæuam inter tutus erinnym.
Exhinc compoſitis commota per æquora rebus
Euehor, atq; Epheſi demum me portus ouantem
Accipit. urbs præclara Epheſus, quam Martius olim
Struxit Amazonidum latis exercitus oris,
Siue (ut fama refert) poſuit tua Codre propago:
Hic iuxta lucum multis ſublime columnis
Oſtentat cœlo Triuiæ faſtigia templum,
Multorum impenſis regum, atq; ingentibus orbis
Extructum late donis per ſecula multa.
Impius ille deæ multos huc undiq; ad aras

Solen-

Solennes cogebat honor, ſub tartara labi
Illuſos dolui, & cœli neſcire quietem.
Noxia letalis portenta abolere Dianæ,
Et uerum aggredior miſeris inferre Tonantem.
Quid demum? Deus aſpirat, diuina labori
Vis illapſa meo, & ſuperûm mortalibus aura
Accedit, quibus omnipotens nec morte ſalutem
Incaſſum peperit, cunctos ad ſidera quando
Alta uocat, meritisq; iubet conſcendere cœlum.
Hic miris fauor ille modis apparet, & omnem
Funditur in partem, uarijs à partibus adſunt
Morborum illuuies grauiter quos merſerat atra,
Expertes uocum, ac uiſu audituq; carentes,
Optatúsue pedum quibus olim defuit uſus,
Auxilium implorant, ſolo qui protinus omnes
Curantur tactu, & uires funduntur in artus.
Tangentes ueſtem innumeri ſonantur, & ipſi
Sanari citius qua ui potuere, uolutant.
Nec ſatis, illa mei uelamina corporis ægros
Delata abſentes curant (mirabile dictu)
Infeſti duris mortalia corpora manes
Vexabant ſtimulis, mentesq; animumq; tenebant,
Quos Chriſto perquàm trepidos exire uocato
Cogimus, atq; erebi tenebroſa reuiſere regna.
Quocirca Solymo certant de ſanguine ſeptem
Poſſe rati infernam iuuenes detrudere gentem,
Ergo uirum indigna detentum peſte morantur

Aggreſſi fruſtra, Stygiamq; affantur Erinnym.
Nunc age, iuſſus abi ipſius per numina Chriſti,
Digna coli quæ ſola putat, quæ maxima Paulus.
Sic illi, at ſubitò ſcelerum ſæuiſſimus ultor
Reddidit hæc contrà. Nunc uos quis talia cogit
Moliri furor ignari, quæ tollere Chriſtus
Et Paulus ualeant. nimium mihi notus uterq;,
Formidatus uterq; mihi: ſed robora tantum
Experiar quid ueſtra ualent. nunc ſumite uires,
Hic etiam Stygios alijs narrabitis ipſi
Inueniſſe deos. duris poſt talia dicta
Pulſus homo aggreditur ſtimulis urgentibus Orci;
Atq; duos rapit è numero furibundus, & illos
Sternit humi, ac totis lacerat cum ueſtibus ora.
Nudati monſtrum effugiunt, plagisq; cruenti.
Plurimus extemplo paſſim increbreſcere terror
Incipit, & cunctos metuenda pericula turbant,
Permulti uetitas artes contemnere tali
Prodigio pulſi, magicosq; exurere cantus,
Et ueri diuina ſequi mandata Tonantis.
At uero elatas triuiæ Demetrius arces
Condebat, ſumptu excudens ſpirantia ſigna
Ingenti, & Chriſtum terras regnare per omnes
Proſpexit. iam templa uidet, cultumq; Dianæ,
Irrita iam ueterum illudi ſimulacra deorum.
Artifices ergo, quibus æra ingentia lucro
Præſtabat, terret. quæ ſors extrema ruinam

Intentat, ſocij, ſupereſt quàm triſte uidetis
Exitium, nunc cedit honor uetus ille Dianæ
Omnibus excultus multos, ſpes noſtra, per annos:
Omnia Chriſtus habet, producunt ſecula morem
Noſtra nouum, priſcisq; ferunt noua ſacra relictis
Neſcio, cauſa mali tanti, quo numine Paulus
Audeat intrepidus ſimulacra laceſſere diuûm,
Et magnæ poſſit cultus abolere Dianæ.
Haud mora, uos agite, inſtantis proſternite noſtri
Exitij caput, infandoq; extinguite leto.
Necdum finierat, ſubitò quum gentis acerbá
Turba furit, ſine more fremens, lateq; per urbem.
Noſtra potens, magno ingeminant clamore, Dianá
Noſtra Diana *potens, iterant ſine fine,* Diana.
Noſtra Diana, *ſonant mixtæ per compita uoces.*
Mobilis exurgit plebs tali exterrita motu,
Fit ſtrepitus late, & tota diſcurritur urbe.
Et capita arripiunt comitum duo fida meorum,
Ingentisq; trahunt tectum ad ſublime theatri.
Iam mihi placatum lites prodire uolenti
Obſtant Chriſtigenæ, dum forte per agmina ſeſe
Fortis Alexander tali cum uoce ferebat,
Quò furor ô miſeri, quò uos inſania pellit?
Non pudet inſontes hoſtili inuadere dextra?
Nulla quibus Triuiæ cultus abolere poteſtas.
Quin potius, tantæ ſi qua eſt iniuria culpæ,
Intemerata fori licuit depoſcere iura.

Talibus extemplo ponunt commota furorem
Corda nouum, & ſocijs quærunt ſua quiſq; relictis
Tecta meis, pudor eſt furijs arſiſſe repente.
Compoſitis iterum poſt multa pericula rebus
Digredior, Zephyriq; feror ſurgentis ad Argos
Flatibus, huc atq; huc populos urbesq; reuiſo.
In Syriam mihi per Cretam tenduntur ituro
Inſidiæ, Iudæa parat gens funera rurſum.
Sed fuit Emathios potius uia tuta per agros,
Inde per Aegæos Rhetea ad littora fluctus
Peruentum, Idæis tandem ſuccedimus oris.
Huc ſocij accelerant, tectiq; in ſedibus altis
Diſcumbunt læti mecum, ſanctisq; fruuntur
Colloquijs epulas inter, quum plurima fando
Exequerer, medio inſtabat nox humida curſu,
Fundebantq; faces per cæca ſilentia lucem
Innumeræ, & crebris fulgebant ignibus ædes.
Eutychus ecce puer celſa, quem ſomnus habebat,
Decidit è ſpecula, duroq; illiditur ictu.
Sternitur exanimis, uitamq; effundit in auras.
Exoritur tectis ſtrepitus, trepidiq; tumultu
Decurrunt, caſuq; dolent frigentis amici.
Triſtior extemplo ſedes delapſus ad imas
Exanimum amplector corpus, Depellite (dixi)
Mœrorem ô ſocij, uiuit. uix talia fatus,
Complexu in noſtro pectus uitalibus auris
Impletur, uitaq; calent algentia membra.

Hic

Hic cunctis ſeſe incolumem lætantibus offert.
Hinc uarios longè tractus,lateq́; pererro
Terrarum.uentum eſt Lesboa ad littora tandem.
Vrbs petitur gemino Mitylene ampliſſima portu
Exuperans Baccho,Mitylenes inſula Lesbos
Nomen habet,miſeros multum conſueta tueri
Bebryciæ iuuat,& Phrygiæ luſtrare penates,
Per Galatas,per Cappadocum florentia rura
Ire uiam,& pelagi rurſus perferre labores
Innumeros,rurſusq́; errata inuiſere regna.
Iam uulgo certus colitur Deus unus,& unum
Ipſa Deum Europæ atq; Aſiæ pars maior adorat,
Intemerata nouans,poſitis altaria templis,
Tum priſci ſitus erroris detergitur omnis,
Proceditq́; nouis felix ſucceſſibus ætas.
Ducere cœleſtem cernas mortalia uitam.
Poſt extincta uelut ſterilis quum frigora brumæ
Ver Zephyri indulgens ſpiranti mollius aura
Inſtaurat ſolem,& liquidi uigor ætheris ingens
Cuncta refuſus alit,facies lætiſſima terræ eſt,
Gaudet ager,nemus omne uiret,mitiſſimus aër.
Hæc pauca è multis,poſſunt non omnia dici.
Sæpe reuiſa mihi memorem quid Barbara regna,
Quot ſæuas hyemes?pelagi quot inhoſpita ſaxa,
Verbera quot paſſus?Solymæ quot gentis inanes
Inſidias feci?euaſiq́; pericula leti?
Ad Solymas demum iuſſit poſt mille labores

Me Deus ire domos, uinctumq; inuiſere Romam.
Hæc ubi de ſuperis, quæ ſcire datum eſt, arcanis,
Et quales fuerint, meminit, quantiq; labores,
Deſinit, & finem dictis facit optimus heros.

LIBER SEXTVS.

HVic etiam extremæ dexter, quæ finiet omnes
Aerumnas, parti aſpira. iam tendere quondam
Miſſe per inſidias licuit, caſusq; per omnes,
Iam domitus furor Hebræus, nunc ultimus inſtat
Hic labor iſte tuus, longeq; acerrima monſtri
Aeſtuat ira noui, ſurgitq; nouiſſima pugna,
Atq; iterum te ſumma uocat uictoria cœlo.
Extremus latè imperium longeq; tenebat
Aeneæ de ſtirpe Nero, letalis Erinnys
Contemptrix Diuûm, & terræ duriſſima peſtis.
Hunc diræ ſcelus infandum genitricis, & ipſa
Fortuna ad regnum primis euexerat annis,
Mitibus hic primum imperijs, & legibus æquis
Indulſit: uiſa eſt ſatis ut clementia regnum
Firmaſſe, ingentemq; hominum quæſiſſe fauorem,
Phas abolet, geminatq; nephas, gaudetq; rapina,
Haud minimo menſas luxu, & ſine more nephandam
Exercet uenerem, inceſtatq; libidine uitam,

Et

Et priſcum exoſus morem, premit impius æquos,
Innumeros uulgo obtruncat, procerumq́; cruorem
Profundit. luges capitum tot funera Roma:
Quid referam uxorum cædes, fratrisq́; uenenum?
Quid matrem ferro extinctam? ſtatus omnis iniquo
Rege ruit, ius omne terit ſcelerata libido.
Qui primum ut populo faſces ſuſcepit ouanti,
Vinctus ad Heſperiam, Martisq́; ad mœnia Paulus
Venit, & optatas intrauit Tibridis undas.
Hic Solyma aſſidue binis æſtatibus Heros,
Et totidem hybernis litem cum gente peregit,
Et furias demum, atq; odijs immania corda
Perdomuit, ſoluiq́; uiro rex uincula iuſſit.
Emicuit uulgo, atq; ſui non muneris ille
Oblitus longe inſuetis exterruit urbem
Prodigijs, cœpitq́; luem depellere diuûm
Paulatim, ſuperiq́; uias oſtendere regni.
Extimuit Veſta, & patrij ſtupuere penates,
Omen Auentinus tulit, & Tyberinus acerbum.
Præterea ſatis eſt cunctos non unius olli
Ire per Heſperiæ fines, ad littora terræ
Occiduæ uenit, portusq́; intrauit Iberos.
Quas Sicoris, largoq́; ſecat quas flumine Betis,
Quas uagus inter Anas luit, & Tagus aurifer urbes.
Luſtrauit, regio, qua ſol ſe condit in undas,
Obſtupet: hinc famam Libya, atq; hinc Gallia late
Excipit ingentem, & gelidas extendit in arctos.

Rurſus ad Oenotriam peruentum, et Tybridis arua,
Romulidumq́; domos. per multos forte labores
Venerat huc olim, & poſt multa pericula Petrus,
Par pietas ſummo Heroas ſuccendit amore,
Aeternumq́; ſimul ſocios per ſecula iungit.
Inſiſtunt ambo unanimes, & noxia paſſim
Errorum uigili extinguunt contagia cura.
Sicut ubi terræ ſyluam infelicis arator
Altius extirpat, penitusq́; incendit inertem.
Exurunt ſentes, purgantq́; noualia flammæ,
Et ſterili infundunt uires, & pabula campo.
Haud ſecus hi priſcam terris abolere deorum
Contendunt labem, cœliq́; impendere frugem.
Surrexit magus ecce Simon noua crimina portans,
Cœlo indigna lues, hominumq́; inimica ſaluti,
Quem Syriæ non antè ſatis contendere terris,
Nec uinci fuerat ſatis, arma nec irrita ſolui,
Heroas rurſum irritans ingentibus auſis,
Nequicquam uitam dum uitæ expertibus audet
Reddere, luſus abit, uulgiq́; euadit erinnym.
Præterea ille, Deum contra quid tendere refert,
Expertus, diuûmq́; ſibi quid poſcere honorem,
Inſuetam fortaſſe uiam dum tentat, & aura
Tollitur ætherea, aſcenſum q́; inuadit Olympi,
Decidit infelix, erebiq́; intruditur umbris.
Perdidit ut ſcelerum diuina potentia peſtem
Tantorum, inuenitq́; ſuum fallacia finem,

Magnus

Magnus in immenſum Aeneadum per limina noſtræ
Relligionis honos latè ſurgebat, & omnem
Sancta per Heſperiam pietas fœlicibus annis
Fulgebat, Chriſti imperium cum pace ſubibant
Romulidæ, precibusq; Deum uotisq; uocabant.
Interea furit antiqui non immemor orcus
Exilij, exhorretq; odijs incenſus, & errat
Inferioris atrox per tecta ſilentia mundi.
Cui pacem neſcire datum, cui uertere curæ
Res hominum lætas, ſcelerumq; immittere peſtes.
Mille fremunt circum comites, immania monſtra,
Eumenidesq; facem antè gerunt, & ſontibus omnem
Ingeminant pœnam, infelix ſine more per umbram
Pallentem, his manes dictis exterritat imos.
Nos etiam ne adeò fractos poſt multa iacere
Secula, & includi terræ penetralibus imis?
Et paſſim illudi? quid non ſperare licebat,
Et tales præſcire mihi, atq; auertere caſus?
Quid queror? & ſeris fruſtra indulgere querelis
Poſt lapſum iuuat? ut primo ſpoliauit honore
Meq; meosq; Deus, cœloq; extruſit ab alto,
Hæc domus, hoc regnum fuit, hæc mea Tartarus aula.
Inſidijs ſoror una potens, & frater uterq;,
Saturni genus, huc animas demiſit ad orcum
Innumeras, cœloq; nouum quæſiuit honorem.
Ter centum ſuperam errarunt ſine fine per auram
Dij ſtygij, & miſeris dirum mortalibus olim

Impoſuere iugum, fraudesq́; dolosq́; pararunt,
Pars uarijs uulgo miſere inſomnia formis,
Impleruntq́; animos furijs, dubiumq́; per aras
Signarunt fibra euentum, pars cæde litari
Humana docuit, Lyciasq́; expoſcere ſortes,
Et pennis præſtare fidem, uociq́; uolantum.
Verum nunc Erebi mecum pallentibus omnes
In tenebris uincti æterna ſub nocte premuntur,
Nec ſupera, ut quondam, permiſſum in luce uagari
Mortales inter, cœli nec cernere tractus.
Iam noſtræ nimium inſidiæ, iam priſtina paſſim
Noteſcunt ſtudia, & toto contemnimur orbe.
Aſtra petit, uitatq́; grauem gens omnis Auernum.
Ecce etiam Paulus noſtri caput ingruit atrum
Exitij, noſtrisq́; iugum ceruicibus addit.
Hic ueteris gentem imperij ſubducit, & omnem
Sub Chriſti noua iura trahit tutiſſimus orbem:
Hucq́; frequens, illucq́; redit, lateq́; recurrens
Omnia perdomitat, terræq́; extrema pererrat,
Perq́; Aſiam intonuit progreſſus ad uſq́; penates
Gangaridum, Europam inuaſit, tetigitq́; columnas
Alcidæ, toties piget inſtaurare dolorem.
Auſoniæ nunc regna tenet, rerumq́; potentem
Dijs patrijs nunc Romuleam fugientibus urbem
Fulminat, accipiuntq́; nouos noua ſecula mores.
Quin uires aliæ, cœliq́; potentia maior
Iampridem mecum, maioraq́; numina pugnant.

Vos

Vos igitur (ſupereſt quæ ſors extrema, uidetis)
Vos agedum unanimes, ingens quibus omnia ſemper
Vertere cura fuit, lætamq́; extinguere pacem,
Explorate uiam, qua uis inimica repelli,
Diraq́; miſceri ualeant incendia leti,
Ardeat ut Cæſar, ſæuumq́; exterminet hoſtem.
Sic fatus, ſeſe occultas per triſtia tecta
E medio rapit in ſedes, mœſtusq́; tenebris
Conditur æternis, noctisq́; ſilentibus umbris.
Edocet interea cœli mitiſſimus altum
Paulus iter, uitæq́; animos fœlicis amore
Inflammat, numerumq́; fouet, geminatq́; piorum.
Huic domus una modum referens anguſta priorum:
Ingentes extra muros in ſede relicta,
Semper aperta pijs, iuxtaq́; extollitur ingens
In collem ſaxum, frontemq́; incuruat acutam.
Huc toto è Latio, totaq́; ex Vrbe ruebant
Innumeri, uariaq́; aderant à gente ſequuti.
Illa propinquabat finem factura labori
Summa dies olim, palmæq́; datura coronam,
Ingenti dum forte frequens coit agmine uulgus,
Et pueri, lectisq́; uiri cum matribus adſunt
Ante domũ. hic numero impletur locus omnis, & in-
Cæſareæ pars magna domus, clariq́; Quirites. (ſtant
Huc forma inſignis ueneranda ad limina ſeſe
Patroclus puer Auguſto dilectus agebat,
Noſſe uirum cupidus, ſanctumq́; ediſcere morem,

Fundere munus erat magno cui pocula regi.
Huc ubi peruentum, nequit ullus cōminus illi
Eſſe locus. nitens igitur conſcendit, & ultro
Summa petit ſaxi, celſaq́; in ſede locatur.
Iam placido diuina pater ſermone ferebat
Iuſſa palàm, uitæq́; nouum felicis honorem.
Ecce autem de ſede (nephas) pallentis auerni
Emiſſa ad cœlum ſæuiſſima ſurgit Erinnys:
Haud mora, continuo medijs ſe miſcet, & omnem
Turbam inter ſæuit, curasq́; per agmina circùm
Ingeminat, uarijsq́; locum terroribus implet,
Et puerum petit inſidijs aggreſſa repente,
Lethæum & Stygium quem exhauſerat, & Cocyti
Aſpergit laticem, funeſta obliuia ſomni.
Tranſit acerba lues ſenſim per tempus utrumq;,
Tam ſæuæ potuit non ille reſiſtere peſti.
Vt primum ſomno iacuit, ruit actus ab alto
In præceps, quatiturq́; ſolo crepitantibus ipſis
Oſſibus. icta ſonat tellus, cruor exit abunde
Vulneribus, funditq́; animam proſtratus in auras.
Illum permulti ſomno uidere iacentem,
Labentem pariter, miſeris cum uocibus adſunt:
Præcipue moti mœrent ſimul ocyus omnes
Cæſarei circum comites, & pectora tundunt,
Crebreſcunt uarij multo cum murmure fletus.
Extemplò triſtem Auguſti delatus ad aures
Horrificat caſum, funditq́; per omnia rumor.

Is ſubitò mixtum furijs ſub corde dolorem
Concipit, Heu puer infelix, tibi deditus, inquit,
Exitus iſte fuit, dudum quæ uiderat una
Lætantem, hæc te nunc eadem lux abſtulit una,
Multa gemens animum curis exbulcerat atris.
Præterea ut fuſos ſenſit cum murmure queſtus,
Exanimem iubet ipſe necis non inſcius heros
Ad ſeſe puerum tolli, miſeratus, & ipſum
Conſpectu poni in medio, coramq́; locari.
Exhinc cum gemitu fœdatum ſanguine corpus
Accipiunt, membrisq́; ferunt algentibus omnem
Inter conuentum, medioq́; ante ora reponunt
Mœrentes ſocij. ſpecula delapſus ab alta
Paulus adeſt, ſupplex lateri frigentis inhæret.
Nunc age tu puer ipſius per numina Chriſti
Surge, inquit. nec plura, nouus redit oſſibus ardor
Cum uita ſubitò, & gelidos perfunditur artus,
Pallor abit, ueluti rupto lætiſſimus ille
Extollit ſomno ſeſe (mirabile uiſu)
Vitalem incolumis redditq́; trahitq́; repertum
Aethera, & effundit uocem, geminatq́; receptam.
Tum uero inſuetus cunctis per corda repente
It ſtupor, atq; animis hærent, ſecumq́; uolutant,
Quæ tanti uis iſta Dei, quis tantus ab alto
Sit fauor, & lucem miſero quæ numina reddant.
Protinus hinc ſæui puer alta ad tecta Neronis
Accelerat, tum forte Nero iam iuſſerat ipſe

Exani-

Exanimum ferri, tumulumq́; & magna parari
Funera, & extremo decorari munere fletus.
Illum ubi proſpexit redeuntem, & limina nota
Intrantem, & penitus læta ſe fronte ferentem,
Obſtupet, & tremulis ultro ſic uocibus infit.
Tú ne iterum uiuis? qua luſus imagine fallor?
Luce frui quæ fata ſinunt poſt funera rurſum?
Dic age, dic, ſtygiá ne uenis depulſus ab unda?
Vt tumulum poſcas, poſſis ne in ſole uideri?
Iam tibi mortis honos, & funera magna parantur,
Stat rogus, & ramis tectæ feralibus aræ.
Tum puer hæc contrà, ludi nec imagine credas,
Viuo iterum, iuſſit rex Chriſtus ad æthera lucis
Me regredi, qui cuncta regit, recturus in æuum,
Qui fatis dat iura, feretq́; nouiſſima rebus.
His fremit incenſus dictis, & plura Tyrannus
Dicturum aggreditur, Diris ne à manibus ergo
Nuncius huc ades? hoc nobis ut triſte referres
Prodigium, & regem externum, qui rebus acerbum
Afferat exitium, Latioq́; extorqueat orbem?
Hunc Solymi expectant, hunc iam regnare fatentur
Chriſtigenæ, leto ſtirpem nunc perdere latè
Præſtat utramq́;, ſuum ut quærat ſub tartara regem.
Sic memorat, cædemq́; furens indicit iniquam,
Et Flaui de gente ducem iubet ocyus ire
Cum nato ad Syriæ fines, qui funditus omnes
Excindat Solymos, aliiſq́; extinguere mandat

Chriſtigenas, Paulum ante omnes ad uincula poſcũt:
Innumeri ad caſum uincti per cuncta trahuntur
Cum patribus nati, & charis cum matribus unà.
Horreſcunt triſtes pœnæ, ſine ſanguine nuſquam,
Indigna ſine cæde locus. pars ignibus ardent,
Pars ponto obruitur, rabies furibunda ferarum
Blandita eſt, hominum quos uis inimica trucidat,
Cæduntur uarijs alij (miſerabile dictu)
Tormentis, ferit atra pios uertitq; procella.
Vos animæ in cœlo patriam quæ ſanguine ueſtro
Quæritis æternam, fas eſt perferre laborem,
Cui ponit lux una modum, noua gaudia reſtant:
Felices nimium, uobis cœleſtia regna
Semper habere datur, diuûmq; accumbere menſis.
At diras moti ob pœnas, cladeḿq; ſuorum
Multa fremunt, numeroq; ruunt ad tecta tyranni
Infenſi, geminantq; minas cum murmure ciues.
Aeſtuat hinc bellis Aſia, hinc uenientis Iberi
Conſurgit rabies, feruent in limine Galli,
Interea noſtro fœdatur ſanguine Roma.
Stant circũm, uarijsq; replent clamoribus arcem.
Ille uirum turbam inſtantem commotus, & æquis
Ardentem furijs, fremitusq; expauit obortus.
Non odijs ultra infandis ſæuire, ſed ultro
Vrgenti pacem afflictis offerre tumultu.
Non tamen ille, nefas, audendi extinguitur ardor.
Diſſimulat, pacatq; nouos pro tempore motus

Extem-

Extemplò duci ad ſeſe(neq; ſanguinis ulla
Deſinit atra ſitis)celſa intra limina Paulum
Imperat,ecce pius dicto non ſegnius unà
Certatim à fœdis rapitur lictoribus heros
Vinctus,& ad diram trahitur cum murmure ſedem,
Nullus cui leti terror,cui nulla laborum
Vis noua,cui nouus incipiat nec ſurgere caſus.
Huius ut ardentem cœli rex preſſit erinnym,
Ter binis regna aſſiduo tot barbara luſtris,
Tam ſæuas uiſit gentes,iterumq; reuiſit,
Sæpe dolos,uarias cædes,tot uincula paſſus,
Naufragus inſtantis toties diſcrimina fati
Euaſit,pelagi toties atq; ætheris iras,
Aſpera tot ſaxa,& Syrtes expertus iniquas,
Contendit ſtygijs totum dum faucibus orbem
Eripere,& fidei dona ad meliora uocare.
Venerat illa dies finem factura labori
Optatum,& tandem palmæ latura coronam.
Ibat ouans igitur,rabiem non ille tyranni,
Ingenti ueritus non ora minantia faſtu,
Quem poſtquam intrepidum tectis proſpexit in altis
Hoſtis atrox coràm aſtantem,fremit horridus,iram
Ingeminans,durumq; expromit uoce furorem.
Tú ne etiam pacem,& priſcum peruertere morem
Infelix,totamq; metu confundere gentem
Tentaſti?regisq; nouas extollere uires
Ignoti,totum terræ qui terminet orbem?

Tú ne impune necem, & triſtes euadere pœnas,
O demens, tantumq́; pati me uelle putaſti?
Infandam nec poſſe mali deperdere labem?
Inuidit tantum (uideo) mortalibus Orcus,
Portento noſtrum ut tali permiſceat orbem,
Ociaq́; euertat, factis nec triſtibus ultra
Phas tibi lætari, aut cœlo producere uitam.
Vixiſti, ferro tandem nunc exitus inſtat
Ante oculos. ſic fatus erat, quum maximus heros
Reddidit hæc Paulus. Tibi phas miteſcere Cæſar.
Me ſtygij non ira Iouis, ſed magnus Olympi
Eripuit rex ipſe mea de gente, per omnes
Tendere cui terras, lapſamq́; extollere gentem,
Felicisq́; uias regni monſtrare liceret,
Hac humana tenus non me uiolentia uicit,
Nunc terrere tui poterit uis nulla furoris,
Ad portum ueni per mille pericula uictor,
Mille per inſidias, ſummum accepturus honorem
Ad ſuperos uocor, æternum poſt funera uiuam,
Spiritus huc iterum ante oculos obiectus, & ultro
Viuus ego huc adero, quàm triſtia uulnera cerno?
Exitus hic ſcelerum extremus, diræq́; propinquat
Vis necis atra tuæ. hæc media inter uerba tyrannus
Aeſtuat, ingentiq́; animum ſuccenditur ira:
Ne ſinite, exclamat, caput hoc ſupereſſe nephandum,
Triſte nephas, dirumq́; canit cum caſibus omen,
Dijs ſubitò hoc ſtygijs celeret dicturus, & ipſa

Infelix capiti exoptat quæ triſtia noſtro
Perferat exitia, & manes patiatur acerbos.
Tum dicto incenſi parent, atq; agmine circûm
(Haud mora) lictores inſtant, captumq́; repente
Vnà omnes prendunt, atq; extra limina trudunt
Cum ſonitu, magnoq́; trahunt clamore per urbem.
Eſte deæ faciles, quarum ſine numine noſter
Non labor eſſe poteſt, quarum nec ſpernere munus
Hoc opere in noſtro licet, huic præſentior aura
Danda loco, meus ille animis quàm fortibus Heros
Venerit in fatum, fuerint quot deinde ſequutæ
Prodigij formæ (noteſcunt omnia uobis)
Dicite, & hanc cantu ſupremam extollite partem.
Vinctus agebatur magno per compita Paulus
Murmure, ſpectantisq́; inter pius agmina turbæ
Ibat ouans, cœlumq́; oculis animoq́; petebat,
Hærebatq́; Deo, lucemq́; inſtare ſupremam
Gaudebat, demum æterni qua dentur honores.
Debita ceu claris nacturus præmia factis
Magnanimus miles toties ex hoſte trophæa
Qui tulit, & uento portum ceu nauta ſecundo
Poſt hyberna petit ſeruatis tempora rebus:
Vel qui longinquis uarias in finibus exul
Pertulit ærumnas, patrijs appellitur agris.
Sic animos dabat illa uiro ſpes certa parati
Muneris: exitium quamuis natura recuſet,
Et diuina metu ſoluebat pectora flamma.

Ad

Ad ſcelerata ruit motũ ſpectacula uulgus
Vndiq;, perq́; forum ruit ingens fluminis inſtar
Spectantum manus ad portam, feruentq́; Carinæ
Concurſu, atq; uia paſſim diſcurritur omni.
Ad portæ limen uentum eſt ut forte Capenæ,
Plantillam ingentes uidet alto à pectore Paulus
Fundentem gemitus, & ſecum multa querentem,
Quæ ueri fuerat cultus edocta Tonantis
A Paulo quondam, Chriſtumq́; fidemq́; ſequuta:
Da capitis Plantilla tui uelamina (dicit)
Da precor, huc adero, et uiuens poſt funera reddam,
Hæc ſubitò oranti capitis uelamina tendit
Alba, ſui, illachrymans, cœli conſcende penates
(Inquit) tu decus ô noſtrum, tua clara iacenti
Non capitur terra uirtus: tibi liuidus Orcus,
Dura tibi ſoboles, & ueri neſcius orbis
Inuidet, i modò te poſcit rex magnus Olympi,
Iamq́; uale. ad portam tantum ſic fata moratur.
Iamq; uiri infenſis muros lictoribus extra
Truditur, haſtarum ſylua, & feruentibus ingens
Spectantum ad campos portis emittitur unda.
Vndiq; per latos uulgò diſcurritur agros
Tybridis ad ripam, & flauæ calcantur arenæ.
Cæruleus forte humenti Tyberinus in aula
Iuxta accumbebat, ſi uera eſt fama, uocatis
Centum unà cum dijs, centum ad conuiuia nymphis,
Quæ ſtagnis præſunt, fonteſq́; & flumina ſeruant,

Flauentes longo complebant ordine menſas.
Vt noua ſtipantis uiderunt agmina turbæ
Fluminis ad ripam plenis procedere campis,
Ingentiq́; uirum deduci ad funera motu,
Horreſcunt, primusq́; toro Tyberinus ab alto
Obliquos fluuij ad flexus, ubi regia fertur
Eſſe Dei, ſeſe rapit, & penetralibus imis
Conditur, ut cædis foret haud ſpectator iniquæ.
Conſurgunt ſubitò, & menſis diuerſa relictis
Antra petunt alij, & fluctus rapiuntur in imos
Pertrepidi: fit feruor aquis, & tollitur æſtus,
Turbatæq́; gemunt nymphis fugientibus undæ.
Interea fœdam ad ſedem flauentia iuxta
Flumina peruentum, optatas fortiſſimus heros
Hic uitæ ut uidit metas, enſemq́; paratum
Stare neci, genua ad terram demittit, & ambas
Tendit in aſtra manus ſupplex, funditq́; ſupremas
Corde preces imo. Generis certiſſima noſtri
Chriſte ſalus, & felicis ſpes unica uitæ,
Errantem qui me in rectam, ſæuaq́; furentem
Cæde uiam egiſti, duce te implacabilis Orci
Vim domui, rabiemq́; dolosq́; impune meorum
Et maris & terræ euaſi diſcrimina tutus,
Iam tandem hæc inſtat mihi pars extrema laborum,
Da caſu eſſe tui memorem me poſſe ſupremo,
Da cœli ſtatione frui, mors corpore poſtquàm
Soluerit hanc animam. niueo ſic fatus amictu
Lumi-

Lumina prætexit:duplicesq; ad pectora palmas
Componit crucis in morem.demittere uiſus
Culmen Auentinus,demiſſa eſt Tybridis unda,
Ferali ſeſe facie perterritus aër
Oſtendit,trepidi rapuiſſent plauſtra iugales
Oceano,preſſas ni ſol tenuiſſet habenas.
Lictor adeſt,plagæq; locum deſignat acuto
Obtutu,ſtrictoq; uiri mucrone retectam
Ceruicem ſecat orantis,cœleſtibus inſons
Non ſine prodigijs cæſus,dirumq; ſequuta
Signa nephas,caſumq; Deus miſeratus amici.
Ecce autem primum emanat(mirabile uiſu)
Lac niueum,mox & ſequitur de uulnere ſanguis.
Ter caput abſciſſum inſueto petit aëra ſaltu,
Ter terram quatit.hos imis de ſedibus ictus
Sentit aqua,& miſſo ſentit ceu fulmine tellus
Tacta foret,tribus unda locis effunditur,& tres
Exiliunt fontes,lapſo qua uertice tellus
Ter percuſſa fuit,flauum per gramina riuus
Labitur in Tyberim,terni de nomine fontis
Nunc locus hic dictus,ſceleris monimenta cruenti
Tres noſtro apparent æterni tempore fontes.
Nec ſatis hæc fieri,contrà ſubducere uiſus
Culmen Auentinus,ſubducta eſt Tybridis unda.
Lætata aurai facies,ſe findere cœlum
Incepit latè,albeſcit qua candor in aſtris
Lacteus,& miram terris oſtendere lucem,

Quæ Phœbi ardentis longe plus lampade fulſit,
Emicuit nouus è cœli penetralibus altis
Cum tonitru fulgor, diuûm patuere penates
Et uiſa in terras labi cœleſtia templa.
Hinc uarij audiri cantus, & dulcia latè
Multiplici diſtincta ſono modulamina uocum,
Mulceriq́; nouis totus concentibus æther,
Multiplicesq́; aderant liquida inter nubila lapſi
Cœlituum per inane chori, iam ſanguine fuſo
Corpus humi, auulſumq́; caput, cœloq́; uolantem
Inſpiciunt animam, & tali ſic uoce ſalutant.
O Stygis infandæ uictor, tot fortibus actis
Salue, tot claris heros dignate trophæis,
Huc cœli meritos ades accepturus honores
Inſignem ob palmam, magno potieris in altis
Sedibus imperio ſuprà, & dominabere diuis.
Fata uiri, laudesq́; ferunt ad ſidera cantu.
Romulidis nouus inceſſit ſpectantibus horror,
Audiuere melos, diuûmq́; ingentia uerba.
Diffugiunt, primiq́; fugam rapuere cruenti
Lictores, ſcelus effuſi quos ſanguinis atrum
Exterret, quibus infandæ mens conſcia cædis,
Et trepidi campis Vrbem petiere relictis.
Quos ubi concurſu pauidos proſpexit oborto
Moliri Plantilla fugam, quæ forte ſedebat
Ad portam, opperiens quæ ſors foret ultima rebus,
Hæc ait, ô miſeri iamdudum deſinit eſſe

Crude-

Crudeli ueſtro mortalis uulnere Paulus:
Affuit huc diuûm cœtu comitante, reponens
Velamen niueum. coram ſic fata, cruentum
Velamen pandit, dextra quod læta gerebat.
Hoc magis horreſcunt uiſu, præcordia terror
Occupat, accelerant, ſummamq́; ad Cæſaris arcem
Effugiunt, & rara docent quæ monſtra ſequuta.
Affuit interea, turbataq́; tecta tyranni
Intrauit Paulus, cœleſtes undiq; flammæ
Circunſtant: ſed ſe uultu, quo crimina quondam
Obiurgare datum, oſtentat, terretq́; furentem,
Cœlo inuiſa lues, & terris noxia Cæſar
Pernicies, fruſtra me poſſe abolere putaſti,
Immortalis ego tua iam poſt uulnera uiuo.
Exitus hic ſcelerum extremus, diraq́; propinquat
Vis necis atra tuæ. ſic fatus, in æthera ſeſe
Corripuit, tectiſq́; metum curaſq́; reliquit.
Tum uero (non ſomnus erat qui ſomnia mittat)
Obſtupuit Cæſar: ſcelerum mens conſcia feruet,
Et rabies confuſa metu, ſub corde recurſant
Tot peſtes, & ſæua piæ tot funera gentis,
Et fratris, cæſæq́; nephas crudele parentis.
Non olim tantum furijs exarſit Oreſtes,
Qui mœchum & matrem necuit, non ſpretor Iacchi
Tantum, qui ſibi crus ſecuit, Dircæa ſacerdos
Non tantum, quanquam extinxit ſua pignora leto.
Iamq́; amplexa polum, terramq́; humentibus umbris

Nox erat, impulerat cunctos ſua quærere tecta
Mortales paſſim, & placidæ dare membra quieti,
Lugentes iuxta exanimum quum forte iacerent
Aſſidui corpus comites ad Tybridis undam
Sub dio Titus & Lucas, noctisq́; per umbram
Ingemerent, triſtesq́; darent ſine fine querelas,
Et uultum implerent lachrymis. tonat ardua cœli
Arctoi domus, effugiunt ex æthere nubes.
Rus motu tremit ingenti, Tyberinus in auras
Tollitur haud ripas extra diffuſus, & alto
Miſcetur fluctu, tumidisq́; elabitur undis.
Mirus ab auroræ fulgor tranſmittitur oris
Aethera per liquidum, noctemq́; expellit opacam,
Ingeminatq́; diem, & totis effunditur agris
Effulgens, diuumq́; chori cœleſtibus ardent
In flammis, triſtesq́; micat ſolatus amicos
In medio Paulus. Tales quid uoluere curas
Incaſſum iuuat ô ſocij, & miſereſcere noſtri?
Parta quies æterna mihi, poſt uulnera uiuo
Immortalis ego, & duri ceſſere labores.
Poſt obitum date quod ſupereſt, nunc cõdite noſtrum
Corpus humo, ut certo lateat pro tempore, phas eſt.
Tempus erit, quo ſe quondam felicibus annis
Proferet in lucem, & ſacris celebrabitur aris.
Cœlo educta mihi ſtatuent delubra nepotes,
Vndiq́; dijs patrijs hominum genus omne fugatis
Huc aderit, ſoluetq́; uolens ingentia uota.

Cum uarijs ſeſe noua lux concentibus auget,
Romulidæ in lectis ſomno excutiuntur, & alta
Tecta petunt, flectuntq; oculos fulgentibus aruis.
Audiuere melos, demitti incendia late
Viſa polo, uiſusq́; magis cœleſtibus omnis
Ignibus allabi campus, longeq́; refuſam
In lucem flauæ mutari Tybridis undæ.
Cum Paulo interea fulgor ſublatus, & omnis
Cœlituum chorus aurora ueniente receſſit.
Haud mora, diuinus dudum quæ iuſſerat heros
Accelerant fidi comites. condentibus obſtet
Ne uicina dies turbam miſſura uirorum,
Exanimum corpus rapido qui gurgite mergant,
Expediunt tumulum, tolluntq́; algentia membra
Amplexi, multaq́; tegunt tellure gementes
Impoſita ſuper, & multis de more, ſuprema
Debita quæ lachrymis hominũ ſunt munera, cõplent,
Et fletu expleto patriam, mœſtæq́; ſoluto
Mortis honore petunt, abeuntq́; extrema loquuti.

FINIS.

SCIPIONIS CAPYCII DE VATE MAximo Liber Primus.

Egregium iuuenē, terris qui numine miſſus
Diuino, æterni patefecit luminis ortum,
Surgētiſq́; canam ueræ primordia lucis,
Felix, conueniant operi ſi carmina tanto,
Inceptum, ſi par merito ſublimibus adſit
Rebus honos, deturq́; nouo deducere cantu
Laudes eximias uatis, quem prætulit ipſe
Omnibus æthereus iudex mortalibus unum.
Tu mihi, cuncta tuo qui reples numine, uitam
Inſpirans rebus, quo magni condita cœli
Lumina, quo terræ ſidunt, & mobilis hæret
Collectus telluri humor, quo purior æther
In ſpacia effundit uaſti ſe ingentia mundi.
Aequæuum patri natum qui fœdere iungis
Aeterno triplex unum quod numen adorat
Gens pia, qui rudib. ſibi quos rex magnus Olympi
In terris iunxit comites, afflata repente
Ora tuis radijs, ſoluiſti, auditaq́; centum eſt

Vox

Vox linguis eadem, & uariæ admiranda per orbem
Immenſum, attonitæ gentes ſtupuere loquutos.
Sancte ades, ignarumq́; tuo da flamine pectus
Perfuſum, dignos auſis effundere cantus.
Eſt regio ſacris qua felix labitur undis
Iordanis, dites agros & pinguia latè
Arua rigans, magnoq́; auſus contendere ponto,
In mare ſe tumidus uaſto bis gurgite pandit.
Grata Deo tellus, & uatum carmine clara
Nobilium, patriam toto quam legit in orbe,
Quum uitam in terris generis miſeratus acerbos
Humani caſus, uitæ inſtaurator agebat.
Septi pomiferis molles ubi collibus horti
Fragranti ſudant felicia balſama ligno.
Hic æuum in ſyluis, atq; inter luſtra ferarum
Degebat, fluxæ fugiens contagia uitæ,
Marterna iuuenis cœlo promiſſus ab aluo.
Qui mundi reputans regem, uerumq́; ſalutis
Autorem, in terris nimium latuiſſe, ſacrumq́;
Aduentare diem, tenebras quo mente fugaret
Humana antiquas, uerus ſemperq́; nitens ſol,
Aſſiduis liquidas implebat uocibus auras,
Diuini oſtendens felicia tempora regni.
Illum mirati non unquàm audita canentem,
Audiuere, colunt amplas qui nobilis urbes
Iudææ, lætos findunt qui uomere colles,
Quiq́; bibunt Iordanis aquas. Telluris auarus

Frugiferæ domitor, pecudesq́; ad pabula læta,
Atq; amnem oblitus uitreum compellere paſtor.
Molliaq́; in nitidis qui ducunt otia tectis,
Victi delicijs, uarias uitamq́; per artes
Aſſueti excolere, & duro exercere labore.
Aetatemq́; atrox contentus miles in armis
Conterere impauidam, glacie duratus & æſtu,
Solertisq́; animi quoquot diuerſa cupido
Impellit uarijs ſtudijs impendere curam.
Maturiq́; ſenes, pueri, uiridisq́; iuuentus,
Matres, atq; nurus, primaq́; ætate puellæ,
Omnes conueniunt, ingensq́; effuſa, relictis
Vrbibus, ad iuuenem certatim turba ruebat.
Ille autem: O miſeri, quæ tanta ignauia mentes
Corripuit ueſtras? cæci quò tenditis? ô gens
Ignara, & propriæ tam longum oblita ſalutis.
Quid læti in mortem ruitis? iam debita ueſtris
Criminibus uos pœna uocat, ſupremaq́; poſcunt
Exitia, inſtantisq́; urget ſors aſpera leti.
Nec ueſtri miſeret, quos iam iam maximus atro
Supplicio uindex & diro funere perdet.
Ecquis erit ſcelerum finis? ueſtigia patrum
Fœda ſequi, & priſco iuuat indulgere furori.
O genus inuiſum, quo non dignatus honore eſt
Vos opifex rerum, ingratos & dura gerentes
Pectora, & inſanis furiarum fluctibus actos.
Ille tamen uobis toties proſpexit, & ægros

Com-

Complexus, cœli tantum non luce carentes,
Atq; humiles, rerum ſumma ad faſtigia uexit.
Et formidatos populis, lateq́; potentes,
Imperio erexit? gentisq́; extendere nomen
Iuſſit, qua pelagus telluri obducitur, & qua
Igneus alternis uariat ſol corpora flammis.
Pro quibus ô quoties ſanctum reſcindere fœdus
Impia gens auſi? ſolis quod rector Olympi
Vobiſcum pepigit, legesq́; abrumpere, ſacris
Ille ſuo tabulis digito quas ſcripſit, in æuum
Seruandasq́; dedit uobis. quin uana deorum
Numina fingentes, ſacras mortalibus aras
Non tantum, dignosq́; Deo tribuiſtis honores,
Sed ſtolidas pecudes, mutarumq́; ora ferarum,
Feciſtisq́; Deos, ſacraq́; locaſtis in æde:
Nil memores, hominum dederit quàm multa ſupremus
Regnator, dira quoties à morte reduxit
Immeritos, brutæ mentes. Aegyptius olim
Quum premeret fugientes, è miſeroq́; reductos
Seruitio, anguſtas rubri cecidiſtis in oras
Littoris. hinc trepidos ingens iam turma tenebat
Hoſtilis, pelagusq́; illinc obſtabat, & omnis
Spes erat effugij, ſpes omnis adempta ſalutis.
Quum ſubito inſuetis aſſurgens uiribus eurus,
Naturæ impulſus genitoris numine magni,
Diſpulit obiectas undas, atq; intima uaſti
Gurgitis exertans, penitus maris ima retexit.

Perpe-

Perpetui,mirum,fluctus ſcinduntur,& undas
Fit uia per medias,geminaq́; in rupe profundum
Subſtitit.inuadit pelagus tunc agmina Moſes
Diuino iuſſu ductans, adigitq́; pauentes,
Per ſiccum gradiens,& apertas calcat arenas.
Iamq́; fretum emenſi,terram,littusq́; tenebant
Aduerſum,elapſos quum cernẽs impius hoſtis,
Non ope diuina proſciſſo gurgite fluctus
Immotos pendere ratus,mutataq́; rerum
Fœdera,mentis egens,atq; acri concitus ira,
Qua petijſſe fugam innocuos conſpexit,eadem
Perſequitur,credens ſe undis.iamq́; alta ſubibant
Aequora,natiuum ſubitò quum lubricus humor
Senſit onus,petijtq́; ima,& trepidantia preſſit
Agmina.præruptoq́; ruens de gurgite moles
Vndarum,abſorpſit cunctos merſitq́; profundo.
Aethereum potuit tantus tenuiſſe parentem
Gentis amor ueſtræ,& pietas inſignis auorum.
Ille idem hoſtili rabie,dominisq́; ſuperbis
Ereptos,iterum aſpexit,quo tempore nudas
Vos inter cautes Arabum,monteſq́; peruſtos
Vrgebat ueſana fames,paſſimq́; uagantum
Infelix ægros macies abſumpſerat artus.
Nulla aderat uitæ ratio,certumq́; parabant
Ante oculos miſere pallentibus omnia letum.
Tunc uobis nitido demiſit ab æthere rorem,
Felicem cœli rorem,quem nocte tepenti

Non tantum lenes ſudarunt molliter auræ,
Deflagrans noſtrum exurit quum ſirius orbem,
Et tenuans quum ſe arentes circunfluus aër
Deſtituit terras, & in æthera funditur humor.
Sed quum torpet hyems, nec terra refundit in auras
Obliqui ſolis radios, liquidumq́; rigenti
Denſatur glacie, & brumali frigore cœlum.
Orbe quaterdeno dum notum perficit aureus
Sol iter, è cœlo uobis fragrantia mella
Fluxerunt ſemper: duro nec uomere ſegnem
Tellurem interea, & curuo uertiſtis aratro.
Abductisq́; opibus dominorum, & diuite gaza,
Otia per ſteriles duxiſtis pinguia campos.
  Et iam tempus erat, quo magni conditor orbis
Has profugos terras, inq; hos induceret agros,
Felices agros, uobis longumq́; colendos.
Quum populus ſacri ad ripam peruenerat amnis,
Promiſſasq́; auidi ſedes, gremiumq́; uidebant
Optatæ telluris. iter ſed clauſerat undis
Altior, & late ripis Iordanis abundans.
Tunc ſummum æterni tumidus rectoris Olympi
Imperium ſenſit fluuius, rapidosq́; repente
Continuit fluctus, & aperti peruia fundi
Oſtendit uada, præcipitesq́; argenteus altam
In nubem glomerauit aquas, undisq́; retortis
Vis fluxa, ingenti erexit ſe ad ſidera mole.
Ipſa parens ſtupuit rerum natura, ſub auras

Quid

Quid tantum aërias liquidus ſe tolleret humor.
Illi qua toto uolucer defluxerat alueo
Amnis, tranſmittunt ripas, campiſq; beatis
Conſiſtunt læti, terraq; fruuntur amata.
Cætera quid memorem rerum miracula, terris
His quibus inſignes fama, populoſq; per omnes
Vos mundi dedit eſſe ſator, lateq; uerendos?
Quid referam bello domitos, paſſoſq; cruenta
Excidia ingentes populos, euerſaq; regna,
Totq; triumphatos reges, tot parta trophæa?
Ipſe animos uobis cœli dum ſufficit autor,
Ingenteſq; addit tam multa in prælia uires.
At uos haud unquam exuti, gens impia, mentem
Veſanam, toties contempto numine ueri
Artificis rerum, dis uanis thura dediſtis
Impia, quorum aras ipſi deleſtis, & ædes,
Cepiſtiſq; amplas cæſis cultoribus urbes.
Heu rationis egens, & ueri luminis expers,
Et cœlo genus inuiſum, qui uatibus aures
Diuinis, ſemper duri, auertiſtis. ab alto
Vos Deus aſpiciens, ſtuduit quis flectere mentis
Perfidiam inſanæ, atq; animos ſedare furentes.
Nil mouet aut ueſtri pietas? nil proxima culpæ
Vos pœna? aut ueterum exagitant expenſa malorum
Supplicia? æterni terret nil uindicis ira?
Vipereum ſemen, patrumq; ſimillima proles.
An tumidos ſtirpis decus, & uos gloria magni

Reddit aui?patrumq́; animos pia facta priorum
Extollunt?pater omnipotens,ô ſemper inanis
Gens, Abraæ in ſobolem has poterit cõuertere cautes,
Neglectumq́; genus,populosq́; optare relictos.
Ergo animos cœlo,& totas aduertite mentes,
Quo magna ætherei poſcunt promiſſa parentis
Vos miſeri,heu terræ defixi noxia corda.
Iam tremit admota mox collapſura bipenni
Arbos,ingentemq́; dabit ſucciſſa ruinam.
Eia agite,ambiguas uitæ dum carpitis horas,
In meliusq́; datur mentem,ingeniumq́; referre,
Ne illecebræ incautos miſere,ne obliuia fallant
Vos recti,& fugiens euro non ſegnior ætas.
Et tandem frenate animos,penitusq́; malorum
Peniteat,mentemq́; atris aucliite curis.
Linquite peccati morem,uitamq́; priorem
Pertæſi,impuris abſtergite funditus omnem
Pectoribus labem.ſummi ſat numina regis
Contempta,& prauis indultum eſt undiq; uotis.
Iam lachrymis opus,& fletus effundere largos
Tempus,& humentes oculos intendere cœlo.
Mox diuina aderunt felicis tempora regni,
Aeterniq́; nitens pandet ſe luminis ortus,
Fulgebitq́; dies,longa caligine preſſos
Quæ uos eripiet,multosq́; attrita per annos
Colla iugo,& diro incipiet uos ſoluere nexu.
Auferet & priſcæ terris contagia culpæ

Vltima,

Tam noua, & ingentem populum pendere loquentis
Ex ore intentis animis,genteſq; propinquas
Confluere,oblitas rerum,quas labilis uſus
Fert uitæ,atq; alacres regni expectare beati
Gaudia,ſurgentiq; oculos aduertere luci.
Felices ſyluas,uox tanti ubi reddita uatis
Impleuit colles,atq; umbriferas conualles.
Feliceſq; amnis lymphas,quibus abluit ille,
Quos fœdæ docuit ſordes deponere uitæ.
Præcipue felix uatum tu maxime,matris
Quem Deus *ex utero optauit,qui nuncius ires*
Venturo nato in terras,aditumq; parares
Aeterno regi.cœleſti uoce parenti
Promiſſus ſacro,diuinæ ſigna iuuentæ
Iam tum oſtendiſti.ſancto & me pectus amore
Perculſum,iuuat inſignis cunabula uitæ,
Atq; tuas prima reuocare ab origine laudes.
Auguſtus latè Romanis *faſcibus orbem*
Subdiderat,terras coleret dum candida cœlo
Pax ueniens,& priſcus honos rediſſet aratro,
Squalerentq; ſitu præduri militis arma.
Imperio Solymos,patriamq; tenebat Idumen
Herodes*.quum ſorte fuit iuſtiſſimus inter*
Abiadas lectus,faceret qui maxima,ritu
Iſaidæ magni,ſacra.erat cui digna,pijſq;
Par meritis coniux,nulliq; obnoxia culpæ.
Diuinis ambo intenti pia pectora iuſſis.

Non ulla his fuerat proles, ſterilisq; iuuentam
Altera, & utilius ſoboli tranſegerat æuum.
Et iam ſera illos grauiorq; oppreſſerat ætas,
Languidáque exhauſto torpebant membra calore,
Quum uiduam plorans alter, triſtemq́; ſenectam,
Fundebat ſupplex imo de pectore uoces,
Cœlicolum regem tota ſic mente precatus.
Ergo extrema dies ueniet mihi, cara priuſquam
Præmia coniungij accipiam. nec triſtia noſtri
Damna thori, ſanctæq́; preces non coniugis unquam
Te tangent, primis quæ in te ſpem fixit ab annis.
Tu pater omnipotens, poſtquam primordia gentis
Humanæ dederas, ſtatuiſti fœdere ſancto
Connubium generi augendo. nos nomen inane
Hoc gerimus, fruſtraq́; animos & corpora uinclo
Iunximus hoc. ſanctis cedant at commoda iuſſis
Noſtra tuis, maneatq́; tamen tua firma uoluntas.
Talibus orabat ſenior, fixumq́; tenebat
Cœlo animum, prolis præſaga gaudia mente
Concipiens, quum uota Deus non irrita paſſus
Eſſe pia, & ſancta fulctos ſpe pectora nunquam
Fruſtratus, clemens admouit uocibus aures
Supplicibus, cœloq́; preces audiuit ab alto.
Ille autem de more ſacri penetralia templi
Ingreſſus, pia thura dabat, lata atria circum
Turba preces patri æthereo dum funderet omnis.
Quum ſubito halanti cœleſtis nuncius aræ

Aſtitit, & dextra præſenti in lumine, pulcher
Effulſit, ſpecie, ſoliti qua ſæpe uideri
Cœlicolæ humana, quoties cœleſtia, miſſi
In terras, mandata ferunt. ſenis occupat horror
Membra ingens, riguitq; imo ſub pectore ſanguis,
Sideream ut faciem radijs fulgere coruſcis
Vidit, & æthereas fundantia lumina flammas.
Cui iuuenis. Mentem reuoca, gelidumq; timorem
Pone pater. ſummi regis nam contigit aures
Vox tua. concipiet coniux ſanctiſſima, uobis
Quod fuit in uotis, & ſupplex ſæpe petiſti.
Quæ poſtquam implerit felicis tempora partus,
Naſcetur puer egregius, quem certa ſalutis
Signa nouæ, terris longum expectata ferentem,
Lætitia effuſis animis, plauſuq; ſecundo,
Excipient multi, tollentq; ad ſidera partum
Voce hilari inſignem, & magni cunabula uatis.
Drataq; fundentes plenis munuſcula dextris,
Omnia fauſta illi dicent, atq; omnia læta.
At tibi, qui uacua triſti cum coniuge mœres
Sæpe domo, ſterilisq; incuſas damna ſenectæ,
Gaudia quanta dabit. qualis felicia uota
Succeſſus, tanto uobis implebit in ortu.
Vix capient alacres ueſtra exultantia motus
Pectora, & expleri dabitur uix corda, tuendo
Luminibus talem puerum mortalibus. hunc tu
Nomine Ioannem dices. non ulla tulerunt

Secula cui ſimilem, ueniens nec uiderit ætas.
Magnus erit, poterit quem non humana probare
Vox ſatis, & propria uirtuti extollere laude.
Teſtis erit meritis, ſummo mens nata parente,
Humani aſſertor generis, cui pontus, & ima
Tellus, cuiq; æther, & cœli lumina parent.
Felix, qui ex hominum ſupremi iudicis ore
Accipiet uitæ eximios inſignis honores.
Non ille erectos cœlo tardantia ſenſus
Pocula, & ætherea mentis læſura uigorem
Vina bibet, uilique ſitim reſtinguere lympha
Contentus, ſemper puri pia frena tenebit
Pectoris, & ſacris non ullo tempore curis
Auellet nullo pollutam crimine mentem.
Hauriet & cœli necdum ſpirabilis auras,
Cæca rudimenta, & tenuis dum ſuſcipit uſus
Vitæ, utero matris clauſus, quum pectore toto
Concipiet ſanctos diuini flaminis ignes.
Qui poſtquam in lucem ueniet, ſanctæq; iuuentæ
In tacitis teneros ſyluis firmauerit annos,
Os populis ſacrum ſoluet, patrumq; priorum
Oblitos longum natos, pia iuſſa docebit.
Multorumq; animos, ſcelerum quos polluit atra,
Et recto auertit labes, ad frena uolentes
Iuſtitiæ adducet dictis. ſic Teſbius olim,
Quum nondum ardenti ueſtris trans aëra curru
Ceſſiſſet terris, meliores uectus ad oras,

Aethereo

Aethereo fulctus mentem pectusq́; uigore,
Ore pio, inſanasq́; tribus, infandaq́; regum
Crimina damnabat uates. hunc ſpiritus idem,
Visq́; eadem accendet diuini numinis. ille
Venturo in terras, proprio qui ſanguine culpam
Humani antiquam generis, letoq́; piabit,
Aeterni patris nato præmiſſus, ab imis
Mortales tenebris miſeros, ad luminis ortum
Conuertet tanti, & referat quos ille beatum
In regnum, dignos faciet, numerumq́; piorum.
Dixerat. Ille oculos diuina loquentis ad ora
Iandudum inſueta perfuſus luce, tenebat
Defixos. & certa minus mandata putabat,
Captantem promiſſa magis quo gaudia mentem
Spes noua tam ſancto ueniens impleuerat ore.
Rettulit hæc tandem: Caſtæ ſi coniugis annos,
Si numerem ipſe meos, ambobus ſerior ætas,
Et leto proprior, dulcis ſpem prolis ademit.
Fluxerunt gelido nobis de corpore uires,
Defectusq́; ſuo ſanguis coijſſe uigore,
In fœtum nequit. hæc igitur da læta probari
Haud dubia promiſſa fide, ne incerta cupido
Sperantum uiolet ſucceſſus gaudia tanti.
Ille autem, Pater omnipotens quem robore fulſit
Diuino, è cœlo cernis mandata ferentem,
Implentemq́; tuas lætus me uocibus aures,
Has mihi quod dubias præbes, & certa futuræ

Signa petis ſobolis, ſignum hoc en accipe. functus
Qui linguæ officio, certos reddentia ſenſus
Fers hac uerba tenus, te ingrata ſilentia linquent
Ducturum liquidæ uoces, non uana probentur
Euentura ſuo donec mea tempore dicta.
Hæc ait, ac ſubito tenues fulgentia condens
Lumina, & æthereos uultus, exceſſit in auras.
Interea effuſæ ſpacioſa per atria turbæ
Sacra obſeruanti, mirum inſuetumq́; uideri,
Illum adytis mora quod ſolis tam longa teneret,
Egreditur tandem, & ſeſe expectantibus offert,
Conantemq́; animi motus expromere, liquit
Nuncia uox mentis, linguæq́; interpretis uſus.
Diuino agnoſcunt afflatum numine in æde
Diuinumq́; aliquid mortali lumine præſens
Conſpexiſſe ſacra. ille licet ſe iuſta uideret
Supplicia ambiguæ meritum perſoluere mentis,
Iucunda tamen amiſſæ ſpe triſtia uocis
Damna leuat, lucem expectans, quæ uincla relaxet
Linguæ, optata ferens promiſsi gaudia partus.
Sic ubi telluri gnauus commiſit arator
Semina, triſtis hyems glacie dum ſæuit, & atrox
Intima pertentans ſubit in præcordia frigus,
Signa tenet meſſis lętæ, atq; incommoda brumæ
Spe frugum gelidæ, & uenturo fœnore penſat.
Ergo quod poterat, ſignis, nutuq́; ſacerdos
Perſpicuos oculis motus dat mentis, & æquo

Fert

Fert animo ereptos, prodit quos auribus index
Lingua ſonos. ſanctæq; minus non ſufficit aræ
Quos pater omnipotens quondam ſibi legit odores.
Et iam ſacra pius de more peregerat æde,
Seq; domum è ſancta tulerat, quam ſedula coniux
Caſta fouens ſolo ſeruabat membra cubili.
Quum tandem inſucto tardari pondere ſenſit
Illa aluum, tacitoq; agitari uiſcera motu.
Lunaq; iam quinos obliqua abſoluerat orbes,
Gaudia quum ſobolis læto ſub corde uolutans
Prodiderat nulli, ingenuo tamen illa rubore
Rugoſas ſuffuſa genas. tum lumina ſupplex
Attollens cœlo, fundebat talia, mente
Sæpe pia uenerata Deum. *Tua munera nunquam*
Sera pater ueniunt. decoras iam pignore dulci
Connubium, iam non ſterilis, iam munere dicar
Facta tuo genitrix, toto ut tibi pectore grates
Haud equidem dignas perſoluam, at uiribus æquas.
Cœperat interea ſexto iam menſe uideri
Auctior, inq; dies ſpacium protendier alui.
Quum patris ætherei natum Ieſſeia *uirgo,*
Ante omnes uirgo inſignis, quas longa tulerunt
Secula, quaſq; ferent, cœleſti uoce, uirilis
Expertem attactus, parituram, & ſe aurea terris
Laturam, accepit, regem qui ſecula condat.
Et ne qua poſſent illi non certa uideri,
Præſenti promiſſa fide, ſignoq; probarat

Nuncius haud uano cœleſtis, ſancta uerendi
Quod ſterilis coniux ſenis, & maturior æui,
Quam pia cognato tangebat ſanguine uirgo,
Iret fœlici grauior iam pondere, ſextum
Sub menſem, & tumida præſtans augeſceret aluo
Fœtus, qui lucis uacuas eductus in oras,
Oſtendat ueri ſurgentia lumina ſolis.
Quæ poſtquam accepit uirgo, quãquam affore dictis
Crediderat iam certa fidem cœleſtibus, & ſe
Dignatam haud dubie ſancta quæ ferret in aluo
Aethereum regem, ſtatuit tamen illa propinquam
Viſere anum, tanto lætæ quo munere prolis
Gratetur, uiſuq́; probet cœleſtia ſigna.
Ergo digreditur campis, colleſq́; beatos
Iudææ ſubit, & caræ contendit ad urbem
Cognatæ, ac tectis tandem ſuccedit amicis.
Illa ut tendentem greſſus ad limina uidit,
Occurrit gaudens uenienti, alacriſq́; tetendit
Brachia in amplexus. prior officioſa ſereno
Virgo ore, & læta longæuam uoce ſalutat.
Protinus, O rerum ſuprema potentia magni
Autoris, latitans utero, nec munere functus
Lucis adhuc, infans. Vbi uox audita parenti eſt
Prima ſalutantis, præſentem uirginis aluo
Cognouit clauſum, terris quem præuius ipſe
Venerat æternum uates oſtendere regem.
Exiliensq́; utero, poterat quo gaudia motu

Expreſſit, magni ſobolem genitoris adorans.
Sancte infans, at nondum infans, te ad ſidera quali
Voce feram, qualiue æquem te carmine cœlo.
Tu nondum in uitæ ſpirantes editus auras,
Hauſiſti ſanctos æterni flaminis ignes.
Afflatusq; Deo demiſſum ex æthere, lucis
Agnoſti autorem. felix qui cernere lumen
In tenebris tantum potuiſti, ipſumq; tueri
Sumentem humanos cœlum qui condidit artus.
At uero, ut ſubito puerum ſanctiſsima ſenſit
Exultantem anus, atq; æternam in uirgine prolem
Eſſe Dei, toto diuinum pectore numen
Concipiens, alacri tulit hæc ad ſidera uoce.
Ante alias felix mater, fœtusq; beato
Quem ſeruas utero, felix diceris in omne
Aeuum, fama ingens, & noſtri gloria ſexus.
Quid me, quid tanto immeritam dignaris honore?
Hæc in tecta uenis? ſubiiſti hæc limina, regis
O genitrix ſummi? teneris en artubus infans,
Magna tuæ oſtendens diuinæ gaudia prolis,
Signa meus dedit, ut noſtras tua uenit ad aures
Vox prima, & ſanctam dixiſti diua ſalutem.
Præſtans ô fidei uirgo, quæ certa putaſti,
Mira licet, ſummi rerum mandata parentis.
Promiſſa accipies cœleſti munera uoce,
Munera, perpetuam generi latura quietem
Humano, & ſancti felicia ſecula regni.

Diuino afflatos, felicia pectora, uates,
Et ſeruanda piæ genti qui myſtica ferrent
Sacra Deo, ſanctisq́; fouerent ignibus aras.
Vnde orbi noua lux micuit rex ille, beata
Qui ſecla induxit terris, miſerosq́; uetuſto
Seruitio eripuit mortales. maximus unde
Et uates ductus, populis orientia late
Præuius oſtendit ueri qui lumina ſolis.
Cuius ego in laudes, diuino accenſus amore,
Nunc feror eximias, ſint hæc modò carmina tanti,
Auſus tantarum tenui proſcindere molem
Vndarum cymba, & uaſtum dare uela per æquor.
Ergo ubi lux radios octaua reduxerat orbi
Solis flammiferos, reddebant debita mori
Rite pio, & puerum genitoris nomine uulgo,
Aptius id uiſum, & cuncti aſſenſere, uocabant.
Quum ſancta æterni mater ui flaminis aucta,
Dicite Ioannem dixit. quæ uenit ad aures
Vox ubi, commotæ mentes, uariusq́; per omnes
It rumor, nato haud uſquam gentile, quid illud
Optarit nomen genitrix, ipſumq́; rogabant,
Indi quod mallet, nutu ſignisq́; parentem.
Ille autem, poterat quando non uoce, petito
Deſcripſit calamo, dictumq́; à matre notauit
Nomen Ioannes, demiſſum ex æthere nomen.
Corripuit ſtupor attonitos, penitusq́; ſub ima
Oſſa ſubit. tum palmas cœlo & lumina, ſanctum

Tollentem genitorem, & mentis mira parantem
Gaudia, ſoluenda iam mox expromere uoce,
Mirati aſpiciunt, ſubitoq́; emiſſa ſoluto
Ore ſenis magni, liquidas uox uerberat auras.
Protinus ille nouo diuinas carmine laudes
Aggreditur, patrisq́; effert pia munera ſummi.
Hoc magis attonitis gliſcit ſtupor, & noua tanto
Perculſas uiſu inuadit reuerencia mentes.
Nec mora Iudææ colles, populosq́; propinquos,
Peruolitans late tanti prænuntia facti
Fama, implet, pulſatq́; metu pia pectora ſancto.
Secum omnes ortum pueri, & diuinitus illi
Optatum nomen, magnæ præſagia uitæ
Eximij uatis, tum uocis reddita patri
Munera, uerſabant, cœleſti hæc omnia nutu
Proueniſſe rati. genitor tunc numine mentem
Diuino afflatus, ſoluens ſic ora, futuri
Præſcius, æterni cecinit noua ſecula regni.
Laude ferant ſuperum regem, quē optatus adorat,
Agnoſcitq́; Deum populus. nos lumine uiſit
Qui propior dextro, & miſeris languentia ſoluit
Colla iugo, eximij claro de ſanguine regis
Ieſſei, aſſertorem hominum, magnumq́; ſalutis
Autorem mittens, pleni quem numine uates
Diuino, cecinere pij. nos hoſtibus ille
Infenſis tandem eripiet. ſic munera clemens
Quæ magno iuratus auo promiſerat olim.

Præ-

Præſtabit genitor ſummus.ſic ægra ſoluti
Corda metu ancipiti,atque odijs exercita diris,
Hunc recto aſſueti ſemper,ſanctiq́; colemus.
Et tu magne puer,diuinos maximus inter
Diceris uates.regi tu præuius ibis
Aeterno,ſanctis ad quem mortalia dictis
Pectora conuertes.uenia donata ſalutem
Tum pia gens ueram,manſuraq́; gaudia noſcet.
Vſque adeò ex alto aſpexit miſeratus ab imo
Pectore,nos pater æthereus,caligine preſſos
Antiqua,& diræ tabentes mortis in umbra,
Optato irradians æterni luminis ortu,
Vt capiant animos diuinæ commoda pacis.

LIBER SECVNDVS.

IAm uero aërias pergam te lucis ad oras
Eductum canere, & uitæ memoranda futuris
Facta tuæ, ſacro deducere carmine ſeclis,
Sancte puer.iuuat inſuetos è fonte liquores
Haurire intacto,molliq́; ex arbore,tellus
Quam tua fert ſola,inſignes decerpere ramos,
Et mea fragranti præcingere tempora fronde.
Non ego Pegaſides accerſam,uana ſorores
Numina,& Aonia inſignem teſtudine Phœbum.

Nec

Nec ſpacia immenſi tentantem uaſta profundi
Findere, me ambigui capient mendacia Protei.
Quæſitusúe ignis cœlo, ſimulatáque diuûm
Portenta, & pictis demiſſus nuncius alis,
Deductæq; deûm facies, & uana Tonantis
Nomina, & immotus fatorum creditus ordo.
Sed me diuinus, deſerta per auia raptum,
Accendit radijs æterni ſpiritus ignis.
Sic ego cœleſtes poſcens ad carmina uires,
Non fictas uires, Sebethi ad flumina ſacras
Aggredior primus digno res tradere cantu.
Mox regem æternum, demiſſam ex æthere ſummi
Progeniem, mentemq; patris, mortaliā membra
Indutum, & mire comprenſum uirginis aluo.
Poſtq; necem diram, uitæ admirandáque facta,
Alta triumphata repetentem ſidera morte,
Accingar canere, & longum uoluenda per æuum,
Sacra piæ genti, faueant modò ritè uocata
Numina, perpetuis intexere carmina chartis.
Interea laudes diuino numine regi
Præmiſſi uatis tanto, pia cœpta ſequamur.
Ille rudimenta primus, fructumq; iuuentæ
Accipiat noſtræ, & populi me iurgia uilis
Spernere, & inſano doceat me tollere uulgo.
Ergo cœlicolûm genitoris numina cantu
Tollebat ſenior, regniq; optata futuri
Tempora monſtrabat, dictis pia pectora miris

Accen-

Accendens,ſanctáque animos ſpe ad ſidera tollens.
At tibi,quæ talem genitrix tunc gaudia natum
Dum complexa foues,cariſq; ampexibus hæres,
Dulciáque admoras lactentibus ubera labris,
Vbera uitali rugoſa tumentia rore.
Soluebasúe Deo quantas lætißima grates.
Iamq; puer ſenſus animi ſumebat,& artus
Firmabat teneros,æui qui ſigna futuri
Ex utero matris quamuis iam certa dediſſet,
Hunc tamen ingenti ſtudio,curáque parentes
Inſtituunt ſanctè,& facta ad cœleſtia formant.
Ille autem afflatus diuino numine mentem,
Exequitur præcepta lubens,& ſancta capeßit
Mandata,atq; alacres tollens ad ſidera ſenſus.
Paulatim humanis rebus ſe auertit,& ultrò
Delicias molles & curas ſpernit inanes,
Iamq; hominum affectus,& uanos nóſcere mores
Cœperat,æthereiſq; animis ut crimina ſenſim
Terrena,& miſeræ ſerpant contagia uitæ,
Quum faſtus uulgi,cœtuſq; exoſus,in alta
Se abdebat nemora,& ſyluis degebat opacis.
Hic inter dumos primum pubeſcere malas
Senſit,& inſignis florem prodire iuuentæ.
Non urbes illum accepere,aut oppida,cultis
In tectis,denſos ſaltus,& inhoſpita ſuetum
Per loca ferre gradum.placidæ hic iucunda quietis
Commoda captabat,diuerſæ tædia uitans,

Ac ſtrepitum turbæ, & uitæ fugientis inertem
Deſpiciens operam, uarij præuertere caſus
Quam poterant, ueniensue cito mors aſpera greſſu.
Sinceróque omnem penitus de pectore curam
Fluxarum pellens rerum, & cœleſtia ſemper
Concipiens animo, puram ſuper alta ferebat
Sidera, & æterno mentem replebat amore.
Illum non ardens rapidi uis terruit æſtus,
Non hyemis rabies, non inclementia cœli,
Duratum glacie atque æſtu, nec ueſtibus ullis
Indutum. tantum hirſuti contexta cameli
Squalentes humeros uelabat penula ſetis.
Aſt uictum triſtes, nullo ieiunia farre
Soluenti, locuſtæ inopem, pauidisq́; relicta
Poma feris, herbæq́; dabant, baccæq́; rubentes,
Et ſtipata cauo ſylueſtria ſtipite mella.
Non cibus hunc hominum, mollita ſalubribus eſca
Ignibus, inſtructæ tenuit non copia menſæ,
Non ullæ allexere dapes, nec pocula ſucco
Pampineo ſaturata, ſitim compeſcere pura
Contentum lympha, & deſerti fluminis hauſtu.
Et rapidus ſeu ſol agros urebat hiantes,
Siue gelu denſabat hyems, quum cæca teneret
Nox terras, nullis macie confecta fouebat
Stratis, non ullo recreabat membra cubili.
Verum antro in gelido, patuláue ſub arbore, ſomnos
Carpebat tenues, cœleſtes cernere tractus

Lumina concedens ſeræ deſeſſa quieti.
Heu ſtolidæ mentes, & luce carentia corda
Humanæ gentis, quantis uita ægra laborat
In tenebris, quali iactantur pectora motu.
Alma cibum nobis, natiuaq; pocula tellus,
In ſpecubus q; domos, in pratis ſponte cubile
Præbuit, ingrati fulgenti è marmore uillas,
Inſignesq; domos ſtruimus. uix mœnibus urbes
Egregiæ capiunt quoſdam, uix maxima regna,
Immemores, totos ueniet quum ſerior hora,
Quàm breuis urna teget. miſeri quid tenditis artẽ
Vincere ſolertis naturæ inuenta? quid uſus
Anguſtæ ad uitæ tenues tam multa paratis,
Luxibus ignaui luxus quid nectitis? omne
Quod ſuperat uobis, illis id demitur, æuum
Qui degunt inopes rerum, quibus ampla parentis
Aufertis terræ communis munera, & orbe
Arcetis toto, atq; auræ uix linquitis uſum.
Interea ad lucem cœnas uos ducitis, ullæ
Nec ſatiant epulæ, lautæq; opulentia menſæ.
Hoc iuuat ô miſeri, diros quod paſcitis atra
Ingluuie morbos, mortemq; accerſitis ultrò.
At non in ueſtro firmantur corpore uires,
Morsúe minus properat ueniẽs, quod concaua ueſtrã
Gemma ſitim leuat, aut picto recubatis in oſtro,
Et nitidis fulgens quod ueſtis ſerica uillis,
Nec ſaturata ſemel precioſo murice lana,

r Et

Et ductum argentum, atq; aurum uos textile ueſtit.
Quàm procul his petitur ſummi domus ardua cœli
Delicijs, miſeros diro quæ funere perdent.
Ille autem in ſyluis uitam qui horrentibus egit,
Eximius uates, æſtus brumæq́; labores,
Pauperiemq́; famemq́; ferens, non talia liquit
Exempla, at luxus, & uulgi mobilis auras,
Et uana anguſtæ fugiebat gaudia uitæ.
Iamq́; illum uiridis tandem firmauerat ætas,
Et ſolidæ ſtabant iuuenili in corpore uires,
Quum uolitans urbes implerat fama propinquas,
Inſignem iuuenem ſaltus errare per altos
Denſorum nemorum, & cœtus uitare, proculq́;
Vrbibus, extolli tota ſuper æthera mente.
Haud mora conueniunt populi, ſolasq́; latentem
Per ſyluas, pérque antra illum deſerta requirunt.
Quos ubi conſpexit, ſeſe uenientibus ultrò
Obtulit, & claro oſtendit ſe in lumine uates.
Obſtupuere illi, quum formam, atq; horrida cultu
Aſpexere uiri, & macie ſqualentia membra,
Et barbam impexam, intonſos hirtosq́; capillos.
Verum ubi fixerunt in ſacros lumina uultus,
Exangues licet, & triſti pallore rigentes,
Conſpiciunt ora æthereo ſuffulta uigore,
Et geminas ſacro fundentem uertice flammas,
Cœleſtes flammas, radijs quæ pectora miris
Spectantum, & ſancto replebant corda pauore.

Viſa

Viſa minor fama eſt, uatis quum cernere ſacri
Ora datum, coramq́; oculos explere tuendo,
Ardebantq́; illum iandudum audire loquentem.
Is uero incepit tandem, & ſacra ora reſoluit:
Mira canens, ſanctisq́; implens ſermonibus aures;
Et læta oſtendens æterni tempora regis.
Necnon & ſcelerum pollutos ſorde priorum
Purgabat dictis animos, quæ quiſq; ſequatur,
Quæ fugiat, uitetq́; docens. tum tetra fatentes
Crimina, mergebant miſeros quæ funere diro,
Orantesq́; Deum ueniam, uitamq́; priorem
Pertæſos, ſacri luſtrabat fluminis unda.
Scilicet abluti mortalia corpora, ſignum
Acciperent mentis terrena labe piatæ.
Res noua per latos populos urbesq́; propinquas
Pertulerat uatis nomen, cunctiq́; relictis
Mœnibus, in ſyluas alacres cupideq́; ruebant.
Per nemus aſpiceres uaſtum, & deſerta ferarum
Per loca, certatim ferri nullo ordine turbas,
Et quenq; inuentum uatem contendere primum
Conſpicere, & propius pendere loquentis ab ore;
Per campos ueluti properat quum exercitus æſtu
Arentes, ſtimulante ſiti, ſi ex agmine quiſquam
Repperit in tenero muſcoſum gramine fontem,
Cuncti iter inceptum linquunt, & quiſq; peruſtas
Ante alios certat fauces pertinguere lympha.
Ille autem ardentes mire inflammabat, & acres

Neu uos dira fames auri, ne iniuſtus habendi
Vexet amor cupidos, néue æquum cogite ſupra
Pendere tam multo æs miſeros ſudore paratum.
Tuq́; ferox parce innocuos inceſſere miles,
Debitaq́; accipiens tantum ſtipendia, uires
Aduerſus placidæ infeſtos conuerte quieti.

Talia diuino uates dum funderet ore,
Attonitos paſcens dictis, & pectore cuncti
Vltima dum ſummi uerſarent tempora regis,
Hunc plures ipſum regem, magnumq́; putabant
Seruatorem hominum, ad ſuperas oſtendere quenquã
Poſſe iter humano generi, nec certius oras.
Hæc ubi Iudææ uulgata eſt fama per urbes,
Conuenere ſacrum uatem, quîs ſoluere nodos
Arcanos legum curæ, ſimulataq́; maior
Quos tum relligio populo ſecreuerat, illum
Tradentem attonitæ genti præcepta, rogabant,
Tesbius an uates foret, an rex ſummus olympo
Veniſſet terris antiquam abſtergere labem.
Atq; illum ſi ſe uatem, regemúe negaret,
Quis foret, haud dubie æternum qui oſtendere regnũ
Auderet, populumq́; inſueto more piare.
O decus humanæ gentis, quo carmine ferre
Te ſpacia immenſi ualeam ſuper ardua cœli?
Iam tua te uates uirtus, iam gloria ad aſtra
Factorum extulerat, uerumq́; aſſueta fateri
Acceptura fidem fuerat uox, te ultima terris

Si regem annueres optatum ſecla tuliſſe.
At te nil humana agitantes pectora laudes
Mouerunt, regis caperes ut nomina ſummi.
Vos tamen ô miſeri, famæ quos cæca cupido
Mortalis ſtimulat, ſpacium irremeabilis æui
Quid modicum teritis? tenui dum paſcitis aura
Fallacis populi, uanaq́; cupidine mentes.
Quidúe acres alitis uigili ſub pectore curas?
Dum tumidi humanæ turbatis fœdera gentis,
Imperio aſſueti inualidos uexare ſuperbo,
Quîs genus, atq; eadem iungit uos ſtirpis origo,
Quîs idem eſt ortus, & quos manet exitus idem.
Ille autem uàtes inquit non Tesbius adſum,
Sed neq; me ſummi dignabor nomine regis,
Secula qui afflictis tulerim felicia terris.
Pura ego ſum lympha pertæſos crimina miſſus
Abluere, æterni adueniens rex ille beatis
Quos ignis luſtret radijs, generisq́; uetuſtam
Contagem humani tollat, penitusq́; piatos
Effulgens tandem eripiat caligine tetra.
Et quanquam in lucem uenit me ſerior, ortus
Præceſſit tamen ille meos, longeq́; potentem
Ante omnes unum hunc, ſupplex ueneratus adoro.
Ille idem radijs ſemper fulgentibus orbem
Illuſtrans, læta optati mox ſecula regni
Afferet, humanis ſtatuens noua fœdera rebus.
Et ueluti ſolers meſſem quum uentilat æſtu

Agricola in rapido, dat flammis urere ariſtas,
Et puras infert fruges flauentibus horreis,
Expectata pijs donans felicia regna,
Hinc procul eijciet ſontes, noctisq́; profundæ
Inuoluet tenebris, quos atra incendia diris
Addictos pœnis ſemper manſura uorabunt.
Hunc alij uobis uates, hunc maximus olim
Amoides dixit, quum per deſerta uagantem
Monſtrantemq́; uirum cecinit, felicius æuum,
Clamantemq́;, uiam uenturo ſternite regi.
Et iam clamantis nemoroſa per auia uocem
Accipitis: nec longe aberit, quum cernere tantum,
Quem cano, fas fuerit manifeſto in lumine regem.
Et nunc mortales inter, nec cognitus ulli,
Verſatur, ſocium ueſtris ſe cœtibus addens.
Talia dum fatur uates, turbamq́; beatæ
Attentam incendit uitæ ſurgentis amore,
Atq; fidem ſacris adhibet dum plurima dictis
Plebs rudis haud dubiam, multi quis cura docendi
Diuinam populum legem, quosq́; ardua rerum
Cognitio, indocto dederat præcellere uulgo,
Irrita ducebant quæcunq; oſtenderat ore
Ille pio, nec digna fide, felicia nondum
Aduenïſſe rati diuini tempora regni.
Mens ignara hominum, quid rerũ quærere cauſas,
Et longo prodeſt multam uigiliq́; parare
Doctrinam ſtudio? modicis quid uiribus impar

Sumere onus rerum autoris pia ſacra ferendi?
Si non quæſita ad ſuperas prudentia ſedes
Monſtret iter, cæcaq́; animos caligine ſoluat.
Quiq́; ſacris præſunt, ſi ad recti aduertere cultum
Non curent, & iuſſa rudes diuina docere.
Non acre ingenium, doctas non uita per artes
Exculta, ætherei genitoris numina flectunt:
Nec multa, & flauo gemmis fulgente corona
Diſtinctis auro, aut rutila frons aucta tyara,
Et laxa ad talos ardenti è murice ueſtis,
Fortunata parant: duro quærenda labore
Regna, piæ genti fuſo quæ ſanguine ſancto,
Rex ſtatuit moriens felicis conditor æui.
Ergo ueridico fuerat quæ mira canenti
Vati adhibenda fides, his omnis defuit, eſſe
Quos penes ingentem decuit, nec uana putaſſe,
Quæ rudis intenta credens plebs hauſerat aure.
Interea ſanctis uates dum pectora dictis
Accendit, populosq́; ſacra dum perluit unda,
Rex patris ætherei ſoboles, qui pellere noxam
Venerat antiquam terris, & ſoluere longo
Mortales nexu miſeros, atrisq́; tenebris,
Quo uatis promiſſa pij non uana probaret,
Proxima qui æterni regis noua ſecla canebat,
Ipſe etiam turbas inter perſundier amne
Venit, & immenſi cui parent fulgida mundi
Lumina, cuiq́; iacens tellus, cui pontus, & æther,

Rex ibat ſuperûm uelut è mortalibus unus,
O lux omnipotens, æterni ô flaminis ingens
Virtus, non hominum fuerat qui cognitus ulli,
Non illis, patria atq; eadem quos ſtirpis origo
Iunxerat humanæ, & uitæ ſociauerat uſus,
Eductus ſyluas inter, ſolisq; ferarum
In luſtris uates uenientem, ut lumina primum
In regem fixit, magna ui numinis actus:
Ten' ego, te cunctis, & luce nitentior omni,
Exclamat, cœlo miſeris qui triſtia terris
Crimina ueniſti, priſcamq; abſtergere labem,
Aeternum ſpargam mortalis flumine regem?
Quin tu me ſceleris pollutum ſorde uetuſti
Elue, natiuoq; nocens quem culpa parentis
Eripuit primi, purum me redde nitori.
Ille autem, Ne obſiſte, inquit, ſic conuenit omne
Nos ſuperare æquum. porro me è millibus unum
Tot ueluti nitida Iordanis perlue lympha.
Hæc ait, & pariter fert ſacra ad flumina greſſus,
Sancta pedum figens hudis ueſtigia arenis.
Fortunate amnis, uerum cui tinguere lucis
Humanæ autorem felici contigit unda.
Ipſa tibi cedunt non tantum flumina, profert
Quot terra, & liquidi fontes, ſed uaſta profundi
Victa tuo fluuio ſubdent ſe marmora ponti.
Nam licet immenſum oceanus late ambiat orbem,
Ipſe tamen, quem non tellus, non æquoris undæ,

Non ſpacia immenſi capiunt ampliſsima cœli,
Sparſiſti ex illo ſacratis tempore lymphis.
Ergo Iordanis tunc luſtrat flumine regem
Cœlicolum uates, undiſq; fluentibus illum
Abluit, è cœlo ueniens qui tetra cruore
Humanæ proprio deleuit crimina gentis.
O mihi cœleſtes adſint ad carmina uires,
Paruáq; per uaſtum tendenti uela profundum
Aſpirent ſanctæ diuini flaminis auræ,
Vt mira oſtendit claro quæ ſummus olympo
Signa parens, digno tollam ſuper æthera cantu.
Aethereum ſacro regem perfuderat amne
Vates, atq; illum uelut è mortalibus unum
Luſtrabat lymphis, genitor quum ex æthere ſummo
Audijt orantem natum, è cœloq́; probauit
Præmiſſum terris, diuino numine regi
Aeterno uatem. Quis me ſuper ardua raptum
Sidera, nec uanum quicquam aut mortale canentem,
Diriget ad metam? ô tantis nunc ſpiritus auſis
Annuat, excelſo uates quem ex æthere labi
Aſpexit, magnumq́; ſuper deſcendere regem.
Vix fluuio egreſſus rex idem preſſerat undis
Tellurem pedibus, ſuperum quum rector ab alto
Præſenti in luce emicuit, celſusq́; repente
E ſummo ſeſe patefecit culmine olympus.
Tum ſe diuinum demittens flamen ab aſtris,
Acceſſit propius terras, mitisq́; columbæ

Corpo-

Coporea apparens ſpecie, quam humana uiderent
Lumina, conſedit diuini in uertice regis.
Intonuit, ſonitusq; nouos dedit arduus æther,
Et uox ſupremi ſic eſt audita parentis.
Hic meus eſt, ante omne fuit qui filius æuum.
Hunc æternus amor ſemper mihi iungit, & idem
Diuinam clauſit mortali in corpore mentem.
Iam medium tanti, nimium progreßa, profundi
Cymba tenet, magniq; ſecat maris intima, metæ
Aſpirans, fœlix, idem ſi ſpiritus auras
Excitet, ignaramq; uiæ regat. æquoris undas
Ingredior uaſti, penitus iuuat ire per altos
Fluctus, immotæ cupientem anguſta per ingens
Naturæ pelagus diuinæ, ſoluere uela.
Nam decet hic unum triplex oſtendere, cantu
O liceat digno, numen, manifeſtius unquam
Quod non ſe oſtendit, ſummus quàm perluit ipſam
Quum uates ſacro diuinam flumine prolem.
Id mentes capiunt hominum, & mortalia tanti
Sunt corda? & noſtræ poterunt hoc pandere uoces?
Nos pater omnipotens ortum dedit æthere ab alto
Ducere, & in cœlum euexit mortalia membra,
Diuinam inſpirans animam, quam noſcere fas eſt
Omnia, ſeq; rapit quò fert ſua cunq; uoluntas.
Extollunt hæ nos geminæ ſuper æthera uires,
Præſtamus uitæ his uolucrum, generiq; natantum,
Almaq; quot ſyluis paſcit, quot gramine tellus.

Nanq;

Nanq; hæc non ipſum, quum ſint expertia mentis,
Supremum autorem rerum, qui condidit imam
Tellurem, & celſo ſplendentia ſidera cœlo,
Non ſeſe agnoſcunt penitus, non condita quæuis.
Sola etenim mens ipſa potis noſſe omnia ſolers.
Sed nec uelle his eſt, hebeti tantumq́; feruntur
Affectu, & prono ducunt è corpore ſenſus.
At nos quanquam animo afficimur, tamẽ una uolũtas
Hunc agit, & nunquam compellit cæca libido.
An non ſæpe libet quicquam, noſtrosq́; laceſſit
Quod cupimus ſenſus? animo tamen ardua, uelle
Longe aliud ſuadet ratio, affectusq́; coërcet.
Quumq́; ægris cordi ſint dulcia pocula nobis,
Quod mage conducat, latices potamus amaros.
At contrà non bruta queunt optare, nec ullum
Conſilium uitæ ratione carentia ducit.
Ergo hominum ſublime genus, non cætera tantum
Viribus his ſuperat geminis animantia ſummis,
Verum diuino dignati ſemine, magno
Natura ſimiles ſuperum terræq́; parenti
Nos ſumus, é que illo eſt humanæ ſtirpis origo.
Nanq; Dei in ſummi natura, ut maxima proles
Ex patre eſt mens ipſa Dei, ſanctumq́; ab utroq;
Eſt flamen, quæ eſt una patris natiq; uoluntas,
Sic animæ natura eſt noſtræ, quæ parit ipſum
Noſſe, ſuum tum uelle oritur, dum intelligit illa.
Quare animam quum quis penitus cognouerit ipſam,

Hinc

Hinc poterit triplex unum cognoſcere numen.
Nam pater omnipotens ſummè fœlixq́; bonusq́;
Quum ſit, mens autem faciat quum quemq; beatum,
Neu quis, ni prudens, ualeat bonus eſſe, uolensq́;,
Eſſe Deo *mentemq́;, uoluntatemq́; neceſſe eſt.*
Et ueluti eſt eadem natura atq; unica noſtri,
Vnde anima eſt, ratioq́; animæ, eiuſdemq́; uoluntas,
Sic patris natiq́; & ſancti flaminis unum
Numen idemq́; eſt, triplex unusq́; eſt Deus *idem.*
Atq; illo quoniam non eſt in numine quicquam
Quod fiat, neu per ſe exiſtat, nilq́; quod eſſe
Non habeat ſummum, quicquidúe Dei *eſt,* Deus *ipſe*
Hoc ipſum omnino eſt, quum perfectiſſimus ille,
Integer, atq; idem totus ſit, mens ſit oportet
Ipſa Dei Deus, *& uotum* Deus, *& ſit eadem*
Natura ipſe pater, qua mens patrisq́; uoluntas.
Quare animæ quanquam ſimilis natura parenti
Aethereo noſtræ eſt, tamen hoc ea diſtat ab illo,
Quod geminæ ipſæ animæ uires, quæ condita, quæq́;
Mutatur, nec quidq; ſui quodúe illa agit, ipſa eſt,
Non ita ſunt anima ex ipſa, intellectio ut id ſit,
Quod per ſe eſt animæ natura, itidemq́; uoluntas.
Namq; animæ effectus ſunt, dumq́; intelligit illa
Atq; optat, fiunt. at uero mensq́; uoluntasq́;
Aeterni genitoris, ab illo ita ſunt, nihil ut ſint
Factum ab eo, aut non per ſe exiſtens, nec Deus *id ſit.*
Namq́; aliter non ſummè perfectum, ab que ſolutum,
Inte-

Integrumq́; Dei quicquam foret, ac Deus idem
Totus, mensq́; Dei, per ſe, per ſeq́; uoluntas
Exiſtit. tum integra, ac perfectiſsima utriq; eſt
Natura. ac non effectus, quicquam ue Dei ſunt,
Quod non ſit Deus. atq; Deo Deus utraq; ab ipſo eſt.
Quumq́; Deus pater ipſe ſit, eſt etiam Deus ipſa
Mens patris, natus, uotum natiq́; patriſq́;
Sanctum etiam flamen Deus eſt. parq́; eſt tribus eſſe.
Tres tamen hos, eſſe unum numen, nõ tria, certum eſt.
Atq; alius pater eſt, aliusq́; eſt natus, & ipſe
Spiritus eſt alius diuinus. ſed tribus una
Omnino, atq; eadem natura eſt. quumq́; trium ſit
Quisq; Deus, tamen haud tres dij ſunt, ſed Deus unus.
Res mira atq; ingens, capiant quã pectora nunquã
Noſtra, nec humanæ poſsint oſtendere uoces.
Attamen id nobis pro captu apprendere fas eſt
Mentis, quum liceat patrem cognoſcere ſummum
Per noſtræ naturam animæ, quæ condita quantum
Res unquam excelſo potuit dignarier ortu,
Eſt illi ſimilis, qui condidit omnia ſolus.
Idq́; ego ſum tenui complexus carmine, laudes
Dum iuuat eximij uatis percurrere, numen
Cui ſe tam propius triplex oſtendit & unum,
Quum ſacro æternum luſtrauit flumine regem.
Iamq́; diu expectatum orbi, terraſq́; colentem
Tempus erat, generi quo regem proderet ipſum
Humano uates. quem cœlo læta tuliſſe

Dixe-

Dixerat in terras promiſſi ſecula regni.
Ergo rex idem uatem dum ſæpe reuiſit,
Et ſe noſcendum coram mortalibus offert,
Aſpiciens uates uenientem hunc eminus, Hic *eſt,*
Hic, inquit, generis delet qui crimina noſtri,
Innocuus, uerusq́; agnus diuinus. hic ille eſt,
Quem dixi, cœli quanquam me ſerius hauſit
Vitalis lumen, ſublimi clara priuſquam
Aſtra parens rerum mundo, ſolisq́; nitentes
Finxiſſet radios, atq; æuum ante omne fuiſſe.
Hunc pater è celſo demittens æthere ſummus
In terras, me præmiſit, qui præuius illum
Monſtrarem uobis uenientem, undisq́; piarem,
Quos hic diuini luſtrabit flaminis igne.
Hunc idem oſtendit genitor, quum flumine ſacro
Illum ego Iordanis *laui. uocem ipſe loquentis*
Accepi, prolemq́; ſuam, caramq́; probantis.
Et ſanctum è cœlo labi, puræq́; columbæ
Hoc ſuper aſpexi ſpecie conſidere flamen.
Aſpexi, & regem æternum, noſtræq́; ſalutis
Tunc plane autorem agnoui, qui ex æthere miſſus,
Purgabit longa preſſas caligine terras,
Quum priſcum ſancto delebit ſanguine crimen.
Sic uates regem optatum oſtendebat, & amnis
Pergebat ſacri mortales tinguere lympha.
Interea patris ſummi mandata faceſſens,
Parte alia ingentem populum felicibus idem

Rex

Rex luſtrabat aquis, diuinaq́; iuſſa docebat.
Id comites Vati referunt, paßim undiq; ad illum
Purgandos lymphis properare ſalubribus omnes.
Ille autem, Haud (inquit) tractat cœleſtia quiſquam,
Ni datur è cœlo. patris iam iuſſa peregi
Hactenus ætherei. iam regi præuius ipſi
Aeterno ueniens, oſtendi ſecula regni
Aurea diuini. puras tum crimina tetra
Pertæſos, docui uenienti aduertere mentes,
Iordanis tinguens unda, quibus eximat ille
Antiquam luſtrans diuino flamine labem.
Vos ipſi audiſtis toties, quum ſæpe rogarent,
Pura ego qui populos luſtrarem fluminis unda,
An rex ille forem, nomen me haud tale mereri
Dixiſſe, indignum qui eius ueſtigia lambam,
Seruatoremq́; illum hominum regemq́; fatentem.
Iamq́; probata omnes læto mea dicta uidetis
Euentu: expectatus adeſt, felicia terris
Tempora, diuiniq́; ferens noua gaudia regni.
Iam me illum iuuat aſpicere, atq; audire loquentem.
Ceu quis quum ſponſo ingenti deuinctus amore,
Tradita ſi cupido fuerit noua nupta marito,
Lætitia exultat, tum cari lætus amici
Succeſſu, tacitus ſub pectore gaudia uerſat.
Haud aliter, quum quæ optaui, noramq́; futura,
Adfuerint, noſtra æquarunt ea gaudia uota.
Inq́; ſuum hunc lætor regnum aduenisſe beatum.

Et

Et iam quod late noſtrum creбreſcere nomen
Cœperat,æternus poſtquam ſe protulit orbi
Rex,minui par eſt,illumq́; ad ſidera tolli,
Qui è cœlo ueniens ægrum mortale ſoucbit,
Eripietq́; genus leto, dirisq́; tenebris.
Ille Deo genitore ſatus,ſuper æthera,ſortem
Humanam excedens,meritis famaq́; feretur:
Interea ætherei nomenq́; atq; inclyta regis
Gloria,per populos ſeſe diffuderat omnes
Iudeæ,& factis clarus,ſignisq́; coruſcus,
Virtutis monumenta dabat mortalibus ille
Clara ſuæ,& ſummo natum ſe patre docebat:
Hæc ubi fama pij uatis peruenit ad aures,
Diuino quanquam perfuſus flamine,noſſet
Eſſe illum æterni ſobolem mentemq́; parentis,
Attamen ut ſacro toties quæ oſtenderat ore,
Ante oculos comitum,dextrasq́; apponeret inter;
Ex illis mittit,qui natum adeantq́; rogentq́;
Aetherei patris,an miſeris mortalibus ipſe
Venerit auxilio,pietas an tanta futuris
Hæc alium maneat ſeclis?miſſi,haud mora,regem
Conueniunt,ſacriq́; ferunt mandata magiſtri.
Rex autem non uerba ferens,cœleſtibus illos
Admonuit ſignis,uati quæ facta referrent.
Continuò uarijs mortalia corpora morbis
Ille leuans,uitam ſub nocte trahentibus atra
Plerisq́; optati præbebat luminis uſum.

s Et

Et confecta lue, & ſanie tabentia membra,
Diuina firmabat ope. oppreſſosq́; nocenti
Dæmone, depellens ueſanam in tartara peſtem
Senſibus & menti quoſdam reddebat ademptis.
Talia rex magnus, felicis conditor æui
Oſtendit, uatiq́; illos quæ aut uiſa referrent
Aut audita docens, diuino hæc edidit ore.
Vos ite, & ſacro reſponſa hæc reddite uati.
Per me fulgorem cœli, qui luce carebant,
Aſpiciunt, nuperq́; obſtructas miſſus ad aures
Iam ſonus accipitur certus. necnon quibus ægra
Torpebant membra, incolumes ueſtigia firmant.
Tum quibus ambeſos elephantia læſerat artus
Squalens, & maculis fœdarat corpora tetris,
Iam mundos triſtisq́; lues, languorq́; reliquit.
Atq; ijs fluxere exactæ quibus ultima uitæ
Tempora, perpetuusq́; urgebat lumina ſomnus,
Ad ſuperas auras reuocati, & ſidera, rurſus
Aethereum cœli lumen ſpirabile captant.
Inſtruimusq́; inopes diuini ad gaudia regni.
Et felix noſtri quem nil offendit, opemq́;
Me indutum, haud dubitat, mortalia membra, tuliſſe,
Et ueram humano generi præſtare ſalutem.
His dictis regem æternum, natumq́; parentis
Se oſtendit ſummi. comites dehinc talia uatis
Edoctos dimittens, admirantibus ore
Rettulit hæc ſancto populis. Quid denſa petiſtis
Viſu-

Viſuri nemora, & ſyluas acceſtis opacas?
Non ibi gaudentem uulgi fallacibus auris
Spectaſtis, motent uolucris quem flamina laudis
Humanæ tumidum, fluuialis arundinis inſtar,
Quam crebris agitant ſtridentes flatibus euri.
Non ibi munditijs captum, faſtuq; ſuperbo,
Quales ardenti ueſtitos murice, diues
Delicijs trahit, atq; ignauo regia luxu.
Aſt illum licuit præſentem cernere, uates
Quem quondam cecinere pij, felicia terris
Præmiſſum antiquæ noctis caligine preſſis
Longum expectatæ oſtenſurum gaudia lucis.
Hic inter uates diuinos maximus, hic eſt,
Qui cunctis longe præſtat mortalibus unus.
Sic decus eximij uatis, laudesq; recenſens,
Rex hunc tollebat, iudexq; ad ſidera ſummus.

LIBER TERTIVS.

INclyta quis tribuit terris emergere uirtus,
Et meritis claros fulgentibus extulit aſtris,
Sæpe quibus pietas inuiſa, & pectora merſos
Criminibus, recti haud unquam reuerentia flexit,
Gens hominum ueſana, odijs exercuit atris,
Innocuosq; auſa eſt crudeli perdere leto.

Sic uatum, ſera qui nocte iacentibus ægris
Prædixere nouæ lucis mortalibus ortum,
Aeterni regis felicia ſecla canentes,
Inſontem pleriq; animam effudere, pijſq;
Pro meritis diro ſoluerunt funere pœnas.
Sic manus, agnorunt terris qui optata ferentem
Gaudia, cœlicolum regem, crudelia paſſi
Supplicia, immiti tela impia morte tulerunt.
Ipſe etiam ætherei ſoboles patris unica, cœlo
Deueniens, ſceleris contagem abolere uetuſti
Humano generi, & miſeris afferre ſalutem,
Præclaram rurſus uenturam ad lumina uitæ,
Et ſemper uicturam animam, per uulnera dira
Occumbens leto, mortali è corpore ſoluit.
Necnon & uates, ſurgentis maximus ortum
Qui tantæ oſtendit lucis uitalibus auris,
Ante diem indigna conceſſit morte peremptus.
Ille quidem attonitum ſuadebat crimina uulgus
Linquere, & æternum præſentem agnoſcere regem:
Et iam fama uiri late diffuſa, tyranni
Seſe in Idumei uolitans inuexerat aulam,
Herodis, qui ſceptra patris, partemq; tenebat
Diuitis imperij, patrij quoq; nominis hæres.
Is uatem eximium obſeruans diuina canentem,
Præbebat ſanctis cupidas ſermonibus aures.
Ille autem impuros mores, infandaq; dictis
Acribus haud timide damnabat crimina regis.

Namq;

Namq; is fraternos thalamos uiolare, thoriq;
Iura, fidemq; auſus uetiti, peruerterat omne
Fas, & cognato inceſtus gaudebat amore.
Huic natu inferior, regnoq; opibusq; Philippus
Frater erat, ſociata malis cui perfida coniux
Ominibus, ſed forma omnes præſtantior una
Ante alias fuerat, thalami quæ uincla iugalis
Soluere nil uerita, & ſanctum temerare pudorem
Fœdere connubij ſpreto, ſocioq; cubili,
Hæſerat Herodi, raptaq; potitus adulter
Hanc iuſtæ intulerat tectis regalibus inſtar
Coniugis, atq; impune palàm ſceleratus habebat.
Ergo concubitu uates decedere turpi,
Et conſanguineo regem ſuadebat amori
Parcere, nec ſcelerum ulterius contemnere magnum
Vltorem, ſummiq; laceſſere uindicis iram.
Ille pijs mentem paulatim aduertere dictis
Cœperat, & ſceleris potuit iam linquere morem,
Ni facilem illecebræ cæpiſſent turpis amicæ,
Pauiſſentq; acrem molli ſub corde furorem.
Illa animum recto facile auertebat, & ægro
Pellebat regis monitus è pectore ſanctos.
Quin metuens, dictis dum uates urget amaris
Hunc toties, mentis ne quando extingueret æſtum
Inſanæ, & cæci furias ſedaret amantis,
Sæpe preces lachrymis miſcens, his forte tyrannum
Vocibus aggreſſa eſt. Rapient ergo irrita uenti,

Quæ dederas nobis toties promiſſa, ferentq́;
Spes etiam noſtras rapidi, nec te ulla tenebit,
Ah durum, extincti te propter cura pudoris,
Ignoti ſi uerba uiri te triſtia flectent,
Et poterunt pactas iamdudum ſoluere tedas.
Ten' illi præbere aures? & lædere famam
Auſum Herodiadis *pacato cernere uultu?*
Et ſecurus adhuc uiuit ferus ille, tuoq́;
Hoſpicio fruitur liber, pœnæq́; uagatur
Ante oculos expers. quæ ſunt mea crimina tanti?
Scilicet hic thalamis miſeram, pactoq́; cubili
Extorrem aſpiciet uictor, quemq́; ipſa reliqui,
Incenſum infandis odijs, & coniugis ira
Ereptæ, in ſedes reuehar captiua Philippi.
Nec me tam læti terret crudelis imago,
Quàm paueo ut uiuens te ſim caritura, proculúe
Te, gelidos cedens hic linquat ſpiritus artus.
O utinam noſtris hæſiſſet flamma medullis
Parcius: heu meritam, quæ nunc male perdit amãtem,
Aut tua non leuior præcordia carperet ignis.
Non penitus noſtro inſediſſet pectore uulnus.
Nec quod tam facilis fuerim, nunc perdita pœnas
Has luerem, tanto infelix confecta dolore.
Hæc promiſſa fides? pro ſimplicitate reponis
Hoc noſtra? ut uerear dictis auertat iniquis
Ne tibi me quiſquam, & noſtro ſeiungat amore,
Hæc de te merui? nobis hæc præmia tandem

Reddis

Reddis? Si mecum ſtabili te fœdere iungi
Non animus fuerat, nec te data dextra tenebit,
Quid primo abductam thalamo, caſtoq; cubili,
Pollicitis fraudas, & ſpe me paſcis inani,
Immemor, ac ſæui miſeram formidine leti
Concuſſam, tanto curarum turbine iactas?
Certe ego te famæ ante tuli, ſanctoq; pudori,
Et noſtrum pro te fœdaui crimine nomen.
Quod te per noſtri, ſupereſt tibi ſi quid amoris,
Id decus obteſtor, quondam quo grata putabar
Ipſa tibi, falſa eſt huius ni gloria formæ,
Hinc procul expellas, merita uel morte peremptum
Hunc mulctes, tanto inſontem qui auertere amanti
Me ſtudet, immiti peream ne uicta dolore.
Aut huius tibi ſi tantum ſunt effera cordi
Iuſſa, nec hos duras quæſtus demittis in aures,
Confoſſamq; feres me hoſtili occumbere ferro,
His manibus (figit regis ſimul oſcula dextræ)
Me perime, & noſtro ſumas tu ſanguine pœnas.
Sic ego ſi morior, lucem haud inuita relinquam.
His dictis ſeſe in mollis demiſit amantis
Mœſta ſinum, largis perfundens fletibus ora.
Heu ſemper miſeris mortalia dedita curis,
Quàm facile à recti declinant pectora cultu,
Quum furor inſanus, cæciq; Cupidinis ignes
Per uenas ſerpunt imas, atq; oſſibus hærent.
Ardua nec ratio obſiſtit, nec cernitur ægris,

Turpia quàm pereant fœdi mox gaudia luxus.
Quem pius æterni ſuccenſus flaminis igne,
Non ſcelere infando uates auertit: iniquis
Irarum ſtimulis, furijsq; immanibus acta,
His mala non tantum pellexit fœmina dictis,
Verum odijs ſanctum in uatem crudelibus illum
Accendit, uario miſcens præcordia motu.
Continuo regis labuntur pectore, ſummi
Dicta uiri. mentem ſubeunt monumenta nefandæ
Coniugis. hæc oculis iandudum ac ſenſibus imis
Hæret, & infirmum diro peruertit amore.
Hæc eadem benefacta abolet, diuinaq; uatis
Præcepta, atq; ægro nutrit ſub corde furorem.
Ergo rex animum ſceleratæ explere, piumq;
Iam cuperet uatem crudeli abſumere leto.
Sed decus inſignis uitæ, memorandaq; facta
Illius obſtabat. nec quo defendat iniquam
Cædem habet, ſceleri aut capiat quæ exordia tanto.
Attamen abſiſtit prorſus non talibus auſis,
Nec melior captum mutat ſententia mente.
Namq; pius turpi uates dum auertere pergit
Hunc ſcelere, & crimen ueſani damnat amoris,
(Prò recti ueriq; comes quàm ſemper iniquus
Eſt liuor, carpi refugit quàm cæca cupido.)
Incidit in furias ſæui inſidiasq; tyranni.
Ille etenim fœdæ ex oculis hunc iuſſit amicæ
Auferri, & fontem ueluti, quæ proxima uiſa eſt
Tunc

Tunc ſibi pœna neci, claudi illum carcere, quo non
Teſte Deo, melior fuerat, nec iuſtior alter.
Is tamen æquo animo ſtolidi crudelia regis
Iuſſa ferens, miſeros quantum non clauſtra uetabant
Impia, mortales optato aduertere regi
Pergebat ſummo, diuinaq́; iuſſa docere,
Et morem infandum Herodis, miſerandaq́; gentis
Humanæ, ſanctis inceſſere crimina dictis.
At rex non ullis præbebat uocibus aures,
Demens, qui è prauo totus pendebat amicæ
Arbitrio. hæc cæcam turpis quocunq; libido
Traxerat, haud duris miſerum flectebat habenis.
Nec minus eximium uatem crudelibus urgens
Illa odijs, acres inq́; hunc mouiſſe tyranni
Non contenta iras, illum quo perdere poſſet
Exitio, & grauibus tandem ſe exoluere curis,
Quærebat, totam intendens huc anxia mentem.
Inuenitq́; uiam ſceleri male ſana, modumq́;,
Pectoris ingentem qua ſæui extingueret æſtum,
Et letum, ah facinus, uati properaret acerbum.
   Forte dies aderat, feſtum de more quotannis,
Quod ſibi natalis fuerat, quem lætus opimis
Rex epulis, atq; ingenti celebrabat honore.
Hoc iuuenum primi, & forma cultuq; puellæ
Inſignes, aula admiſſi, dapibusq́; beatis,
Læta frequentabant hilari conuiuia plauſu.
Ergo conueniunt, felix quibus illa futura

Fœmineos celebrare choros, cœtusq́; uiriles.
Illam quo poterat ſtudio comebat, & artem
Natiuo addebat decori. Fulgentia fuco
Ora linit nitido, criſpumq́; madentibus aurum
Vnguento, inq́; aurum nodatis crinibus implet.
Tum grauibus teneras aures & pectora gemmis,
Baccatoq́; onerat candentia colla monili.
Contextam hinc auro ueſtem, baccisq́; coruſcam
Induit inſertis, uiuis diſtincta figuris,
Quam ducto argento decorabant aſpera ſigna.
Sic teneræ genitrix natæ male cauta pudori
Inſidians, geſtu quo ſe componat, & orbes
Quos agat, & quali ducat ueſtigia motu,
Haud ignara docet. tum mollis gramine coſti
Conſperſam, & totam fragranti rore madentem,
Sic iubet inſtructam ſe ſiſtere regis ad ora.

Heu miſerum, fluxæ fallit quas gloria formæ,
Fœmineum genus. anguſtæ fugientia uitæ
Tempora, quid uultus pingendo abſumitis, ipſe
Quos opifex ſummus naturæ abſoluit, & addi
Poſſe opus ad tantum mortali creditis arte?
Non ueram augebit ſpeciem, nec detrahet oris
Informis uitium, effœti non auferet æui,
Criſpantisq́; genas mendax ueſtigia fucus.
Quin tenera ante diem rugis deformibus ora
Lædet, & inſtantis properabit damna ſenectæ.

Ergo incedebat genitricis filia prauæ

Arti

Artibus edocta, ornatu ſpectanda ſuperbo.
Cuncti illam aſpiciunt cupide, & mirantur euntem,
Vt faſtu uultus obducat parua tumenti,
Præferat ut tenera maturum fronte decorem.
Iamq; aulam ſubit, atq; hilarem introgreſſa tyrannũ,
Conuiuasq; adit. hos blanda tum uoce ſalutans,
Accipitur placide, & largo cumulatur honore.
Vt uero expleti dapibus, menſisq; ſonorus
Impoſuit finem plauſus, rex plena remotis
Gaudia ne deeſſent epulis, haud inſcius artis,
Et placidi luſus comptæ, mollisq; puellæ,
Compoſitos iubet & uarios hanc ducere motus.
Illa autem parens dicto haud inuita tyranni,
Cœpit certa uago ueſtigia ponere greſſu.
Iamq; hos abſoluit, iamq; illos diuidit orbes,
Fulgentisq; ſoli pedibus nunc leuia pulſat
Marmora, pernices certo nunc ordine plantas
Suſpendit, rectoq; agilis ſe corpore motat:
In numerumq; pedes agitans, procedit eodem
Inceſſu, uarijs mox cedit ſaltibus, amplos
Aut gyros agit, anguſto aut ſe colligit orbe.
Nec mora tam uarie ſeſe tenet ulla mouentem.
Ceu ſpeculum uerſat quum quiſquam leue, micantis
Percuſſum ſolis radijs, iam mobile tecti
Summa ferit lumen, uacuas iam uerberat auras:
Quaq; refulgentis faciem hic inflexerit orbis,
Omnia percurrens, uarijs loca flexibus ambit.

Tali agiles greſſus motu non ſegnior illa
Componens, tremulis ſeſe artubus inflectebat.
Quæ poſtquam longo ſpectantum lumina luſu
Detinuit, plauſu excipitur, feſſamq; frequentes
Exornant laude ingenti. tum ad ſidera regem
Tollunt, dignatis cœnæ genialis honore
Gaudia qui expleuit ſpectaclo ingentia tanto.
Aſt illam Herodes blando placidiſſimus ore
Aſpiciens, Partus ecquæ, inquit, præmia tanti
Digna feres genitrix, quæ luſus nata decori?
Quare age quæ cupies dulcis pete cunq; puella,
Cuncta feres. neq; erunt promiſſa hæc irrita, noſtrum
Per caput, & ſummi iuro, cui maxima regni eſt
Cura huius, ſuperum patris inuiolabile numen.
Sic ait, & pariter cunctantem hortatur, & addit,
Quæ petat. illa nihil, ſed matrem conſulit anceps,
Quid magis exoptet. ſubito quæ accenſa furore,
Accipienſq; animo tempus ſcelerata, modumq;,
Quo ſæui ultrices ſatiaret pectoris iras,
Hæc ſecum. Noſtro finis non ulla dolori
Nec requies erit, & uitam inter ſpemq;, metumq;,
Aegra traham dubiam ſemper, noſtriſq;, ferocem
Ille animum, lachrymis paſcet, miſeramq; iubebit
Ante diem extingui crudeli funere, terris
Quem proferre piæ cœleſtia commoda pacis,
Aeterniq; aiunt felicia tempora regis.
Nec pœnas hic morte luet: ſed uindicis ira

Me uetat, & timidam terrent odia aſpera uulgi.
Ergo ſic uiuam potius? ſed linquere mortes
Per mille id uitam eſt. inuictum flectere regis
Pellæi una animum potuit nec ſobria pellex,
Vnde eſt in triſtem ſubito prolapſa ruinam
Perſepolis, regni memorabile nomen Eoi.
Ipſa ego non Thais, tellus abſorbeat ima
Me prius, Herodis coniunx, explere merentis
Vnius exitio, grauibusq́; exoluere curis
Non animum potero? muſſet mutabile uulgus,
Inq́; unam exerent omnes rabida ora. quid ultra
Tum metuam? dicar nimium indulſiſſe furori.
Eſto. atrox fuerit, ſed non reparabile crimen.
Multa grauis carpit liuor patranda, feruntur
Facta eadem, ac ſæpe hæc tribuit plebs improba laudi.
Tales illa truci uoluens ſub pectore queſtus,
Eheu quo turbor gemitu, nunc faucibus ægra
Hæret, & hæc fari linquit uox ægra parantem.
Tempus, ait, noſtrum quo ulciſcar nata dolorem
Aduenit tandem. Caput à ceruice reciſum
In pete Ioannis regem, quadraq́; ferendum.
Sint auſis noſtrum fœdare hæc præmia nomen.
O ſæuam, ô tetram, rabies quò te impulit atra,
Quó ue nocens liuor? nimirum hoc dira ueneno
Te armauit ſexus labes, mortalibus una
Omnibus exitium quo lamentabile ferres
Cæde pij uatis. Humanæ ô maxima gentis

Pernicies, ſemperq́; infauſtum fœmina nomen.
Parcite uos, mite ingenium, uitæq́; pudicæ
Quas decus exornant. ueſtram nunc lædere famam
Nam mihi non animo eſt, illas ſed carpere diris
Commaculant ueſtrum turpi quæ crimine ſexum.
Id genus infelix peperit tam multa malorum
Semina, & irarum cauſas, belliq́; furores,
Exitio q́; dedit magnas cum ciuibus urbes.
Dumq́; graues ſatient inſani pectoris æſtus,
Nil mentis cernunt inopes, nil uindicis iram
Aeterni metuunt, comitantem aut crimina pœnam.
O miseræ, quæ tanta animos uecordia ueſtros
Sollicitat? uobis quid non agnoſcitis ortum
E cœlo duci? ritu quin prona ferarum
Corpora geſtantes, ſenſus affectibus acres
Subditis ignauis, & fœdis pectora curis,
Dum tetri furijs, turpiq́; Cupidinis æſtu
Incenſæ, finem ueſanæ ponitis iræ
Haud ullum, ni ſe explerit furioſa libido.
Hinc ortum, ô ſemper damnandæ, prælia ſumunt,
Hinc hominum cædes, properataq́; funera. nec uos
Vlla arcet pietas, miſeris quin dira cadentum
Exemplis ueſtras oblectent funera mentes.
Nec tamen infandis auſis, ſæuoq́; potita
Euenta ſatiata animi eſt ſcelerata uoluptas.
Sed diuerſus amor, rerum ſtudiumq́; nouarum
Semper habet, cupidasq́; urgent immania uota.

Dumq́;

Dumq; uno non quæque uiro contenta, nec uno eſt
Connubio, cupiuntq; nouos explere furores,
Externos aliæ ad thalamos, uetitumq; cubile
Aſpirant: humanæ alias non gratia formæ
Allicit, at mentis rabiemq; æſtumq;, nefandi
Concubitus, ardent quouis reſtinguere more.
Vſq; adeò totas ardor rationis egentes
Cæcus habet, turpiq; animos caligine fœdat.
Has quoque uaſtus amor quo non impellit habendi?
Quoúe fames fului nunquam ſatiabilis auri?
Semper opes inhiant miſeræ, nullumq; parandis
Finem adhibent, auidiq; ſitim dum pectoris explent,
Fas omne inuertunt, nec ſanctæ abrumpere parcunt
Frena pudicitiæ, precioq; exponere famam.
Totq; actas ſcelerum furijs, formisq; malorum
Oppreſſas, formæ paucas quum gratia tollat,
Vnus amor ſtimulat cunctas, atq; una cupido
Semper habet, nitido ut placeant ſpectantibus ore,
Sicq; hominum mentes, ſtupefactaq; pectora ducant.
Nec ſtolidæ inſpiciunt, ſi uultus nulla decori
Se ſpecies ornet, quantum deformibus ora
Auertant cuncti. at mirum integrumq; potentis
Naturæ conantur opus mutare doloſis
Artibus, & fuco uultus abſcondere ueras
Obſcœni maculas, falſamq; inducere formam.
Hoc tantum eſt illis ſtudium, atq; hic luditur omne
Tempus, & utilior pars non reparabilis æui

Iam

Iam uos, ô nimium uideor progreſſus, & iræ
Indulgens, uitæ decorant quas optima facta,
In ueſtrum his nomen mouiſſe odia aſpera dictis.
Sed laudi id cedet uobis, atq; inclyta uirtus
Sic ueſtra, & uitæ meriti noſcentur honores.
Obſcuras inter tenebras, ſic candida fulget
Luna magis, nigraq́; orbes ſic nocte coruſci.
Veſtrarumq; decus, longumq́; exempla per æuum
Virtutum memoranda, atras abſtergere ſordes,
Et labem poterunt ſexus, quem moribus illæ
Fœdarunt tetris, ueſtrumq́; extollere nomen.
Illa igitur furijs auſa eſt crudelibus acta
Tam dirum patrare nefas, & peſſima gentis
Fœmineæ, ignaui mercedem poſcere luſus,
Illius ex humeris uulſum caput, optimus inter
Qui fuerat cunctos æterni iudicis ore
Mortales dictus, ueriq́; orientia ſolis
Lumina, qui oſtendit ſub nocte gementibus atra.
Ergo abijt parens genitricis filia dicto,
Et donum ſupplex regem miſerabile poſcit.
Indoluit dubia turbatus mente tyrannus.
Promiſſiq; leuem incauti iam pœnitet, & iam
Pollicitis cuperet, ſerò, diſcedere prudens.
Atq; hinc ancipitem ſancti reuerentia uatis,
Si ſcelus admittat, uulgiq́; mouenda tenebant
Corda, fides illinc ſancte promiſſa puellæ,
Et timor urgebant, faciat ſi dira petenti

Quum genus ille luto noſtrum, terraq; parente
Finxerit è putri, meritis quid cedere ueſtri
Imperij decora, & titulos & regna putatis?
Nec curæ eſt uobis, quum incauto emittitur ore,
Si ferat exitium, dictum mortalibus atrox.
Verſate ô multum uigili ſub pectore, quantum
Vox queat imprudens humanam lædere gentem:
Quæ fuerint, memores, Herodem digna ſequuta
Supplicia, & quales turpi cum coniuge pœnas
Promiſſi infandi, ſceleriſq; expenderit atri.
Ille quidem imperio eiectus, regnoq; beato,
Et patriæ infelix dilectæ finibus exul,
Pauperiem, inuiſus cunctis, triſtemq; coactus
Ferre famem, & uili comitis ſedare nefandæ
Eſuriem uictu eſt. tandemq; cadentibus ambo
Corporibus, miſero liquerunt funere uitam.
Et nunc perpetuæ obducti caligine noctis,
Et barathri informis merſi infelicibus umbris,
Vrgentur grauibus pœnis, nec cernere uerum
Lumen, nec ſemper miſeris, ſperare licebit
Supplicijs ullo ceſſandum tempore diris.
Sæua igitur uecors ſtatuens promiſſa tyrannus
Implere, immanemq; animum ſatiare pudendæ
Coniugis, & recti hanc propter decedere meta,
Dirum, horrendum, crudele, ingens imperat auſum
Abſolui, atq; atrum, poſita pietate, miniſtrum
Criminis infandi, tam ſancti ſanguine uatis,

Ah ſcelus, inſonti, crudeles ſumere pœnas.
Iam laudum immenſo uates diuine tuarum,
Expaciata mari, tenuis ſubit oſtia puppis
Optata, & poſitis laxantur carbaſa uentis.
Iam penitus ſacræ fixi ueſtigia ſyluæ,
Intacta referens lectos ex arbore ramos.
Felix quum tali præcingi tempora fronde,
Et merear tantæ decerpere laudis honorem,
Hæc ſi digna pijs habeantur carmina cœptis.
Atq; tuos ortus, ſanctæq; inſignia uitæ
Facta tuæ, digno extulimus ſi ad ſidera cantu.
Deflemusq; piè facinus crudele tyranni,
Qui ſæuo ante diem rapuit te funere terris.
O tantum his oculis largus ne triſtibus humor
Deſit, & hæc tales comitentur carmina fletus,
Mœſta tui comites ſparſerunt qualibus ora,
Quum caput ex humeris diſco ſcelerata reuulſum
Nata ſacrum referens, diræ lachrymabile matri
Offerret donum, triſtesq; cruenta uiderent
Spectaclo immanem ſatiantem lumina tali.
Et ſtratum tellure tuum miſerabile corpus,
Quo duce deſerti, heu pietas, qualiue magiſtro,
Exciperent ſublime humeris, tumuloq; referrent.
Tam dignis cuperem lachrymis hæc maxime uatum
Funera, & hoc diram queſtu deducere cædem:
Ni tua dura pijs patribus mors læta tuliſſet
Gaudia, ſub noctis feræ tabentibus umbra.

Quandoquidem ſuperis poſt uitæ incommoda ab oris
Excedens, ſine luce domos cæcasq́; ſubiſti
Quas animæ innocuæ ſedes, & ſancta colebant
Agmina, cœleſtem terris noua ſecla ferentem
Regem expectantum, cui nuper præuius ægris
Hunc miſſum è cœlo poſtquam mortalibus ipſe
Detuleras, uita functum, felicibus umbris,
Antiqua impulerat primi quas noxa parentis
Triſtibus in tenebris, tam longam ducere noctem,
Par fuerat tantæ te oſtendere gaudia lucis:
   Sed quis pacata, Herodis crudelia, mente
Iuſſa feri, & factum renouet lachrymabile ſemper?
Impie rex, illum potuiſti funere diro
Mergere, qui è duri miſeros caligine leti
Extulit ad ueræ mortales lumina uitæ.
Quiq́; ſacris toties mulcens tua pectora dictis,
Obſcœni docuit ſceleris te linquere morem
Infandum, ac merita ſceleratum morte premendum
Eripere, & ſtuduit perituro afferre ſalutem.
Illum per nemora, in luſtrisq́; horrentibus æuum
Degentem, mutum genus, atq; immite animantum
Liquit inoffenſum. ſemperq́; per alta uagantem
Auia, & in ſolo carpentem gramine ſomnos,
Securum, haud unquam læſit uis ſæua ferarum.
At tibi ſæuitia ô rabidos truculente leones,
Et tigres ſuperans, dirisq́; immanior hydris,
Nulla fuit pietas, flexit clementia pectus

Nulla tuum immite, ut tanti miſereſcere uatis,
Et ſcelere hoc diram poſſes auertere mentem,
Ille tuo iuſſu large ne ſanguine terram
Perfundens ſacro, letum crudele ſubiret.
Paruit ergo atrox dicto, crimenq́; miniſter
Horrendum accelerans, ubi regis iuſſa nefandi
Haud fracto uates animo, mitisq́; ferebat,
Clauſtra adijt, ſtrictumq́; attollens impius enſem
Letiferum, toto pendentis pectore cœlo,
Ah facinus, ſanctum ex humeris caput abſtulit. ille
Concidit exanimis, iacuitq́; in carcere truncus.

FINIS.

IAN. VIT. AMICIS.

Egidi, Cibo, Saluiate, Rango,
Auguſtine Triuulte, *Cardinales,*
Noſtri carminis ô boni patroni,
Ad uos ingenuum uocate Bembum,
Et magnum quoq; Saddoleton, illos
Ocellos geminos ſacræ poëſis,
Afferte & ſimul hunc nouum libellum
Summo Pontifici, *optimo* Leoni.
Et tandem (mea ſeruitus apud uos
Si quicquam meruit benignitatis)
Orate ut faueat ſuo poëtæ,
Addens munera laudibus trecentis,
Nam præconia principum eſſe debent
Claræ munera liberalitatis.

IANI VITALIS PANHORMITANI CIVIS ROMANI IN DIVINAM TRINITATEM AD Leonem Pont. Max.

Hymnus Primus.

ARdorem hunc animis patiar
Leo maxime, qui me
Vrgeat, & totum irrumpens
per pectus oberret?
Nam mihi neſcio, quis diuûm
ſtupefacta ſagittis
Corda tribus fixit ictu uno, omneſq́; medullas
Pertentauit, & in dulci me uulnere liquit
Audentem magna orſa tibi, abſtruſasq́; figuras.
Quin potius rerum fontes aperite ſacrarum
Vos animi ætherei cœli omnipotentis alumni,
Vnde ego uentoſi procul omni à murmure uulgi
Primus olympiacam referam tibi Roma coronam.
Quam tibi magne Leo Capitolij in poſtibus aureis
Affigam, tituloſq́;, & grandia nomina ducam
Aëra per, & tabulas, & fortia Romanorum
Magnorum monumenta inter laus noſtra uigebit
Et procul à noſtris fugiet mors atra ſepulchris.

Sed tamen ecce oculis noſtris ſe obducit imago
Rerum æternarum, cui nullum corpus in uno
Eſt triplici, uirtus eadem triplici ordine manat
Ex tribus, & nullo diſcreta eſt altera de ſe,
Aut ex alterius confinibus, interuallo,
Sed tamen alterius medium tenet altera, & ipſa
In medio alterius propria uirtute tenetur,
E quibus, alterius (dictu mirabile) uirtus
Afflatur, quæ cuncta amplis amplectitur ulnis,
Diuinum inſpirans calefacta per oſſa calorem,
Inſinuatq́; ultro diuinis mentibus ardens,
Artubus, & tamen eſt eadem, non legibus unis,
Non forma, ingenio, non re, non munere par eſt,
Et tamen ingenio, forma, re, & munere eodem
Conueniunt, eadem ſtudijs ſunt munera eiſdem
Omnibus, in ſolo rerum diſcreta potentum
Numine. ſed quo'nam tanto te nomine dicam?
Omnia cui nil ſunt, cui nil eſt quicquid ubiq; eſt?
Tu non materies rerum formata creatarum,
Aut factarum aliqua es, non indigeſta uorago,
Humentes nebulas, humentemq́; aëris orbem
Abſorbens, nihil es terrarum, aut ætheris alti
Non elementorum miſtis res addita rebus.
Te nõ forma aliqua, aut numerorum maximus ordo,
Non mentes capiunt humanæ, omniſq́; propago
Senſibus ætherijs nata, & radiantibus aſtris,
Dum procul à tenebris, humano & carcere euntes
Ad

Ad diuinam arcem, propria in ſtatione nitorem
Sufficiunt, cœliq; domos, & templa frequentes
Luminibus decorant, magnum dehinc corpus in unũ
Coueniunt, formantq; animantia lumina Solis.
Te nullæ nouere animæ terræq;, poliq;,
Nullæ acies, non ulla dies, nec noſtra capit mens,
Quem res nulla capit, nullæ terræq;, poliq;:
Verum in ſeipſa manet ſola diuina tui mens,
Mens opibus contenta ſuis, atq; omnipotens mens,
Mens immenſa omni diuinior ordine mentis.
Tu curru in magno imperitans rex omniũ, et author
Diuinorum operum ueheris, niueosq; iugales
Ad frena illa indis adamantibus aſpera magnus
Deligis. & loca cuncta implet tua uis, tua. forma
Ergo alios taceant currus mirata priorum
Secula, non croceas bigas, croceosq; rotarum
Mirentur radios, crocei aut iuga ſqualida currus,
Nec caligantes furuo temone quadrigas,
Audaces ubi toruus eques moderatur habenas,
Et properante furore rotarum, per loca fertur
Auia, non audit currus retinacla, nec audit
Vllus equus, præcepsq; auido fert omnia lapſu.
Tu uero in curru niueo, Natusq;, Paterq;,
Spiritus, & lento curſu per ſingula ferris
Innocuus, magnisq; rotis admiſta elementa
Inſeruire iubes: unde hæc mortalia facta,
Humanæq; decus capiunt penetralia mentis,

Vos igitur uatumq́; animos, mentemq́; animoſam
Ignibus ætherijs, & lumine paſcitis almo,
Vos ſecreta Dei populosq́;, urbesq́; docetis
Egregias, Dum ſol in ſidera uerſicolores
Conuertit radios, & non ſua corpora uita
Inſtaurat, monſtrate uiam qua nubila rumpam
Circumfuſa oculis, & luce micante decorus
Magna canam ſacris longum admiranda Camænis.
Principio Deus ille, prior natura, ſibi ipſi
In ſe ter diuinus erat, ter ſanctus, & à ſe
Ipſe Pater uerus, uera illa immenſa propago
Vnde eadem uirtus, eadem res omnium in unum
Conflatur commiſta alijs, pura aura, calórque
Purior ætherius. quem multi uana canentes
Dixerunt ſolem admirandum ignesq́; polorum
Sidereos. elementa alij, quibus omnia fiant
Naturæ monumenta humanis debita rebus.
Aſt alij immortale Chaos, horrendaq́; monſtra
Excoluere. modis uarijs mentita uetuſtas
Omnia confudere, Deum nihil eſſe, uel eſſe
Materiam ingentem aut ingentia materiai
Membra renaſcentis ſibimet, ſine numine diuûm
Et ſine naturæ dicentes arte, modóque,
Sed mundū æternū, ingenitum, unde hæc omnia fiant
Sæpe renaſcentem, & de ſe in ſe cuncta nouantem.
Atque alium ante iſtum maiores congeſſiſſe
Artifices, dixere, deos, & maxima fata

Materia ex prima, perfecti corporis inſtar,
O mens cæca hominum, obtuſis quæ in nubibus errans
Semper humum, humanosq; actus, de more ferarum
Contemplatur, & à uera ratione remota
Nil dignum putat eſſe deum, nil deniq; magnum.
At non mundum alium fata ulla, aut ulla poteſt res
Finxiſſe ante iſtum, qui nos tenet, & tenet omnes
Humanas formas, cuius ex partibus ullis
Iſtius ornaret creſcentia mœnia mundi.
Verum aliquando nihil totus fuit orbis, & in ſe
Ipſe Deus totus, tota illa immenſa uigebat
Vis patris æterni. uerum quia prouida gaudet
Natura ex ſemet fieri cuncta optima, prima
Ex ſeipſa inſtruxit formoſi ingentia mundi
Fundamenta, ligans rebus ſuper omnibus omnia,
Omnia quandoquidem in ſeipſa conceperat alma
Mens patris, & nihil eſt quod non conceperit in ſe
Et pater, & ternus, & perfectiſſimus idem,
Tres uno in toto, & totis idem in tribus unus,
Non tamen hæc tria ceu tria, uerum ceu tria in uno
E tribus acciperem, quando conſtare duobus
Diuerſis, aut ſeiunctis quit tempore nullo
Res ſacra. nonne uides fieri tribus omnia? & omnia
In tria perfecta certa ratione reuerti?
Semper enim is numerus diuina per omnia fertur,
Atq; idem it per ſe, & redit in ſe, & ſemper eiſdem
Aequatus formis, rerum rex, ſemen, origo,

It per cuncta eadem, cauſa altior incrementi,
Et menſura eadem, pars undiq; & undiq; totum.
Principio qui'nam Deus eſt, monſtratur ab illo.
Deinde creatarum rerum primordua amica,
Hinc formæ unanimes coëunt, atq; omnia noſtris
Quæ ſunt in terris, quæ ſunt in mente deorum,
Quæq́; in naturis rerum formantur, & hærent.
Nulla ergo ratione Deus conſtare duobus,
Aut uis illa poteſt diuinæ mentis, abunde
Omnia terna uno formantur in ordine rerum,
Naſcuntur, uiuunt, moriuntur & omnia ab una
Mente Dei, de qua Natus, Natiq; Patriſq;
Spiritus inſpirat, inſpiraturq́; fluendo.
Non tamen inſpirat Natoq́;, Patriq́;, ſed inde
Inſpiratur, & in nobis terno ordine manat
A Patre, à Nato, à ſeipſo, dehinc ordine terno
Ad Patrem, ad Natum, ad ſeipſum protenditur uſq;,
Et Nato & Patri ſimilis, formaq́;, animoq́;,
Aſpectuq́;, ſed haud oculis ſpectarier ullis
Tot bona in ipſa illa propria re, & lumine in ipſo,
Comprehendi ue poteſt, quoniam nullo ordine noſtræ
Diuina eſt ſimilis menti mens. namq; Dei mens
Omnibus imperitat rebus, famulasq; laboris
Diuini aſciſcit noſtras perfecta, nec ullum
Imperfectum, aliquod perfectum fecerit unquam
Eſſe diu, quoniam per ſe ruit, et ſine uero
Imperio, dominis ſeruit maioribus. ergo

Etri-

E tribus illa Dei conſtat uis maxima rebus.
Et quoniam magni nos pars ſumus una Tonantis,
Nam diuina anima regimur, tria munera ab illa
Sentimus, ratione, ira, & quæ uelle cupimus.
Sic immortali ſeruamur ubique per aſtra
Natura, illa etenim noſtros monſtrantia caſus
Omnipotens poſuit, neq; enim uis omnis ab illis
Noſtra uenit, quoniam qui per ſe cuncta gubernat
Ipſe Pater diuûm eſt ſua res, ſua forma, modusq;
Perpetuus, ſua progenies, ſua uita, & imago
Vera Dei, Deus ipſe ſibi, ſimilisq; ſibi ipſi
Aeternus, ſine principio, ſine fine, ſine ulla
Materia immenſus, ſine corpore, cui eadem unis
Numina numinibus uirtute reguntur eadem.
Prodigus ille boni, pius omnipotentis & inſtar
Omnipotens, uacuus rerum, ſine corpore complens
Non loca non tempus, tamen undiq; tota uagatur
Vis immenſa Dei, ſimilisq; immobili inhæret,
Vndiq; circumfuſa infunditur, undiq; fertur.
Quinetiam Deus ipſe ſui pars maxima, partes
Admittit nullas, ſceptrum immortale gubernans
Non comites regno aſſcribit, nullosq; tribunos
Deligit. ipſe autem rerum fabricator, & author
Ipſe idem rex, & princeps regit omnia nutu
Terrifico. & nihil eſt, quo non mens illa uagetur,
Per cœlum, terramq;, & cærula per uaga ponti,
Per cœliq; orbes uarios, per ſidera magna.

Ipſum autem Sol ætherius ſplendentibus anteit
Suffultus radijs, & lumine circumfuſus,
Stellifero, numenq́; Dei uenientis adorat
Aureus, & uitas in terras conſerit omnes,
Et mortale genus primæua à ſtirpe propagat.
Et quæcunq; uidemus habentia ſemina uitæ
Multiplicis, uiridesq́; animas, animasq́; ferarum
Atq; hominum, Deus ipſe ſuis dat habere miniſtris
Vim propriam, et rerum à ſeipſo nil deperit unquàm.
Hinc omnes rerum uires, hinc omnia quæ ſunt
Fœtas in terras cœlo labuntur ab alto,
E gremio Patris omnipotentis, tempore in omni,
Atq; omni ſtellarum, & lunæ habituq́;, modoq́;.
Namq; Deo cedunt opera omnia, & omnia facta
Diuina, eq́; illo pendent uiresq́; deorum,
Naturæq́; modus, atq; omnia pectore ab alto
Ad nos uſq; animis non inconſulta feruntur
Aethereijs. neq; enim ignauo langueſcere in ocio
Credibile eſt mundi authorem, rerumq́;, parentem
Aeternum, immenſum, felicem, maximum et amplum,
Qui ſemper mentem magno perculſus amore
Res hominum æquata metitur lance deumq́;,
Mortalesq́; uices, diuinaq́; temperat omnia
Vnus, & omne unum diuinis rebus amicum
Efficit, & proprio diuino munere donat.
Vnde anima una hæret nobis, mens imperat una
Sol unus, luna una, unus mundusq́;, Deusq́;

Cœlum unum, lumenq́; unum, rerum unum elementū,
Vita una, atq; unus formæ modus, unaq́; rei
Materia. & tandem ſi uera ab origine cuncta
Metiri liceat, unum ſunt omnia quæ ſunt,
Effigies diuina Dei non manca, nec aucta
Temporibus, quoniam quo deſinit incipit, unde eſt
Principium ſine principio, ſine finibus ullis
Finis ubiq; idem, atq; eadem undiq; ſemper origo,
Ordo ſui, menſura ſui, ſua ſemper imago.
Deniq; nil aliud præter ſe, ex omnibus unum eſt,
Et quia in uno unum Deus eſt æternus, ab uno
Nil mortale unquam in rebus numeroſus ineſſe
Conſtituit, neq; enim in rebus perit omnibus unquam
Res aliqua, uſq; adeò in nobis diuina poteſt res,
Ipſi homines etiam mutantur, & omnia luſtrant,
Donec naturam uel mentem in rebus amicam
Inueniant, formamq́; ſui, moresq́; habitusq́;
Accipiunt redduntq́; ſimul, uiuuntq́; uiciſſim,
Donec uita illis, donec ſibi uita ſuperſtat
Inſtauranda iterum atq; iterum, quo deleat uſq;
Omne malum, atq; boni ſuccedat gratia, & inde
Nectare diuino, diuino in fonte fruuntur
Diuinorum operum. ſi uero degenerantes
In peius ruerint, mens indignata repoſcit
Omne ſuū, & quicquid ſupereſt lōge arcet ab aſtris,
Illi inde incipiunt humanam amittere formam,
Inq́; immundarum conuerti ſecla ferarum.

Hinc

Hinc ergo ignauæ craſſati in turbine uitæ
Circeis ſtabulantur haris, cœlumq́; uidere
Senſibus obtuſis nequeunt. non noſter in illis
Spiritus ex anima, & mente, & ratione redundat.
Ipſe etiam pater omnipotens, nil corpora curat
Illorum, quoniam diuina mente remota,
Excidit à cœli uitali mente hominum res.
Nec curant ſuperi, quæ cœlum obſcœna Deumq́;
Moribus, & uitæ nequeunt cognoſcere labe.
Nos uerò, uſq; adeo illaqueat uitioſa uoluptas,
Heu nimium laxas uotis damus undiq; habenas,
Nec rerum Patrem ſyncera in luce uidemus,
Ad patriam uitæ patriam, & noſtra aſtra uocare
Nos olim aſtrorum ciues, nunc rerum inimicam
Colluuiem, cœli immemores, terræq́; colonos.
Tu uero Pater omnipotens diuûmq;, hominumq́;
Et rerum Saluete author, Deus unus, & idem
Ternus, perpetuus, magnoq́; in numine magnus.
Tu cum Patre idem, tu Spiritus es Patris idem,
Et Pater in te idem, atq; idem quoq; Spiritus in te,
Et tu Spiritus idem es Nati, idemq; Parentis
Filius idem unus, atq; unus in omnibus omnia.
Quinetiam quæcunq; polo ſunt numina in alto,
Omnia diſſoluenda forent ſuprema ſuapte
Natura cum mundo unà, mundiq́; ruinis
Ni tua uis magno ſuſtentet numine cuncta.
Tu quæ ſunt, fueruntúe, et erũt quotcunq; Deûm rex

In te uno es, de te cuius de lumine largo
Exoritur Sol auricomus, fulgentiaq; aſtra,
Viuendi & moriendi, hominũ, queis tradis habenas,
Atq; hæc, atq; alia immenſus terræq;, poliq;
A te ipſo immittis nobis bona maxima, ut à te
Nuſquam aliquid fugiat rerũ, nuſquam moriatur.
Quandoquidem uiget illa tui uis ampla per omnem
Terramq;, & cœlum, pontiq; per æquora lata,
Quæ ſimulac magni diffuſa per auia mundi eſt;
Cuncta renaſcenti rerum nouitate tuarum
Inſtauras, ad te inde trahis quodam ordine iuncta
Perpetuo, in te ipſum flectantur ut omnia quæ ſunt.
Quod niſi te quocunq; uagatur quicquid ubiq; eſt,
Rebus adhærentem propioribus oblectaret,
Protinus in uanam æternum reſoluta figuram,
Nil, niſi nil, eſſet rerum natura repente.
Quinetiam in rebus diuinis omnibus unum
Eſt decus, è quo animæ tibi ſe coniungere gaudent
Noſtræ animæ, tua progenies, tibi proxima uita,
Quæ de te manant longo, uelut ambroſiæ ros,
Ordine, & in mundum hunc alto labuntur Olympo,
Senſibus è puris, puris cum ſenſibus ortæ.
Vnde hæc creſcentis ingentia mœnia mundi
Semper alis, ſemperq; facis ex urbibus almis
Supremæ cœli regionis, & omnia tecum
Eſſe ſinis, longe ante ullum Deus optime rerum
Principium. Et tandem quicquid mortalibus es tu

Ad-

Admirandum, altum, fugiens ora omnia, & omnes
Humanos ſenſus, ternis in uiribus unum,
Terq́; unum, uireſq́; unæ, tribus omnibus unum,
Accipe tu, quæcunq; audax feruente iuuenta
Concelebro, ueri ueſtigans numina Patris
Dum uagor attonitus, rerumq́; per auia cæca
Deferor, & ſuperos animos paro numine plenus
Scitari. Sed non patitur me carceris huius
Terreni grauis umbra aliquid tentare repoſtum
Aut dignum uirtute tua, Natiq́;, Patriſq́;,
Virtutiſq́; afflatæ amborum, atq; omnibus unis.
O ubi qui me iam magnas ſuper ætheris oras
Siſtat honorata radiorum luce micantem
In medio heroum, formoſorumq́; Deorum
Vera recenſentem uero de numine, ueri
De uera uirtute Dei, Natiq́;, Patriſq́;.
Hæc ego dum canerem flauas prope Tybridis undas
Inter odoratum lauri nemus, annuit ipſe
Ipſe Deus, cœlumq́; alto crepitante fragore
Ter ſonuit, ter ſol totum æthera circumſpexit,
Ter Tybris pater undoſo caput extulit alueo.

IN D. TRINITA. HYM. II.

AEthera per rurſus feror hinc audacibus alis
Magne Leo, terraſq́; imas, camposq́; relinquo

Nam Deus ipſe alto de cœlo illabitur illis,
Qui præſtant alijs diuina mente animabus.
Vnde Dei immortale genus, de ſtirpe deorum
Naſci eſt certa fides, propior qui numine uero
Nil unquam aggreditur, nil unquam perficit ille
Abſq; Deo, abſq; Dei ui magna, & nomine magno.
Vnde Deus ſeſe ipſe Deus quàm maximus ille eſt,
Qualis & ille Deus ſeſe illi ſæpe uidendum
Præbet in eximia uerborum cognitus arte,
Intellectus & omnimodis rationibus, & re
Omnimoda, omnimodis cauſis, formisq́;, modisq́;.
Sed mihi iam toto diffuſum pectore numen,
Infundit diuinam auram, iam me mihi maior
Admiranda cano. uos hunc ſeruate Furorem
Numina magna pium, trepidosq́; per auia greſſus
Planiciem ad latam lucis, camposq́; patentes
Dirigite ad ueri, ne cæcis nubilibus actus,
Ingratum hunc ſubeam nulla cum laude laborem.
Principio ternum atq; unum fateamur, oportet
Eſſe Deum, quoniam Deus eſt in numine eodem
Et Pater, & Natus diuini Patris, & huius
Spiritus, atq; huius, ſimilis Natoq́;, Patriq́;.
Seu Pater, eſt magnum nomen Patris, omnia quando
Ex ſeipſo, in ſeipſum, per ſeipſum donat oriri,
Seruariq; hominum, felicibus efficit oris.
Seu dulcis gaudet felici nomine Nati,
Omnia qui fecit, genuitq́; ex ſeipſe propagans,

Aeternum nobis rerum patefecit amicam
Naturam, & rebus refici res omnibus omnes
Poſſe dedit, ſemper naſcentibus ordine certo.
Si uero illa ſimul Nati natura, Patriſq́;
Vim parit immenſam, tum rebus in omnibus ordo
Omnia perfecta rerum ratione gubernat.
Seminibusq́; eadem produci ſemina eiſdem
Imperat, & ſuetos in fœtus omnia ſolui,
Ne cerafis quercus, cerafus ne glandibus eſſet
Fœcunda, aut rami mirentur creſcere fructus
Inſuetos, Libycos pariat ne cerua leones,
Ne mulier piſces, ne piſces ſecla uirorum,
Neúe elementa ſuis rebus contraria paſſim
Fœtificent, creſcantq́; animantum in corpora uana
Nunc hæc, nunc alia, aut naturæ perditus ordo
Omnia confuſo confundat ſemina mundo.
Ergo hæc ex tribus his naſcuntur commoda nobis
Nominibus Patris, & Nati, atq; utriusq; potenti
Afflatu, quo cuncta uigent genita atq; creata.
Sed quamuis ternumq́; Deum fateamur, & unum,
Ponderibus tamen, & numeris, & finibus ullis
Non conſtat mens illa Dei de ſimplice ſimplex,
Nullo etenim à ſeipſa diſiungitur interuallo.
Nanq; Deus ſine fine immobilis aſtat ubiq;,
Et ſine principijs nunquam, genitusúe, creatusúe,
Aut genitis rebus quicquam hærens, ſiue creatis,
A ſeipſo fines, motus, res mittit, & ortus.

Et

Et tamen eſt unus ſine parte, aut nomine tanto
Quantæ ſunt uires, & qualia nomina Patris
Et Nati, & Nati & Patris genitabilis auræ.
Quinetiam Patri, & Nato, Natiq;, Patriſq;
Spiritui æterno tot ſunt in rebus ab æuo
Nomina, quot rerum in rebus bona nomina poſſunt
Omnibus eſſe bonis. Nanq; omnia nomina Patris
Coueniunt Patri, Nato bona nomina Nati,
Diuino afflatu cuncta aſpirantia rectum,
Atq; pium, atq; bonum, & diuinum in rebus amorē.
Adde quod ipſe Deus, qui unus res continet omnes,
Et facit à ſeipſo rebus qui ex omnibus unum,
Idem ipſe eſt in eodem, nam licet omnia quæ ſunt
Commutentur, & ex ipſa nouitate reſumptæ
Materiæ, & formæ in formas alias reparatæ
Nomina ſuſcipiant, ſemper Deus unus in uno eſt,
Semper, & ex uno ſeipſo, tria numina in uno
Continet, aſpirando, naſcendo, & generando.
Hinc Deus eſt ternus, Pater unus, Filius unus,
Spiritus idem unus, tribus hinc Deus unus ab unis
Eſt Deus ipſum unum, quo nil perfectius uſquam eſt.
Nam ſine principio eſt, omnis rerum omnium origo,
Principiumq; ipſum, res rebus in omnibus omnis,
Et ternus ſine parte aliqua eſt, atq; unus eodem
Tempore, & eſt unus Deus idem tempore eodem,
Hinc Deus eſt idem ſemper Deus unus ubiq;
Iiſdem temporibus nullis ambagibus idem,

Atq; idem Auroræ ad fines, & Memnonis oras,
Idem & ad occiduos poterit ſimul ire remotos,
Atq; omne immenſum peragrare, & peruolitare.
Nam nihil eſt, quod non toto hoc ſit numine plenum,
Quo facit ille idem Deus omnia ſolus ubiq;,
Et recreat genus humanum, pecudumq́;, ferarumq́;,
Et genus herbarũ, & lapidum genus omne propagat,
Quando hæc ſola hærent cunctis primordia rebus.
Nam quæ alij rerum dixerunt corpora prima,
Siue atomos tenues cunctis exordia rebus
Forte ſua, abſq; aliquo inſinuante dediſſe deorum,
De nihilo quoniam nihil eſſe, aut naſcier unquam
Poſſe putauerunt, ſed naſci ex corpore corpus,
Nimirum in tenebris penitus, cæcisq́; uagantur
Obtuſorum hominum nebulis. nam quæq; uidemus
Ex fumo, ex uentis, ex aëre, & æthere oriri
Terrenisq́; uaporibus inſinuantibus illis,
Tandem incorporea hæc patitur natura creare.
Nam nihil ex nihilo exoritur ſine numine diuûm,
E nihiloq́; aliquid fiet ſub numine diuûm.
Quod ſi ita iam nouere pij fieri omnia ubiq;,
Et paſſim magnas rerum concreſcere moles,
Cur potius cauſis alijs aſſcribimus omne
Id decus, ignari rerum cœliq;, Deiq́;,
Fraudamusq́; Deum propria uirtute creandi?
Nam licet à noſtris rebus ſemota Dei mens,
Et Natura illa omnipotentis uiuida mentis

Im-

Immortali æuo tranquilla pace fruatur,
Non tamen à nobis aliena, auerſaq; noſtra
Spernit facta ſuis opibus ſat diues, & ampla.
Namq; mare, & terram, & quæ rebus ineſſe uidemus
Omnibus, ex ſeipſo inuenit Deus, omnia ut inde
Suppeditent nobis diuina mente creatis.
Nec quicquam in rebus fruſtra feciſſe putandum eſt,
Quo ſine nil noſtri producit luminis ora,
Nil fouet & tellus, nil fertilis educat annus.
Nam ſi fruſtra omnis facta eſſet machina mundi,
Nil certum in rerum natura, nil foret æquum,
Nunc & in obliquum ferretur, nunc & in orbem.
Nunc rectum Sol iret iter, nunc Luna retrorſum
Anceps, ambiguas conuerteret ægra quadrigas,
Et rerum hæc totum ferrentur monſtra per orbem,
At quia ſola Dei mundus eſt certa uoluntas,
Non fruſtra genitus, non caſu, aut ſorte coactus.
Hinc certos Lunæ curſus, certosq́; recurſus
Solis, & affectus rebus Deus indidit æquos,
Et certis poſuit pulcherrima ſidera cauſis.
Hinc herbis uires certas, certosq́; colores,
Et certis fœcunda dedit miracula gemmis,
Quæ morbos hominum pellant, uiresq́; miniſtrent
Corporis, & confecta malis membra omnia firment.
Hinc Pater omnipotens Deus eſt, quia ſolus ubiq;
A ſeipſo, in ſeipſum, per ſeipſum cuncta creauit,
Et facit ut quæcunq; creauit tempore certo

Aſeipſo, in ſeipſum, per ſeipſum maximũ, & amplũ
Cuncta reſoluantur, finemq; ab origine ducant.
Ars tamen, & uirtutes, & rerum omnium imago,
Quodq; Sophon primi dixerunt antè Pelaſgi,
Conueniunt Nato, tamen omnia deducuntur
Fœcundo de Patre, & Patris germine læto.
Nam quæcunq; Pater genuit, uelut altera ab illa
Mente Patris, Nati mens una eademq; reformat,
Et reficit, fingitq;, & deligit omnia, quando
Imbuit arte aliqua, aut aliqua uirtute gubernat
Cunctarum deſideria, & uota omnia rerum.
Oſtenditq; alijs perfecti in imagine uera
Omne bonũ, omne boni indicium, munuſq;, decuſq;.
Quãdoquidẽ Nato omnipotẽti, ante omnia, quæ ſunt
Imperium ſine fine dedit Pater optimus uni.
Hinc quodcunq; Pater fecit, reſplendet in illa
Lampade, & ex illo deducit lumine lumen
Rerum humanarum, diuinarumq; diſerta
Cognitio, exortuſq; in rerum examine, quicquid
Fecerit ipſe Pater, quo Spiritus inſinuarit.
At diuinus Amor, caſtæq; ante omnia Curæ
Inuenere locum, qua Spiritus ille potentis
Patris, & artificis Nati per ſidera paſſim
Diuinum inſpirat diuino numine amorem,
Affectuſq; omnes ſenſus partitur in æquos.
Hinc quodcũq; bonum, atq; malum decernimus, inde
Diſplicet hoc, placet hoc, dolet hoc, iuuat illud, et inde
Omnia

Omnia dependent, quæ nos fatalia nobis
Fingimus ignari, aut ducti formidine turpi.
Quorum neſcio Fatorum, Deus ipſe, Deiq́;
Vis immenſa, Deiq́; unius ſola uoluntas.
Sunt nobis hæc Fata quidem, cui ſidera, cui Sol,
Cui Luna, & cœli motus, terræq́;, mariſq́;
Seruit, & illius dependet ab ordine certo.
Nunc age quid Pater in Nato, quid Natus in illa
Aeterna uirtute Patris, quid Spiritus in ſe,
In Patre, in Natoq́; poteſt? quid deinde coacti
In mentem, regemq́; hominum, regemq́; Deorum?
Ipſa opifex uerbo artifici mens addita ſemper
Inſpirat nobis uitalia ſemina paſſim,
Virtutesq́; coire facit per membra, per oſſa.
Omnia nam in rebus cunctis triplici ordine fiunt
Viribus aggreſſis Naturæ utriusq; uiciſſim,
Suſcipit altera enim fœcundo auidiſſima captu,
Altera dat quod habet renouãdam ob prodiga prolẽ.
Quare compactis rebus, Natura trium una
Fit Natura eadem, ex tribus inde recedit in unam,
Poſt tria noſtræ huius uitæ ſpacia euolitata,
Dum res concipiuntur, naſcuntur, moriuntur,
Et dum concipimur, dum naſcimur, emorimurq́;.
Nã non credibile eſt, quod cũcta animantia, quæ ſunt,
Terræ in uiſceribus latitarent miſta, priuſquam
Luminis in noſtri Natura educeret oras.
Tempore nanq; illo miſera priuata manerent

Omni-

Omnibus officijs animantia cuncta;& in ipſa
Obruta morte prius, quàm ſint exorta, iacerent.
Ergo Patris primùm mens fœcundiſſima prima
Seſe ipſam luſtrat numeris, totamq́; pererrat
Ordine directo. ſic parturit omnia, ſic &
Omnia perluſtrat, ſic protegit omnia, quæ ſunt,
In Natoq́; eodem cum Nato lumine lucet.
Hinc nobis Sol auricomo iubare, aureus ipſe
Per loca ſigniferi fœcundus permeat axis
Inde Deo plenus, plenus felicibus auris
Diuitis infundit telluris ditia dona
In gremium, nobisq́; animas & ſemina uitæ,
Corporeamq́; arcem cœlo largitur ab alto.
Inde hæc æquoreum infertur uis feruida pontum,
Inde & uentiſonum circumuolat aëra felix.
At uero illa ingens ſoboles Patris omnipotentis
Omnipotens de Patre eadem, cum mentis amato
Afflatu, afflatuq́; ſuo per ſingula miſcet
Perfectum perfecta modum, rebusq́; animatis
Ingenium ingenioſa addit, mentemq́; animamq́;,
Spirituumq́; auras. Hinc eſſe, hinc uelle, & amare
In genus omne uirûm partitur, & omne ferarum,
Et uolucrũ, & lapidũ genus, & genus omne uirentũ.
Hinc etiam ille uigor cœleſtis numinis, ille
Et patris, & Nati perfectus Spiritus in ſe
Incendit mentes noſtras feruore ſuperno,
Oſtenditq́; Deos, animoſaq́; ſidera monſtrat.

Ex-

Explicat hinc rerum cauſas exercita rerum
Cognitio, hinc animæ ſemper diuina docentur
Illius memores diuini numinis, unde
Humanas primum in mentes deſcendit Olympo
Optima relligio. Hinc ſacri cantare Poëtæ
Edidicere Deos, diuinaq́; carmina paſſim
Pandere, & omne decus patriai oſtendere primæ.
At uero una omnis in ſe accumulata Dei uis
Et mens ſumma Dei format primordia rerum,
Omnia, & è medio ad finem deducit, & omnes
Infundit per res, rerumq́; per omnia ſeruat,
Hinc rerum uis omnis, & indefeſſa cupido
Omnis agendarum rerum, ſpeciesq́;, modusq́;,
Ordoq́;, pondusq́;, & numeri, & menſura creantur,
Nam Pater eſt alter à Nato, & Natus ab ipſo.
Spiritus à Patre, & Nato, per ſe alter, & alter
Producit uires proprias, tamen una eademq́;
Res Pater eſt, Natusq́;, & Spiritus ordine certo,
Nam Pater ille harum rerum fabricator & auctor
Ipſe fuit ſolus, nullo inuentore, nec ullo
Tot rerum monſtrante uiam, non auxiliante.
Is dedit obſcuris cœleſtia lumina rebus,
Ornauitq́; polum ſemper fulgentibus aſtris,
Imperiumq́; dedit Lunæ uitæq́; necisq́;,
Et Soli, & ſtellis alijs genitabile lumen.
Ille etiam molem immenſam, rerumq́; coactam
Materiam in montes altos concreſcere iuſſit

In cam-

In campos imos, in depreſſas conualles,
Arboribuſq́;,herbiſq́; ſolum decorauit amœnis,
Fluminaq́;,& fontes,atq; impetuoſa repreſſit
Aequora,uentorumq́; coërcuit optimus iras,
Speluncisq́;,antrisq́;,& uinclis uinxit ahenis,
Et montes ſuper impoſuit fortiſſimus altos.
Omnia ne rapiant uiolento turbine uenti
Per maria,& terras,perq́; aëra depopulantes
Ah teneros rerum fœtus,mundiq́; nouellas
Vix naſcentis opes,uix pubeſcentia prata.
Hinc uolucres pennis luſtrantes aëra apertum,
Quadrupedumq́; genus ſyluas inmiſit opacas,
Et uarijs liquidum ditauit piſcibus æquor.
Mox ratus in melius formoſi mœnia mundi
Illuſtrare,ſui diuinis partibus oris,
Humanam effinxit faciem de ceſpite terræ
Formoſæ,effigiemq́; ſuam Deus indidit illi.
Hinc animam,mentemq́; dedit,uitamq́; per omnes
Vitalis fudit ſenſus,hominemq́; uocauit
Dotibus æternis præclarum,atq; arte loquendi.
At uero Natus ſolus deſcendit ab axe
Virgineamq́; aluum penetrauit numine Patris
Humano de more puer.mox ductus ad oras
Luminis huius,acerba tulit mortalis,& inde
Morte obita uitam nobis mortalibus emit.
In uitamq́; iterum reuocatus cum Patre compar,
Vnanimisq́;,Deusq́; ſimul mortalia uota

Audit,

Audit, & humanis inflectit lumina rebus.
Ille etiam Patris, & Nati diuinior omni
Spiritus afflatu, non Filius, aut Pater in ſe eſt,
Verum utriusq; ingens congeſtum numen in unam
Virtutem cogentem ambos in ſe, unde trium una
Eſt Natura Dei, ſibi ſola ſimillima ſemper,
Prædita non alijs rebus, non miſta alieno
Numine, ſed ſola ipſorum uirtute trium una.
Salue igitur Pater omnipotens, ſalue omnipotentis
Nate Patris, ſummi ſapientia uera parentis.
Tu Pater es ſine Patre aliquo, tu concipis ex te
Te ſimilem, atq; tibi Natum, ille à ſe, & Patre te uno
Inſpirat diuinum ignem, qui calfacit omnes,
Virtutesq;, animosq; ſimul, ſenſusq; animatos,
Quos cœlum, & cœli moles operoſa operoſi
Aeternum exercet, tu ſingula ſine coherces
Ordia prima ligans rebus res omnibus omnes.
Tu Deus es tribus his gaudens ſuper omnia quæ ſunt
Nominibus, ſolus Pater idem, & Filius idem,
Spiritus idem, idem ter maximus unus in omnes
Affectus labens æquos, æqua omnia firmans.
Accipe tu quæcunq; tibi præclara dicamus
De tenebris excuſſa tuis tua lumina tandem
Ardentes prima feruentia membra iuuenta,
Dum tibi perculſi rerum nouitate nouarum,
Libamus laudum magnarum maximum aceruum
Tenuiter, inſtar apum, quæ circum dædala caſtra

Flori-

Floribus, & uarijs illuſa coloribus, urgent
Gratum opus, intactæ faſtigia delibantes
Summa roſæ, aut dulcis faſtigia ſumma hyacinthi.
Sic ego ter uiua luſtratus Tybridis unda
Orabam, cum læta diem Titonia coniunx
Purpureum rubicunda omni diffudit Olympo,
Et ſcintillanti explicuit Sol lumina curru.

IN D. TRINITATEM HYMNVS TERTIVS.

IAm tibi longinquam curſu contingere metam
Cœleſtes nituntur equi, Leo maxime, iamq;
Mens auriga ſuper celeres leuis explicat alas,
En comitem extremo ſeſe addit prima labori
Diuinæ Pietas pandens myſteria mentis,
Hinc pia Simplicitas obſcuras detegit artes,
Hinc diuinus Amor trifida face nubila differt,
Amouet & tenebras, & equos hortatur anhelos.
Sed quia ad immenſi penetralia deuia cœli,
Splendoresq; illos ſemper fulgentis Olympi,
Non niſi diuinis aſcitis rebus, & omni
Temperie morum, mentisq;, & pectoris itur
Compoſtis, diſcuſſa omni de ſenſibus imis
Labe mali, & tenebris adducto Sole fugatis,

Cum

Cum nequeam per me, fateor, Pater optime rerum
Pellere tot tenebras, & res tentare latentes,
Eſt opus ut tua lux pateat mihi, ne calor iſte,
Et furor ætherius qui pectora noſtra repleuit,
Irritus in tenues uaneſcat protinus auras.
Ergo age pande uiam, qua me ſuper æthera firmem
Rurſus ego, & uulgū ambiguum, terrasq; relinquā,
Immiſtusq; choris heroum pulchra per aſtra,
Perq; domos Superûm incedens tot nomina diſcam,
Diſcam animos Diuûm tantorum, & munera rerum
Cœleſtis mundi ſacrarum. atq; unde profectæ
Inſinuent nobis animæ, qua mente, quibúsue
Senſibus illectæ ſuperis labantur ab oris,
Et noſtros penetrent artus, moueantq;, ferantq;
Corpora cuncta agiles, diſcant, doceantq; uiciſſim
Aeternum memores, æternum uitam operoſam
Indutæ. genitæ an fuerint fuerintúe creatæ,
Aut ſimul, aut alia ex alia, aut per ſe altera, & alterá,
Aut cum corporibus naſcatur quælibet ipſis
Quæ regit, & uitam per ſenſus ſeruat, alitq;,
Quæ ſit uita illis, quæ tandem in rebus origo.
Quis modus, aut quæ res, quæ fandi gratia tanta,
Quis Deus, aut quæ uis, quis ſpiritus excutit intus
Vocales auras uotorum interprete lingua.
Hæc ego deinde canam ter Marte hoc exuperato,
Quandoquidem Pater omnipotens nihil undiq; per ſé
Aut clarum magis, aut magis immortale creauit

Ipſa anima, unde Deus uoluit ſuper omnia dici
Mundi anima in rebus diuinis omnibus una.
Nunc ad te pater omnipotens diuûmq; . hominũq;
Paulatim à cœpto digreſſus calle reuertar.
Sicut auis peregrina hyemem, ingratosq; Aquilones
Ventoſi Rhodopes, & frigora cum fugit Hebri,
Aduolat Italiam uerſus, longeq; remotam
Italiam uiſu legit, & ſimul ore ſalutat.
Aſt ubi iam propior, miratur uerſicolores
Arridere agros, molles miratur odori
Veris opes, patriamq;, argutaq; carmina cantat,
Atq; huc atq; illuc roſeos ſpaciata per hortos,
Nunc uer denſorum ramorum laudat ab umbra,
Nunc à ſole nouo, matutinaq; pruina,
Nunc à purpureis campis, à ſuauibus herbis,
Fontibus à liquidis, nunc à clementibus aſtris,
Tandem carpit iter cœptum, perq; aëra fertur.
Vnde tamen rapior? quò me fert copia rerum
Tantarum? laudem ne Patrem? quem nulla animantũ
Dicere uox poterit, nullæ cognoſcere mentes,
Nulli animi, nullum tempus, res nulla, nec ulla
Cognitio? laudem Natum? qui cum Patre tanto
Omnibus in rebus non degener à Patre, magnis
Dotibus illius fruitur? laudem ne potentem
Amborum afflatum? qui amborum laudibus æquis
Excitus, ſenſus noſtros, menteſq; remotas
Non capit, à nobis, rebus calor additus ille

Om-

Omnibus, impellit nos, Patrem ſemper amare
In ſe ipſo, & Natum in ſe ipſo, ſe et in omnibus ipſum
Quæ ſint, quæ fuerint formoſis quærere rebus,
Seu nos cœlum ipſum, & cœleſtia quæq; uelimus
Sidera, ſi ſolem, ſi lunam, deniq; ſi omnes
Naturasq́;, artesq́; agnoſcere, in omnibus ipſum
Eſſe Deum rebus cœli fateamur oportet.
Si uero aërias oras, ſi deniq; ponti
Aequora, ſi terras omnes, aut quicquid ubiq; eſt
Penſemus, quocunq; Dei ſe Spiritus infert,
Quandoquidem de Patre omnis uis illa mouetur
Omnibus in rebus, rerumq́; per omnia fertur,
Quæ gignant aliquid, uel quæ gignantur ubiq;.
Nam calor ille animans quæcunq; in corpora fuſus
Suadet amare prius, dehinc pignora quærere de ſe,
Concipere hinc. uis illa Pater, uis Natus & illa eſt,
Spiritus eſt inde, inde Deus, qui rebus amicis
Naturæ, & quæ alia & ſeſe ipſis rite propagant,
Inſinuat fœcundus, & omnia in omnia ſoluit.
Cum tribus ex uno ducantur ſingula quæ ſunt
Ordine iuncta modis, tripliciq; exercita ſenſu,
Cumq́; etiã ex triplici bona ſint quàm plurima ſenſu,
Et uirtute Dei, tamen hæc tria parturit ex ſe
Mens Patris, & Nati, rerum diuina poteſtas,
Eſſe animæ in rebus, uitamq́; ad luminis oras,
Mox etiam ut bona quæq; intelligat, & mala quæq;
Solus homo, una Dei uera omnipotentis imago,

Atq; etiam ut quæcunq; Deo ſunt plena, referrent
Cuncta Deum triplici rerum ordine ſuſtentata.
Hinc Sol mundi anima immortalis, lumine magno
Protenſus, rebus fœcunda luce calorem
Protendit, recreatq́; omnes certo ordine formas.
Hinc triplices mundos rerum dixere periti.
Alter enim ultra alios longe ſemotus ab omni
Inuidia, affectuq́; malo pulcherrima paſcit
Sidera luminibus ſemper fulgentibus. alter
Cœleſtis, cœlum quod per ſe continet omne,
Cœleſtesq́; animas, cœleſtiaq́; omnia claudit
In ſe ipſo. At mundus tenebrarum tertius hic eſt,
Quem colimus cæca rerum caligine ſemper
Obtuſus, nobis datus, à cœleſtibus oris
Diſiunctus, longisq́; ambagibus interruptus.
Nanq; elementorum diſcordi mole grauatur
Semper, & aduerſis conatur iungere rebus
Aduerſa, in tali gignantur ut omnia lite.
Hinc uenti inſultant direptis nubibus, inde
Confligunt ſimul, & trepido per inane ululatu
Horrida terribiles commiſcent prælia Cauri.
Hinc inimicitiæ, hinc iræ, ingratiq́; tumultus
Regnorum, hinc trepidas hortantur claſſica pugnas.
Deniq; nil tutum, nihil eſt non aut metuendum,
Aut deſperandum noſtris de rebus egenis,
Vſq; adeo potuere elementa inimica elementis.
Attamen ex triplici hoc mundo, quem diximus antè,
Siue

Siue tribus mundis, à primo quiſq; mouetur,
Ordine perpetuo, primum mouet illa Dei mens
Omnipotens per ſe. primus mouet inde ſecundum,
Ille alium, & triplici hoc motu natura mouendo
Omnia, cunctarum conſeruat ſemina rerum.
Nec uero quiſquam dictis mihi ſuaſerit auctor
Hunc triplicem mundum triplices ab origine cauſas
Formaſſe, unde habeat propriam per ſe alter, & alter
Formantem cauſam, quæ ſunt in materiæ re.
Verum cauſa omnem mundum perfecit ab una
Ille opifex,, triplici hanc diſcernens nomine molem.
Vnde idem triplici ditatur nomine mundus,
De triplici uirtute Dei. nam prima coëgit
Semina uitalis uitæ ſibi, & uno, & eodem
Principio, ut ſummi fieret res ſumma Parentis.
Vtq; Deus melius triplici omnia fine ligaret
In mundo, & mundi rebus, tria ſemina uitæ,
Treis animas ſtatuit terrenis rebus amicas,
Herbiſq;, arboribusq;, arbuſtiſq; inſinuantes.
Hinc homini corpus, mentemq;, animamq; creando
Vnicuiq; ſuum dedit, & cognoſcere in illis
Omnia, quæ in triplici mens ordine ſumma creauit.
Et triplex natura Dei uiuacior æuo
Omnibus & rebus gignendis, ſiue creatis.

Nunc age cur Pater eſt, cur non quoq; Filius ipſe
Spiritus, & ueri illuſtretur nomine Patris,
Quandoquidem Pater, & Natus, & Spiritus idem

Eſt Deus, atq; eadem ſemper res, atq; amor idem.
Tempore diſcretus nullo unquam, aut finibus ullis,
Cur etiam pater ipſe Dei non filius idem
Sit ſibi, nec Natus ſit rerum Spiritus almus,
Atq; idem Pater & Natus cum numine iunctus
Vnigeno amborum, una eadem ſit cauſa potestas,
Pulchrumq́;, & ſapiens, lumenq́;, bonumq́; per omnẽ
Naturam infuſum diuinam, atq; inde creatum?
Omnia cum Pater ipſe unus ſit in omnibus, omnia
Omnibus è rebus, res rebus in omnibus omnes
Collocat, & certo certus iubet ordine oriri.
Hoc eidem Natus, Natiq; Patrisq; benignus
Efficit afflatus, Patris & Nati una poteſtas.
Attamen inter ſe paulum diſtare uidentur,
Non ui, non re aliqua, non tempore, non faciendi
Ingenio, uerum diſcrimine procedendi.
Nam prius ex aliquo natus naſcatur oportet,
Quàm ſpiret, fiatq́; patri notiſſima proles.
Nam Pater à ſeipſo Pater eſt, non Filius à ſe
Filius eſt, cum ſit de ſe ſua uiuida forma,
Et Pater ipſe ſui, & Nati ſit cauſa fluentis
A ſeipſo. inde etiam diuinus Spiritus amborum
Eſt opus à Nato, Natiq; parente animante
Poſt Nati natale, alma inſpiretur ab aura.
At uero cum Patrem & Natum dicimus unà,
Et Patris & Nati omnipotentem protinus auram
Dicimus, è Patre & Nato nam Spiritus ipſe eſt.

Nam ſubito ut Pater & Natus ſimul incipit eſſe,
Spiritus ipſe ſimul Patris & Nati incipit eſſe
Perpetuus cum Patre & Nato gloria, Patris
Et Nati, atq; ſui ipſius, non alter ab ipſis,
Forma Patris Natiq́; eadem, atq; eadem ſua forma,
Cum Patre formoſus formoſo, cum Sobole alma
Formoſus Patris, atq; idem forma omnibus una
Et Patris & Nati, unde Pater Natusq́; uiciſſim
Alternis gaudent affectibus ora, humerosq́;,
Atq; genas, oculosq́;, & pectora perluſtrare
Nunc hac, nunc illa ſub imagine, quando eadem uis
Ampla Patris Natiq́;, & Nati & Patris amantis
Affectus, per res eadem undiq; funditur omnes,
Et uarios habitus formarum diues ubiq;
Induit. unde Iouem priſci pinxere iuuencum,
Aut aquilam, aut niuei pulcherrima corpora cycni.
Namq; Deus placita in facie, placitoq́; decore
Vſq; adeò ſeruatur, ut omnibus undiq; rebus,
Quæ præſint alijs rebus forma atq; decore,
Inſinuare Deum, & diuinæ munera formæ
Credamus: quoniam Iouis omnia plena uidemus,
Et quoniam formoſa Dei ſunt omnia imago,
Ipſe quidem Pater in nobis, & Filius, & uis
Amborum illa eadem cum quolibet inſpiratur.
Eſt etenim in nobis Deus omnibus omniũ, in æquas
Aſpirans concepta uias exordia noſtra,
Extremum medijs, medijs prima omnia iungens.

Namq; eſſe in noſtro Deus eſt ipſum eſſe, creato,
Aut genito per eum, & communi in uiuire noſtro,
Eſt uigor ipſe Deus, uigor intimus unde mouemur
Mentibus & noſtris uarios accedere ſenſus
Sentimus. Deus eſt, qui ſolertiſſima ſolers
Cuncta agitat, luſtratq́; ſimul fulgore ſupremo,
Mentibus in noſtris, noſtris in ſenſibus eſſe.
Atq; idem in rebus renouandis, ſiue creandis,
Eſt Deus, idem omnes cauſas, atq; omnia quæ ſunt
E certis cauſis deducens. ſumma poteſtas,
Mens ſumma, & rerum concordia ſumma bonarum,
Summus amicitiæ largitor, ſummus amoris
Diuini, ſummiq́; Parens, ſumma omnium origo,
Summum eſſe, & ſummæ finisq́; modusq́; ſalutis,
Deniq; ſummarum rerum, ſummum eſſe, potensq́;.
Hinc Deus ut faceret ſibi cuncta ſimillima, ab una
Formauit cauſa, triplici mox ordine, ab illa
In triplices cauſas, una dominante diremit,
Quandoquidem in rebus humanis omnia, quæ ſunt
Quæq́; aliæ ex alijs rebus res undiq; fiunt,
Ex ijſdemq́; alia, aut alia perſæpe creantur,
Non niſi cauſarum cauſa genitrice reguntur.
Illa etenim effectu in rebus procedit, agitq́;,
Atq; ita fœcundo incedit per ſingula motu,
Et numeros numeris ligat & res rebus inhærens
Inſtaurat proprijs, & ſemper fingit eaſdem
Aut genitis rebus, gignundisq́; inſinuando,

Aut

Aut noſtri deſignatis in luminis oras
Vitales, certam ut credas in rebus eiſdem
Cauſam illam eſſe, illam rerumq́; hominũq́; parentẽ,
In corpus formatam, inq́; omnia materiai
Inde renaſcentis propria inſtrumenta redactam.
Atq; ita docta parens rebus res omnibus aptat,
Veſtigatq́; modum formas partirier æquas,
Materia ut formata diu credatur ab inde,
Atq; ita perfectis, & certis legibus illa
Seruatur per ſe, per ſe quoq; ſingula ſeruat,
Munita eſt. Quoniam in rebus triplici ordine cũctis,
Ordine perfecto ſemper, nec quicquid ab illa eſt
Abſq; tribus formis cauſæ ſeruatur agentis,
Aut ſemper rebus ſeſe omnibus inſinuantis
Materiæ, effectusq́; ſuis hærentium utriq;
Artibus, ambarumq́; omnes res perficientum.
Sunt etiam in rebus cauſæ primordia cuncta,
Quæ tribus his rerum formis conſtare putarim.
Hinc media, hinc fines, quarum res quælibet in ſe
In res has ternas terna ratione dirempta eſt.
Vnde Dei uis ampla patet, perq́; omnia fertur
Ad Natum de Patre, à Nato inde ordine eodem
Diuinum ad Nati, & diuini Patris amorem.
Hinc una in rebus cauſa accipit, & facit à ſe
Componens perfecta ſuis in finibus omnia.
Eſt tamen illa eadem Deus, & cognoſcitur inde
Eſſe Deus, quoniam ex triplici eſſe reducit in unum,

Se uerum Patrem, atq; Deum, cauſamq́; trium unam,
Patrem unum Natumq́; unum, Natiq́; Patriſq́;
Vnius unum ignem, qui cum Patre, non minor illo,
Cum Natoq́; Patris, diuino regnat in uno,
Vno, quod triplici poſſit ratione reuerti
Semper idem, ſpacijs ijſdem, durabile in unum.
Tu uero ſine Patre Pater, Pater optimus in te,
Et Pater in Nato, & Nata in dulcedine Nati,
Atq; tua, de te & Nato, & uirtute utriuſq;
Magne Deus, uirtus una in tribus, una poteſtas
Rerum cunctarum, una Dei concordia Salue.
Tu ſtas in te ipſo, te circum lumina tendit
Summus Amor, tibi cana Fides immobilis aſtat,
Tu Bonus es ſuper omne bonum, tu uita animantum,
Es ſuper omne animans, uitam uiuens ſuper omnem.
Tu in rebus uinclis diuinæ cuncta catenæ
Iuncta ligas, ſoluisq́;, tibi ſunt omnia quæ ſunt
Omnibus in rebus, uel rebus ab omnibus, unum.
Hinc res conueniunt uni quæcunq;, & in unum
Inde reſoluuntur, quoniam naſcuntur ab uno,
Hinc animis diuûm atq; hominũ Deus imprimis unũ
Atq; bonum, cauſa, tua uera inſignia ab una,
Tu nobis pandis temet, monſtrasq́;, uenisq́;
E tribus, in tribus unus, & omnia ab inde reducis
In tria, & in te ipſo dehinc omnia perficis, atq; hinc
Eſſe finis, gaudesq́; illorum nomine dici
Sol à ſole, aſtrum ex aſtris, ex ignibus ignis.

Nec quicquam in terris uiuit, nec in orbe animatum
Toto aliquid uiget, unde tibi ſint nomina uera,
Vnus quandoquidem uires, res, nomina longe
Exuperas, nec adhuc ratio ulla, aut ulla hominum uis
Inuenere tibi nomen, quod te omnibus unum
Significet rebus diuinis ac morituris
Eſſe Patrem, eſſe Deũ, eſſe unũ, atq; in numine terno
Eſſe unum in Patre, & Nato, in Natiq́; Patriſq;
Mente una, Numenq; unum Natiq́; Patriſq;.
Omnibus in rebus tu laberis intimus, & ſtas,
Reſq́; facis ſimiles omnes tibi quas facis, & quas
Mente tua reficis de te artubus inſinuando.
Rumpe ergo hinc tenebras, & caligantia circum
Nubila. Ne differ, fac carmina uiuere noſtra
Grata pijs. me nulla dies, nulla arguat unquam
Poſteritas, nox nulla fores circumferat atras
Immemorum, ad triſtis perducens flumina lethes.
Si tibi primus ego Parnaſſi in culmine ſummo
Tris aras immortales firmo ex adamante
Spiritui poſui æterno, Natoq́; Patriq́;,
Perduxiq; nouem cœleſtia templa Sorores,
Vnde Deum incepere oſtendere, & alta mouere
Carmina & abſtruſis cauſis noua pandere uulgo
Sacra ſacris animis, unde & Romana iuuentus
Olim Marte ferox, & bellipotentibus armis,
Mitior, incipiat caput extra nubila ferre,
Et laudis tentare uias, & nominis alas

Eri-

Erigere, & cœli fines penetrare uolando.
Nam tandem uenit tempus, quo ſacra poëſis
Non niſi nota pijs, nulli conceſſa profano,
Attollit caput auricomum ſuper æthera ſummum,
Te regnante Leo, & toto ditiſſima mundo
Cœleſtes expandit opes. mendacia uana
Sordent longè inculta patrum, iam ſordet inanis
Iupiter, & fatuæ temeraria ſacra Mineruæ.
Quinetiam inſanum ridet Parnaſſus Iacchum,
Thymbræumq́; patrem, ridet Cythereia Cypros
Orgia, cuſtodemq́; canem infelicis Oſyris.
Iam ſilet infamis Delphos, iam Iupiter Hammon
Inter harenoſos Libyæ ſilet horridus æſtus,
Et Dodona loquax ſilet, & Latonia Delos.
Ipſa etiam infelix auctor tot Græcia rerum
Indignarum, humilis, longo tibi Roma triumpho
Vincta uenit, uaniſq́; opibus ſpoliata ſuorum
Romano dat colla iugo. fremit antè malignus
Liuor, & immundo fœdatus puluere uultus
Laudum inclinato trahit eſſeda eburnea collo.
Ipſa ſuper currum ingentem Romana Poëſis
Extendit Laudum, Eloquij, & Pietatis habenas.

FINIS.

IANI VITALIS PANHORMITANI CIVIS ROMA. AD LEO. X. PONT. MAX. COMMENDATIO.

HActenus ætherias mentes, regemq́; Deorum
Aeternum cecini Leo maxime, & omnia magni
Nomina uera Dei, uiresq́;, & fortia facta.
Tu modò da inualidis humeris Leo, nam potes unus,
Remigium alarum, poſſim quo me quoq; ab ima
Tollere rurſus humo, & ſuperas uolitare per oras,
Quo poſſim claros animos, menteſq́; Deorum
Scrutari melius, & condere corde ſub imo.
Nec me difficilis terret uia, ſeu maleſida
Aequora metiri, & pronis dare flatibus aluum.
Seu iuuet ætherios tractus, qua nubila denſas
Non uoluant nimborum acies, uel amœna ſecundum
Flumina Parnaſſi, curuisq́; inſiſtere ripis
Cephiſi, quo magna canam, quo maxima coner
Moliri ultra hominum cœtus ſemotus, & ultra
Ventoſas auras uulgi, rapidasq́; procellas.
Ergo ego tunc cœcis nitar dare lumina rebus
Viribus æqua meis, atq; omnia ferre ſub auras,
Abdita ſi qua latent, ſeclisq́; incognita noſtris.
Nec fallor, nanq; hoc animi, ſic fata ſecundent,

For-

Fortunentq́; meos auſus, ſpolium omne dicare
Egregijs cœpi factis, noctemq́; profundam
Exturbare oculis, & luce micare coruſca.
Et merito: neq; enim à nobis fera ſecla ferarum
Diſtant, æternam niſi quod nos tendere famam
Nitimur, & ſtudijs lethææ obliuia ripæ
Effugere, & uiuum poſt fata relinquere nomen.
Ocia iam tandem ſpondet præſaga mihi mens
Dulcia, iam uideor per florida rura uagari
Muſarum, inſignemq́; meis petere inde coronam
Crinibus, & rerum metiri exordia prima.
Vnde hæc uiuentum rerum inſtrumenta per omne,
Quicquid id eſt quod nos tenet interfuſa Dei uis
Fudit, ut in corpus creſcant elementa animantum:
An ne iterum propria effingant ſibi corpora, queis ſe
Inſinuent animæ peregrino errore receptæ.
Dicam etiam nigris nox unde obſcura quadrigis
Præcipitet, liquidusq́; dies quibus ignibus ardens
Surgat, ut Oceanum fulgentia ſidera magnum
Immerſentur, & illa alto quis fixerit axe
Aeternum luſtrata nitoribus. his ſuperaddam
Perpetuas lunæ ambages, ſolemq́; prementem
Motibus aduerſis, ſua per ueſtigia, in orbem
Continuò irrequieta uolumina euntis Olympi.
At non prætereeam qua ui nimboſa graueſcant
Nubila, & unde uago crepitantia fulgura motu
Pendentes uentorum animæ iaculentur in auras.

His addam rerum ſeriem, miraſq; animantum
Naſcentum & morientum animas, et ſecla animarū
Omni fine carentia, et unde elapſa repente
Deſtituantq; globum, aut flagrantia ſidera linquant,
Corporis ob deſiderium, quæ uincula mundi
Arctarint molem immenſam, qui úe infimus axis,
Aequoris ac terræ, atq; ſuo ſub pondere nutans
Non ruat in præceps, barathroq́; dehiſcat ab imo,
Vtq; etiam complexa Chaos elementa coactum
Quatuor in partes fregerunt legibus æquis,
Vnde ſibi aſſumpſere animam. qui ſidera, flamma
Aeternum in diuerſa petiuerit, ut leuis aër
In medio cœli, et terræ ſibi legerit arcem,
Immineatq; leuis grauibus, madidaſq; lacunas
Pluuiarum rex accipiat, trudatq́; per auras,
Dehinc uomat in fluuios, inq; æquora ſalſa retrudat.
Vtq; Amor ex illo prognatus fœdere rerum,
Sed moderatus Amor, uitæ rectiq; magiſter,
Et bonus et prudens, præclaras condidit urbes,
Iura dedit populis, interq; hominesq; deosq;
Prompſit ab aurata letheia tela pharetra,
Dulcis fuſa liquore thymi. quis deniq; ſortes
Naſcentum in uarias fatalia concitet aſtra
Spiritus, et mentes hominum, moresq; gubernet.
Dehinc ad te, et tua magne Leo facta alta reuertar.
Namq; canam, ancipiti uerſatum ut turbine rerum
Te uarijs fortuna modis uexarit, ut inde

Tot

Tot caſus miſerata, & tanta incomoda, tandem
Ad rerum ſupremum apicem te euexerit. utq;
Infandi domitorem, regnorumq́; potentem
Prima ſalutarit, qui nobis aurea primus
Secula, qui tandem Paci ſua tempora condas.
In primis te magne Leo, te pectore toto
Accipiam, patiarq́; libens tua numina, & uni
Me tibi me penitus tibi me, & mea corda dicabo.
At tu oro, ſi iuſta peto, rape nubila longe
Hinc, atq; hinc glomerata oculis Pater optime noſtris
Ne peream ignotus ſeclis, de more ferarum,
Si te digna mouet longæuæ gloria Famæ.

QVIN.

FINIS.

QVINTIANVS STOA Ad Lectorem

Lector ſereno proſpice hoc uultu ſacrum
Opus, boatu conſonans tragico minus.
Hic non ſonoris carmen inſpicitur modis,
Sententiarum non nimis ridet lepor,
Sed totus aure flaccida emergit liber.
Si forte iambis omnibus carmen citis
Aliquod recurret, parce, ſic tragici uolunt;
Terentianus damnet hoc ipſum licet.
Si Quintianus forſitan uidebitur
Vti nec aptis uocibus tragœdiæ,
Nec ire ad altum culmen ut tragœdiaſt;
Non improbandum eſt, fecit ex induſtria;
Vt poſſit iſtud carmen & pueris legi.
Apoſtolorum perſpice utitur ferè
Verbis, ut imitetur ſacras uoces Dei.
In ijs uidebis Quintianum uocibus,
Paulum repreſſis utier uocabulis.
At ſi uidebis marte compertum ſuo
Aliquid, quod ipſi omiſerint Apoſtoli,
Grandiſono hiatu plurimis uſum modis
Dices. in Actu cladibus quinto ſuis
Perlege querentem lurida Chriſtum cruce.
Ibi multa iuncta perleges Apoſtolis:
Iam lector animo perlegas æquo, Vale.

*

STOAE IN SVAM Theoandrothanatō Euchēneſithea.

Virifica ô primis Crux præcelebrata ſub annis
Inſontes factura reos, primiq; parentis
Terrificum miſerata nephas, cui militat omne
Et cœlum, & poſiti deflexa potentia mundi,
Des iuſtum precor auxilium. nam gratia cœli
Omnis abeſt, extincta ſuo moriente triumpho.
Virginis auxilium cecidit, quum mœſta petenti
Deneget archanum, quem non habet ipſa, fauorem.
Non ab Apoſtolico repetam fidiſſima cœtu
Præſidia, aut ſolitas poſcam in mea carmina uires.
Quandoquidem perit omnis honos, ſolitumq; receſſit
Numen, ut extincto cecidit duce militis omne
Robur, & omnis abit tremefacto principe uirtus.
Si quæras elementa, ſuum perlucidus æther
Amiſit radios Phœbo renuente colorem.
Terra tremens gemuit, cum qua maria alta profundos
Emiſere ſonos, cum qua tremuere repente
Tartara, ſupremis quum iam tot opaca ſepulchris
Antra refulſerunt, quum iam tot operta piorum
Sumpſerunt uenientem animam ſurgentia uatum
Funera, & antiquam penitus ſortita figuram.
Mox ubi feralem Chriſtus per tartara mortem

Fre-

Fregerit,atq; animam rediuiuo corpore ſanctam
Sumpſerit, adiunctis manibus cœleſte precabor
Numen. at interea Crux ô digniſſima noſtras
Suſcipe & alma preces. tu ſola reducis olympo
Lumina, & adfectis das auxiliaria terris
Officia, humanas ducens per ſidera mentes.
Ecquid erat ſupero per ſecula prima Tonanti
Illuſtrem formaſſe hominem,rerumq; dediſſe
Imperium,& ſanctos diuini numinis ignes?
Ni genus humanum per te foret auſpice uicto
Mortis ab infando defenſum marte receſſu.
Non alia huic bello fuerant uexilla feroci
Conſtituenda:ſuum ligno ſcelus Eua peregit,
Sic ligno redimenda fuit. per ligna retortus
Suaſit inire nephas hominem draco,ligna cruentis
Adfixum tenuere patrem per uulnera membris.
Crux ſalue,cui uincla feri laxare tyranni
Contigit,& rabiem penitus proſtrare ruentem.
Nam quum prima lues ſeſe fudiſſet in omnes
Mortales,latumq; ſui laxaſſet acerbus
Arbitrium,& largas dæmon rapuiſſet habenas,
In te ſumma fuit primis memorata prophetis
Spes,& amica ſalus,quos furua cauerna per imum
Corriperet,traheretq; feræ in caua limina mortis.
Quid faciam ignoro,quum te mea carmina tantum
Attingent,ſummãq; rei mea uerba reponent.
Non totum dixiſſe meum eſt,mea uela tumeſcens

Parua quidem & maleſuada fretũ conantur, et ardẽt
Contegere, at uaſto titubant caua lintea ponto.
Terrificas tu ſola hoſtes, ſoloq; rebellem
Dæmona conculcas Crux nomine. prælia tentant
In genus humanum exarmata pericula, ſed tu
Adijcis immenſum in certamina dira tremorem.
Ah quoties titubante animo lapſaret, inopsq́;
Gens humana ſui ſpectaret uincula fati
Surgere, & ardentes minitari uulnera flammas,
Ni tua Crux fixis pugnarent ſigna tropæis,
Atq; tua hoſtiles proſtrarent tela maniplos.
Ah quoties miſeras raperent incendia terras
Perpetuo germana igni, fugiente tumultu
Ni crucis obſtarent uexilla inimica ſupremo
Exitio, atq; darent uictricem in prælia gentem.
Des palmam incœpto marti. tibi ſola facultas
Expugnandi arces, rumpendi uincula, & omnem
Tartaream ſolo retegendi nomine fraudem.
Nil ſine te firmum Crux ô fidiſſima rerum,
Nil ſine te ſtabile eſt. te uiſa terror auernum
Implicat, & nodo rumpit laxante cathenas.
Durat opus cuicunq; adſis, tua ſigna reformant
Fuſcatam tenebris animam, ſub nocte ſilenti
Pellis ab humano phantaſmata nigra ſopore.
Crux pia, Crux felix, Crux omnia reddis opima.
Ex magnis maiora facis, maioribus addis
Maxima, & adiecto mortalia fœnore ſeruas.

DAS

Das galeam fronti, crudum thoraca reponis
Pectoribus, forteſq́; uiros in bella reducis.
Tu quondam imperio præclarum, armisq́; potentem
Induperatorem contra ethnica caſtra minasq́;
Firmaſti, & meritum retuliſti ex hoſte tropæum.
Tu quondam aërijs peſtem regionibus atram
Mortali infeſtam populo, Latijsq́; furentem
Preſſiſti (ah quanta eſt tua Crux præſentia) campis.
Tu primum enatos armas, tu deinde ſepulchro
Condendos tutaris, habent tua ſigna feroces
Diuerſa ut noſcant inimica & amica phalanges,
Vtq́; dolorigero ſerues ſua pectora fato.
Sic, quum tanta tua eſt ſub maieſtate facultas,
Has tibi fundo preces, per quas tragica ora potenter
Sancta iuues, tragicumq́; mihi ueneranda cothurnum
Suppedites, facilisq́; meo auxilieris iambo.
Eſt magnum quodcunq; peto: ſed lene minusq́;
Hoc erit, adſpirent modo ſi tua flamina puppi.
Hic humilis noſtræ reuerentia mentis, & ipſum
Cor mite, ut ludat per nulla poëtica mixtis
Figmenta illecebris, nec ut ardua uerba papyris
Inſerat, aut ueris iungat mendacia rebus.
Sic uoluit res ipſa ſuo contenta dolore,
Nec uoluit lepidis pingi ornamenta figuris.
Deniq; Crux miſeras audi miſerata querelas,
Infirmumq́; genus tuearis: & ultima uitæ
Tempora, bella tuis armes contra aſpera ſignis.

Eſt aliquid fudiſſe preces: ſed maxima ſurgit
Gratia, ſi princeps ſerui fauet ipſe petitis.
Fundimus ecce preces, ut deniq; noſter olympi
Spiritus è membris cedens petat aſtra uolatu.

IOAN. FR. QVINTIANI STOAE DE PASSIONE DOMINI NOSTRI Ieſu Chriſti Tragœdia quæ Theoandrothanatos inſcribitur.

ACTVS PRIMVS.

Angelus loquitur.

PRoh quanta uobis forſan admiratio
Erit, quod atris angelus ſit ueſtibus,
Et quod repoſtus candidæ ueſtis color.
Venio Tonantis miſſus æterno polo,
Vbi refulgent ſiderum tot lampades,

Et quo profundas reſpicit terras pater:
Sum qui ſuperbum reppuli è celſo loco
Cœleſtis aulæ dæmona, & tumidum genus
Se conditori comparans altiſſimo.
Sum nuncius ſummi Dei, & pacis ſacræ.
Non gaudialem ut nunciem uobis diem
Veni relictis ſedibus clari ætheris,
Sed ut inquinandam nunciem uobis diem.
Heu qualis horror, impetus qualis ſubit,
Quales tremores, qualis & iugis pauor,
Elementa cuncta territo inuadent globo,
Tanquam ſupremum conderet cœlum chaos,
Tegerentq́; clarum torpidæ nubes diem.
Quicquid ſtatutum eſt fieri ab æterno die
Oportet, ipſum ſcilicet Chriſtum mori,
Vt à profundo liberet auerno genus
Mortale, dudum dæmonis uinctum dolo.
Hoc conſtitutum eſt antequam tellus foret,
Superumq́; cœlum quàm fuerit actum prius,
Et quàm ante latum cingeret terras fretum.
Iam tempus inſtat, inſtat extremus dies,
Infeſtus ut Chriſtum enecet placidum calix.
En qua ſonorum circuit terras mare,
Et qua ſerenus contegit mundum polus,
Humana proles per te Ieſus obſequens
Cæſus flagellis, fixus & dura cruce
Dabit cruori labiles uias ſuo.

Non amplius Iudæa gens miraculis
Commota Chriſtum perſequetur clamitans,
Benedictus ille qui à ſacro eſt miſſus Deo.
Heu palma nuſquam frondibus ruptis iter
Quà Ieſus ibit conteget, tot millia
Non quinq; ſummo panibus uiuent iugo.
Non ſuſcitabit amplius functos dic,
Vt duplicetur mortis horrendæ gradus.
Sed ipſe diris gentibus ludibrio
Erit, immolatus ſicut agnus uictima.
Nam ſæpe iuſtus peſſimi uices ſubit.
Externus illum nullus ad mortem trahet
Prodens, ſed unus proprio ex commercio
Iudas nephandus, cui paternæ criminis
Cædis remiſſum eſt quicquid, & cui mox fuit
Placide remiſſum, quod thorum matris ſuæ
Temeraſſet: & iam tot bonorum hic immemor
Iudas ferocit, ardet, atq; ardens dolet.
Cogitat Ieſum qualibus prodat dolis,
Quaq́; arte poſſit pectore euoluit fero
Victus ſceleſta piſtici cupidine.
Quid non cupido comprimit fieri nefas?
Quid non prophanum ſuggerit pecunia,
Radix malorum? ſumma in auro iam eſt ſalus.
Humana cogit pectora argenti fames.
Quodcunq; pectus aurea euincit ſitis.
Phas omne rumpit: ſaucius qualis ſacra

Dux

Dux templa uaſtat, miles ut rupit truci
Quicquid inimicæ partis obſtabat manu.
Nuper Simonis hoſpitis Chriſtus domum
Vocatus unà Apoſtolorum cum choro
Intrarat, ecce deferens nardum uenit
Mulier capillis lachrymans ſparſis, dehinc
Rutilum Tonantis piſtico exungit caput,
Quo ſuſtinentur omnium rerum ſitus,
Et quo tenetur machinæ totus globus.
Vt unxit, inde lachrymis lauit pedes,
Demum capillis tergit, & ſiccat ſuis.
Poſtquam profuſum piſticum unguentum fuit,
Apoſtolorum muſſat intus concio,
Velut prophanum crimen exungi caput,
Secumq; tales pectori mentes ferit:
Potuiſſe uendi, & pauperibus illud dari
Nardum profuſum, charitas uelut iubet,
Ne dira premeret pauperum domos fames.
En imperator qualis in medio ſuæ
Degat cohortis, milites taxant ducem,
Vitioq; uertunt quicquid eſt actum probè.
Quos ut redemptor ſenſit, & terræ arbiter,
Cognouit intus fluctuantem ſpiritum,
Variumq; murmur, mentis & uarias uias
Vultu ſereno talibus fatur, premens
Altum dolorem pectoris in imi locis:
O quos ſodales ſemper elegi meos,

Et quos per orbem oportuit Chriſtum ſequi,
Et queis uidere contigit ſummum Deum:
Quid huic moleſti eſtis mulieri perperam?
Ceſſate tantum cordibus ueſtris nephas
Verſare, auaram ponite hanc cupidinem.
Cupido namq; congredi ſenſus ſolet.
Hæc ipſa fecit ut caput noſtrum ſatis
Mulier grauatum, paululum ſanum foret.
Amaritudo plurimum pectus grauat.
Langore multo concidunt ſenſus, meum
Collum labaſcit, ſanitas nulla eſt mihi.
Hæc namq; mulier unxit hoc corpus meum,
Vtpote ſepulchro proximum, & nimis breui
Tranſuerberandum, donec extinctum ſemel
Vitale robur perdat, & uires ſuas.
Non eſt ut unguenti dolor uos occupet.
Nam ſemper ipſos pauperes habebitis
Vobiſcum, egeni qui ſimul uiuent diu,
Sed ſemper ipſum non penes me habebitis,
Nec uos neceſſe ſemper has plantas ſequi.
Heu quicquid imo pectore euoluam breui
Fieri neceſſe eſt, quicquid & ſtatuit pater
Eſt exigendum, nulla quod rumpet mora.
Eſt fas ſupremo deſeram terras die,
Opusq; ſæuis gentibus fiam dapes,
Aſcendam & altum patris immenſi locum,
Vbi manendum eſt, donec extremus dies

Totam

Totam ſonoris machinam flammis ruat.
Vbicunq; tellus qua ſuum ſpargit ſitum,
Et qua tenebris nox aquas furuis tegit,
Hoc quicquid egit mulier, in terris diu
Laudabit omnis, & pium, ac ingens opus.
Quæ poſtquam Ieſus dixit, infelix ſuo
Iudas flagrantem pectore euoluit facem,
Rabie furenti feruidum ruptus iecur.
Non ſecus in altis uritur lignum rogis
Crepitante flamma, pulmo quàm tumens flagrat
Iudæ æſtuantis prodere autorem ſuum.
Iudæa nuper concio intrepido gradu
Cayphæ ſuperbam turbidi intrarunt domum.
Quærunt ruentes inuicem armata manu
Qua poſſit arte Chriſtus adpræhendi, tamen
Iudæa turba non ſat audens pertimet
Sublime paſcha: forte ne in feſto die
Surgat tumultus plebis, & ſurgens tonet
Totam per, urbem, & ne graueis ſpargat neces.
Cayphas at imis æſtuans præcordijs,
Tanquam propheta, neſciens quid diceret:
Opus eſſe cenſet, legibus coram ſuis
Pro populo ut unus pereat: exclamans, Craui
Ne tota forſan gens cadat periculo:
Grauetur unum cæde pro cunctis caput.
Sed dum ſenatus has moras dubias trahit,
Iudas medullas uſtus intrauit domum,

Primo trementi corde. ſic fatus tamen
Inquit, repoſta paululum formidine.
Saluete ſummi principes, quorum pater
Magnus gubernat iura cœligera manu,
Et queis Ieſus obſtitit ſemper nocens,
Et quos iniquo ſemper inſtruxit modo.
Quid tempus iſtud irriti conſumitis?
Et cur ſedendo trahitis has longas moras?
Differre nocuit præparatis ſæpius.
Factis agendum eſt, uerba non ſolidant fidem.
Scio quid imo cogitetis pectore,
Qua poſſit arte ſcilicet Chriſtus capi.
Nulla arte, nullis decipi poterit dolis,
Niſi ipſe caute præbeam, & ducam. nimis
Scitis per urbem diligi, plebis ſtatim
Surget (niſi ipſe fauero) armipotens furor.
Quod detur ergo præmium, ô ſummi patres,
Si contumacem duxero in ueſtras manus?
Vel inobſequentem dedero? nam leue eſt mihi
Per phas nephasq; conſequi optatum, leue eſt
Præbere latam maximæ uiam rei.
Vbi moretur cognitus nobis locus,
Mox fidit in me, proditorem me ſui
Nunquam putaret, decipi hoc poterit modo.
Amicum amicis decipi eſt notum dolis.
Vt hæc profatus, principes, antiſtites,
Et tota gentis concio, miti manu

Amplexa

Amplexa Iudam eſt, offerens argenteos
Triginta. iniquus quos ut accepit, redit
Ad conditorem, & orbis æternum patrem.
Sed nil patratur, quin poli rector ſciat.
Eſt omne notum prouido incluſum Deo.
Rex hominum im ima pectoris uidet loca.
Iam conſtitutum eſt in domo alta Antiſtitis,
Moriatur iſto Chriſtus omnino duce.
Iam ſe pararunt milites, uis gentium
Surgit, per urbem principum infidum genus
Tonat, remugit undiq; hoc ſtrepitu ſolum,
Infauſta tandem corruet ſtridens phalanx.
Vbi ubi tuus Iudæa gens habitet nitor?
Synagoga contra præſidem ſurgit ſuum.
Iam ſummo olympo conſtitutus eſt locus,
Vnde angelorum lugeat cœtus diem.
Hodie ſuperna ſede ceſſabit melos,
Et triſtis æther flebilem emittet ſonum.
Iam ſummus arce cernet æterna pater
Natum immortali proprium, uelut hoſtiam.
Et ne ſit expers Maria cladis filij
Virgo, tremendæ uirginis adibo domum.

ANGELVS ALIVS.

Trinus & unus
Rector olympi,

Quàm

Quàm prius eſſet
Lucis imago,
Mittere natum
Condidit orbi.
Inde creauit
Primitus illum,
Quem ſua coniux
Vana feſellit.
Crimine quo iam
Lege ſtatutum eſt,
Quemlibet atra
Morte premendum.
Quilibet ergo
Ventre parentis,
Editus, almis
Veſcitur auris,
Mortis ob alta
Iura peribit.
Ergo Tonantis
Sancta propago,
Iure ſacranda
Victima fiet,
In cruce dura.
Sed tamen alma
Mater Ieſu,
Neſcit iniquæ
Tempora mortis.

Limina cuius
Angelus alto
Miſſus olympo
Nuper adiuit.
Certior ex quo
Facta querelis
Pectora rumpet.

MARIA VIRGO. MAGDALENA. MARIA LOquitur.

Supreme cœli genitor, & terræ potens,
Qui cuncta ſolo concutis nutu tuo,
Qua Phœbus exit & intrat horriſonum mare,
Et qua arcticus fulget, uel aduerſus polus,
Quæ phama ad aures uenit exhorrens meas,
Quæ noſtrum adacta perforat pectus? uagans
Per ima mœſti pectoris & ardens loca.
Heu triſtis hora, triſtis extremus dies,
Quo per dolores filio extincto trahar.
Voraginoſo protegi ſi fas chao
Mortale quicquid naſcitur, cur me Pater
Non potius iſtam perpeti eſt opus necem,
Quàm tantus imum degrauet pectus dolor?

O cœ-

Mar. Et cur neceſſe perpeti gnatum crucem?
Potius ferendum eſt mortis alienum genus.
Mag. Ligno patratum eſt crimen infauſtum prius,
Ligno neceſſe eſt crimen infauſtum lui.
Mar. Saltem periret, ſi mori omnino licet,
Sub orbe miti, uel per humanas manus.
Quoſcunq; terris mitibus iuuat mori,
Mortis qnietem præparant lenem ſuæ.
Quid peius uni gente quàm dira mori?
Mori benignis manibus eſt ſolatium.
Iudæa peior gens leæna eſt Aphrica.
Mag. Placet hoc parēti, obſequitur (ut iuſtū eſt) patri.
Mar. Laniandus ergo? Mag. Sicut edixit pater.
Mar. Quicquid uoluntas præcipit patris ſui,
Ille exequetur, ſanguinis guttam modo
Spargat, cruentum cur uelit lignum pati?
Mag. Quicquid ſuperno trinitas ſemel polò
Statuit, neceſſe eſt fiat. exitij genus
Crudele magnum competit primum ſcelus.
Amara mors eſt, fructus ut dulcis fuit.
Mar. Subcreuit imis pectoris languor locis,
Audita uox eſt, filij noſtri ſoror,
Cuius uidebo corpus erumnis tumens.
Mag. Fletu repoſto contice (tempus monet)
Ne te querentem ſentiat, gemitum ſinas.
Se Ieſus obfert, propero, tu interea ſile.

MAGDALE. CHRISTVS, Maria.

Magdalena loquitur.

VEni redemptor omnium & iuſtum caput
Ab arce miſſum olympica,noſtrum ueni
Lenimen,à quo prouenit quicquid boni eſt,
Et quo mouetur undiq; inuito nihil.
Attolle paulum matris immenſos tuæ
Luctus,gemiſcit,fletibus domus ſonat.
Chri. *Cur luget ipſa? & fletibus domus ſonat?*
Mag. *Timet ne in urbē eas,& hoc ſummum dolet,*
Ne pectus alto pendeat ligno tuum.
Tuæ parentis conſidet tecum ſalus.
Potes mederi fletibus,uenias modo.
Seruare matrem,perdere & matrem potes.
Hic tuta nobis ſtatio,& hic tutus locus.
Chri. *Paterna neſcis iuſſa,& ignoras ſoror,*
Quare micanti miſſus in terras polo
Fuerim. Mag. *Prophanā ut liberes gentē ſcio.*
Chri. *Et ſi prophanam ut liberem gentē eſt opus,*
Opus eſt pati. Mag. *Sit ſaltem opus mortem pati,*
Mitem precamur,dummodo abſit mors crucis.
Chri. *Oportet omne quicquid à ſummo patre*
Eſt conſtitutum perfici,& quicquid prius
Dixere uates exigi,an mater uelit
Ne paream læto Patri uultu meo?

Eamus

Eamus, illi tantus ut cadat dolor.
Mag. *Occurrit ecce mater aduentu tuo,*
Solare matrem dulcibus uerbis precor.
Chri. *Mater quid imis fletibus rumpis iecur?*
Matrem ſalutat filius mœſtam ſuus.
Mar. *Fili ſalutis nullus eſt noſtræ locus,*
Turbata mens eſt, undiq; eſt neruis tremor,
Ardent medullæ, deſerit uenas cruor.
Acutus enſis transforat pectus meum.
Fili dolorem paululum extinguas precor.
Solare matrem, quicquid eſt iuſtum peto.
Potius tremendæ ſæuiant in me manus
Populi frementis, quàm tuum corpus uorent.
Chri. *Mater benigna mater, ô patris mei*
Electa ſponſa, lachrymis ponas modum.
Patienter iſtam uirgo patiaris uicem.
Felice uita ſtetimus in mundo diu.
Triginta & annos cum tribus uixi ſimul,
Vbi iuuentus floruit tecum mea.
Toties ſupernum prodidi patrem meum,
Toties repleui gaudio pectus tuum,
Vt liceat aliquid perpeti demum mali.
Eſt nulla firma temporis felicitas,
Quandoq; rebus ſe malum immiſcet bonis.
Mar. *Triginta & annis ſtetimus hic unà tribus,*
Fateor, ſed ingens ſæpius preſſit timor.
Herodis olim quum ira ſæuiret trucis,

 Ti-

Timui ne iniquas ſubſtrens gentis manus
Premereris,& quum diſputans olim puer
Solus repertus. Chri.Parui iuſſis patris.
Mar. Futura noſtros conprimunt ſenſus magis.
Mors peior ipſo ſemper eſt cunctis metu.
Mors differatur. Chr. Cras erit mortis dies.
Mar. Si conſtitutæ cras erit mortis dies,
Moriaris atra nocte,ne ſpectet necem
Populus nephandam.dedecus ſummum die
Erit, ſi in alta pendeas fili cruce.
Chri. Heu uirgo moriar,& meum corpus palàm
Spectante populo ſanguinem ſparget ſuum.
Medius micabit cum moriar ingens dies.
Mar. Fili quid inquis? Chr. Moriar in ſumma cruce.
Mar. Morieris ergo? Chri.tẽpus extremum uocat.
Mar. Tẽpus futurum. Chri.Hæc ultima eſt nobis dies.
Hodie facultas ſola me ut ſpectes datur.
Mar. Moriar uel ipſa tecũ,& extinguar ſimul.
Chri. Quàm ſit tremendum mortis inſolitum genus,
Quod eſt ferendũ à filio neſcis tuo.
Mater neceſſe eſt defluat noſter cruor,
Meoq́; ſanguine ut ſit humanum genus
Redemptum,& alti ianuam oſtendam poli.
Iam uenit hora mortis.Mar.Illa heu mors furit.
Chri. Quamuis ſupremo deſeram terras die,
Mutemq́; uitam morte funeſta,tamen
Poſt treis reſurgam (hoc præcino) mater dies,

Et

Et te reſumpto corpore, & uictor necis
Solabor, unde maior exurget quies.
Mar. Honeſtus ergo detur huic morti locus.
Chri. Crucifixus ero caluariæ in ſummis iugis,
Vbi fætor ingens funerum, & redolens ſitus.
Mar. Quod dedecus? *Chr.* Erit maius. *Mar.* hoc maius (refer.
Chri. Inter latrones ſtabo crucifixus duos,
Ridebor, omnia inſuper conuicia
Patiar, leuabunt felle mox gentes ſitim.
Mar. Fac ſaltem ut ipſa corpus extergam, tuos
Oculosq́; claudat noſtra morientis manus.
Chri. Non ulla dabitur copia hoc corpus meum
Tergendi. ab ipſis undiq; armatis premar,
Qui me cadentem ſæpius peſſundabunt.
Mox altitudo mater impediet crucis.
Ne præſtet oculis dextera officium manus.
Mar. Heu ſi te oportet ire per diras manus,
Oró per iſtud pectus, & nitidum caput,
Saltem per octo ut ſtes ſimul mecum dies.
Chri. Non eſt quod oras iuris ô mater mei,
Mora nulla iamiam filio mater tuo eſt,
Neceſſe magnis obſequi iuſſis Dei,
Nil conqueraris, flebilis ceſſet dolor.
Mag. Ah ſumma cœli, & generis humani ſalus,
Matris benignis pareas iuſſis tuæ.
Chri. Vnum hoc supremũ filius mater petit,
Solito en reflexũ eſt more (benedicas) caput.

Mar. Benedico fili, dummodo hic adſit mora.
Chri. Heu ſi precando filius quicquam poteſt,
Obſecro mater. Mar. Quid? Chr. Caput ſacres meum.
Mar. Et ſi neceſſe eſt patris edictis mori,
Sit ſemper una patris inuicti ſalus.
Benedico fili. Chr. Mater extremum uale.
Commendo matrem Martha dilectam tibi.
Quid fles? gementem hortabitur matrem gemens?
Eamus hinc Apoſtoli, tempus uocat.
Mag. Heu uirgo cecidit, ſolitus exceſſit color.
Intro feratur. Mar. Vltimum eſt noſtrum uale.

CHORVS.

Proh quantus dolor, ah dolor
Infelix, dolor intimus.
O rex qui ſolio cernis ab alto
Mortaleis animos, quiq; triſulca
Permotura quatis fulmina terras,
Et cuius merito lumina. Titan
Mittit flammiuomis clara quadrigis,
Auertas Mariæ corde querelas.
Proh quantus dolor, ah dolor
Infelix, dolor intimus.
Gentes conueniant ſolis ab ortu,
Et quas deciduus Phœbus adurit,
Sic quas ſub zephyro frigora torquent,
Sic gentes Libyæ uirginis acres

Mirentur lachrymas, dent quoq; fletus.
Proh quantus dolor, ah dolor
Infelix, dolor intimus.
Sic tellus reboet, ſaxa, lacusq;,
Montes cum fluuijs, ſtagna, paludes,
Inſanum reſonet fletibus æquor,
Fluctus non humiles littora pulſent
Emiſſo ſtrepitu curua ſonoro,
Lugubri lachryment uirgine cuncta.
Proh quantus dolor, ah dolor
Infelix, dolor intimus.
Hanc imo trepident dæmones orco,
Luce exhauſta ruant tartara, lucem
Demonſtret ſuperam facta uorago.
Virgo flebilibus luctibus imum
Verſat uirgineo corde dolorem.
Proh quantus dolor, ah dolor
Infelix, dolor intimus.
Iuit magnificam Chriſtus in urbem,
Vt cum diſcipulis paſcha celebret,
Quod cum diſcipulis paſcha ſupremum eſt.
Hæc eſt illa dies quam Pater alto
Cœlo conſtituit dæmona contra,
Scutum perpetuis adfore ſeclis
Humano generi. fortius ergo
Omnes hic humili corde precemur,
Ne pectus Mariæ dulce fatiſcat,

Aſt ut ſit lachrymis meta modusq́;.
Proh quantus dolor, ah dolor
Infelix, dolor intimus.

ACTVS SECVNDVS.

Chriſtus, Apoſtoli, Iudas.
Chriſtus loquitur.

SCitis piandi tempus eſſe paſchatos,
Quod ſemꝑ unà cupij, et à primo die
Vobiſcum Apoſtoli ſacratū mādare,
Quo matris aluo natus intacta fui.
Iam iam propinqua eſt paſchatos ſummi dies,
Optata ſummis ſemper in uotis mihi.
Hoc eſt ſupremum tempus, extrema eſt quies,
Quæ conſtituta eſt à meo inſigni patre.
Iam fas propago ut uirginis ſpargat ſuum
Latè cruorem, & ultimo cedat die.
Poſt tres reſurgat denuò eſt opus dies.
Apo. *Magiſter alme, & omnium rerum arbiter,*
Vbi paretur paſcha præcipias locum.
Et ſi neceſſe eſt ultimum tempus pati,
Et deſtitutum linquere hoc commercium,
Saltem ſupremum paſcha mandamus ſimul.
Chri. *O Petre, noſtra conditum uas gratia,*
Amore cuius pectus exultat mei,

Et

Et quem fatigat feruor ardeſcens patris.
Et tu ô Ioannes, ſacri arca ſpiritus,
Cui ſemper omne credidi archanum meum.
Sit nulla greſſum temporis tardans mora,
Auferte inertem paſſibus ueſtris gradum.
Adeatis, urbs quà mœnibus cingit domos,
Occurret unus deferens laſſa manu
Aquæ lagenam, quo iuerit ſequemini,
Et quum reponet dicite actutum uiro,
Vt ſit paratus paſchati ſacro locus,
Quoniam magiſter paſcha mandendum iubet.
Apo. *Abiere Ieſu, præparabitur locus,*
Non eſt morandum, ueſper adeundum docet.
Chri. *En urbis alta mœnia adparent procul;*
Quæ ſi parentem ignara nouiſſet ſuum,
In pace ſumma uiueret, genti quies
Diffuſa miſeræ gaudium ſummum daret.
Apo. *Extrema cuncta tempus extremum parit.*
Chri. *Iam phœbus alto condidit iubar mari,*
Et ſtridet unda feruidis gemens rotis,
Lumen ſerenus lucifer ſpargit ſuum,
Aperitq́; cœli ſidera excedens dies.
Animalia antris conticebunt, alites
Laſſis quietem leniter membris dabunt.
Colles profundos, fluminum curſus, iuga,
Montes, theatra, porticus, thermas, domos,
Solitum tenebit nocte in hac ſilentium.

Sed nos moleſtus gentium obtundet fragor,
Spargens per imos pectoris ſenſus minas.
Apo. *Locus eſt paratus, quicquid imponas iube.*
Chri. *Sedete cuncti, eſt ultimus nobis locus.*
Medius magiſter menſa in hac ueſter ſedet,
Quilibet in imo pectore hæc condat ſuo,
Secumq; uerſet quicquid extremum loquar.
Iamdudum olympus antequam factus foret,
Et quàm micaret ſolis ardentis caput,
Deſiderans deſideraui mandere
Hoc paſcha uobiſcum, priuſquam à gentibus
Patiar ſtatutæ mortis erumnas graueis.
Conceſſa longi temporis nulla eſt mora.
Sed ſi loquendi paululum tempus monet,
Fateor ſupremo quicquid occurrit die.
Non amplius uobiſcum erit fas mandere,
Nec tam ſalubri perfrui commercio,
Donec micabit ſedibus cœli meum
Corpus refulgens, patris ad dextrum latus.
Apo. *Iudæa nunquid concio audebit potens?*
Quæ tanta faſtus gloria? & tantus tumor?
Chri. *Quàm magna ueſtræ eſt cæcitas mentis. manus*
Iudæa nunquam poſſet hoc faſtu frui,
Nec tantus illam cogeret gentem tumor,
Vnus magiſtri proditor ni eſſet ſui.
Me namq; ueſtrûm in hoſticam ducet manum
Vnus, magiſtri proditor factus ſui.

Apo. Quis ille noſtrûm proditor tantum nephas
Inibit? omnes ſæuiant, corpus uorent,
Viuus cruentis oſſibus fiat cibus.
Surgamus unà, & unguibus lacerum caput
Laniemus, uno ſurget extincto quies.
Ouile totum morbida extinguit pecus.
Chri. Quicunq; mecum tingit in paropſide
Manum, prophano proditor fiet dolo.
Nullum per annos præmij eſt expers bonum,
Nullumq́; pœnæ noxiæ eſt expers malum.
Lento Tonantis ira progreditur gradu,
Quo tarda patris ira ſuccedit, magis
Supplicia in omne ſæuiunt hominum caput,
Et tarda duras dat mora erumnas magis.
Minatur illi qualis infelicitas,
Per quem hominis alta filius moriens cruce
Riuos cruentos pectore erupto dabit.
Bonum fuiſſet, aëris ad auras leueis
Si nunquam ab aluo matris exiſſet ſuæ.
Iud. Nunquid futurus proditor Iudas tui?
Chri. Tu dicis. acre pectoris faſſus malum.
Animo reuoluis quicquid infelix tuo,
Citius repoſta temporis fiat mora.
Quam tarda nimium gratia ingratum facit,
Eſt grata cunctis gratia emergens cito.
Adpræhendo panem, mandite hunc Apoſtoli.
Hoc eſt enim corpus meum, noſtra eſt caro.

Quam

Quam dira turba deuoret uelut dapes,
Lanietq́; crudo dente inhumanum genus.
En uina ſumo ſanguinis partem mei,
Omnis ſacratum ſanguinem noſtrum bibat,
Qui pro ſalute gentis humanæ fluet,
Et rumpet omne quicquid adſtruxit draco.
Magiſter autem ueſter ex hoc non bibet
Vobiſcum, olympo donec in celſo ſuum
Corpus ſedebit dexteram ad patris manum.

CHRISTVS, PETRVS, Apoſtoli.

Chriſtus loquitur.

IAmiam ſupremi paſchatos properat dies.
Conſumpta cœna eſt, ultimus noſter cibus.
Adeunda cœna alterius eſt nobis cibi.
Hic inter omnes conſtitit, cuius cito
Corpus per arma milites quaſſum trahent.
Et qui cupitum uineæ fœtum bibit,
Cras felle acetum turgido mixtum bibet.
Hic eſt lauacrũ. Ap. *Hoc patimur?* Ch. *Eſt iuſtũ pati.*
Apo. *Quid eſt lauacrum quod manibus offers tuis?*
An nullus iſto dignus eſt negocio?
Chri. *Sedete cuncti, donec abluero pedes.*
Ex me laborem diſcite extremum pati.

Qui-

Quicunq; ueſtrum maior eſt, fiat minor.
Odit ſuperbos, diligit mites Pater.
Petr. Superbe Iuda pateris? heu ceſſem? morer?
Apo. Cur ceſſat alto fulmen excuſſum polo?
Petr. Non me lauabis. Chr. Petre quid renuis? mane.
Petr. An hoc agendum? filio adſurgit pater?
Inhoneſta res eſt, ſubditis regem ſuis
Parêre, tetrum potius emergat chaos.
Et ſi labaret machinæ totus globus,
Et ſi profundi tartari redolens ſitus
Teneat ſupernos angelis pulſis lares,
Ruant ſuperni lampadum facies poli,
Orbis repertor laueris nunquam pedes.
Cri. O Petre, neſcis temporum uarias uices.
Non ſemper unum eſt tempus, at uarium rotat.
Si non Tonanti pareas tantum ruens,
Nec ſi ipſe iamiam lauero pedes tuos,
Nunquam tenebris cœlicas mecum fores,
Nec te locabo patris in ſinu mei.
Petr. Non tam magiſter laueris noſtros pedes,
Sed membra cuncta, pectus, & totum caput
Mergatur undis, dummodo aſcendam polum.
Chri. Vt uos ſciatis, lauimus Iudam prius,
Quàm ſit Tonantis filius mitis. ferox
Iudas abiuit, promptius facinus ſuum
Vt patret. omnes qua Cedrus mittit uagos
Fluctus, ſonanti perſonans torrens uado,

Eamus

Eamus,ingens ecce iam cœlum micat,
Et lumen altæ ſiderum facies rotant.
Iam mons Oliuius conſitus ſurgit procul,
Latumq́; collis monſtrat aſpectum ſui.
Amica turba aduerte quid demum loquar.
Hac nocte cunctos rapidus inuadet tremor,
Fugietis omnes pectora oppreſſi metu.
Et ut imperator deſeri in caſtris ſolet,
Solus relinquar gentium in ſæua manu,
Quæ me grauabit plurimis uinctum malis.
Eſt ſcriptum ab æterno in mei patris ſinu,
Percuſſus ictu paſtor infelix graui
Horreſcet,& grex ſparſus effugiet tremens.
Poſt triduum ad auras uiuus exurgam leues,
Poſtquam ſeueri ferreas limbi fores
Tractis Prophetis rupero,& furuum chaos,
Tunc uos reſurgens ipſe præcedam meæ
Galilææ in oris.Apo. Nuncians quantum gemit.
Petr. Si te relicto cæteri fugient metu,
Si fulgicantem comprimant gentes polum,
Non te relinquam:ſi grauis terras tremor
Scinderet hiantes,ſi poli totus ſitus
Rueret rubentes fulminum emittens ſonos,
Fiant profundæ cuſpides ſyluæ,fremant
Folijs phalanges,te ſequar fortis diu,
Donec ſub auras ſpiritum effundam meum.
Chri. Trophæa uerbis plurimi excelſa erigunt,

Quæ pòſt tueri non queunt geſtis ſuis.
Verbis ſuperbus omnis, at factis cadit.
Non uerba geſtis, geſta non uerbis ſonant.
Hac nocte gallus antequam cantans diem
Signet futurum, feruido pulſus metu
Ter me negabis, & tuum renues Deum.
Petr. Potius ſonoris me obruat gyris fretum,
In me Cayſter ingruat fluctu ſuo,
Vorago potius me obruat terræ patens,
Quàm te refugiam feruido pulſus metu.
Sum Petrus, ecce exæſtuat pectus meum.
Et ſi neceſſe me me adhuc tecum mori,
Quodcunq; tecum patiar & mortis genus.
Sum magnus ore, maximum effectus dabit.
Chri. Gethſemani in altum uenimus tandem locum.
Hic nullus aures ſtrepitus armorum ferit,
Sed longa nimium non erit nobis quies.
Hic eſt morandum Apoſtoli: mecum Petre,
Et tu ô Ioannes, & Iacobe ôminor,
Venite mecum. AP. I præ, ſequemur gratius.
Chri. Sedete: nullus lumina oppreſſet ſopor.
Oretis unà, exerceant ſenſus preces,
Vigilemq; detis pectori cuſtodiam.
Curis grauatos nulla congreditur quies.
Hic eſt manendum, donec hoc precer loco.

CHRI-

CHRISTVS, ANGELVS.
Chriſtus loquitur.

O Qui ſupernis imperas aſtris pater,
Et cuius ingens conticet nutu fretum,
Tuus reflexo filius mœſtus genu
Mittit cruentis ſanguinis guttas genis.
Metus occupauit, ultimus calcat dolor,
Guttis cruentis undiq; hæc tellus rubet.
Stillat perennis pectore infirmo cruor.
Titubant medullæ, concutit pectus gelu.
Sum factus una nuper erumnis domus.
Agoniarum plena uexatur caro.
Pater, ſi honeſtum eſt, tranſeat durus calix.
An ſit ſupremos congruum dies pati,
Tui uoluntas fiat, & quicquid uelis.
Reuiſo Petrum, uigilet an mecum ſenex.
O Petre Petre, ſubdito dormis metu?
Cur non poteſtis unicam mecum Patrem
Vigiles per horam petere ab æthereo polo?
Vigiletis omnes, abeat hinc dulcis ſopor.
Nam promptiore ſpiritu, infirma eſt caro.
Orem neceſſe. ô Genitor, has ſumas preces.
Abire durus ſi calix à me nequit,
Calicem ſupremo niſi die bibam Pater,

Fas

Fas te iubere eſt,iuſſa me licet exequi.
Non dormiendum eſt,ſomnus hinc abſit procul.
Orate mecum denuo donec precer.
Pater ſolutis pectoris neruis meum
Corpus tremiſcit,undiq; eſt languor grauis.
Et ſi neceſſe patiar extremum diem,
Solare paulum filium ô genitor tuum.
Ang. O ſtirps Tonantis ſedibus ſummis Pater
Tuus querelas audijt,rigidam crucem
Patiare fas eſt. en ſacræ ſignum crucis,
Qua conſecratum ſpiritum pendens dabis.
Hæc eſt columna,quam tuus maculet cruor.
Hæc ſunt flagella,queis tuus ſanguis fluat.
Hæc haſta dextrum cuſpide expunget latus.
Hæc eſt corona,quæ tuum cinget caput.
Hi claui adactos,manibus & fixis,pedes
Figent rigenti cuſpide in ligno tuos.
Iſta eleuabunt ſpongia gentes ſitim.
Harundo dextræ dabitur in iocis tuæ.
Exurge,Patri hæc omnia æterno placent.
Reuertor alti ad lympidos cœli lares.
Chri. Quicquid ſereno præcipis genitor polo,
Tuis ſubactus legibus patiar libens.
Et ſi cruenta grauius eſt nihil cruce,
Crucem lubenti corde conſcendam tamen.
Vbi Petre tantus feruor in ducem tuum,
Magnifica quantum uerba monſtrarunt prius?

Abſit repente luminum dulcis quies.
Solet nocere pectori infirmo ſopor.
Surgite,propinquat proditor,lucent faces,
Aër fragore quatitur inſano,ruunt
In nos per atram milites noctem,prope eſt
Qui me premendum in bellicas gentes trahat.
Ingrate popule, popule quò demens ruis?
An concitaui plebis ardentis faces?
Quò tendis audax popule?num regem tuum
Audebis armis adgredi?in noctem minax
Es factus?in me cogis armatam manum?

IVDAS. IVDAEI.
CHRISTVS.
Iudas loquitur.

QVicquid tribuni iuſſero,fiat ſtatim,
Ne præda noſtram cauta decipiat manum.
Veniant cateruæ,militum armatus chorus,
Noctis tenebras igneæ pellant faces,
Laterna noſtrum monſtret ardeſcens iter,
Seductor ullo ne fugere poſſit modo.
Iudæ.Iuda paratum eſt agmen,horriſonis micat
Aër tot armis,fulgidum eſt telis iter,
Detractor ille an credis à noſtra manu
Poſſit tueri?Iud. Cæſaris magni phalanx
Adſit,repertis non tamen fugiet dolis.

Rue-

Iudæ. Ruemus omnes impetu facto, uelut
Ruunt fugaces turbido uenti freto?
Iud. Audite quicquid dixero, inſtructos uelim.
Eſt tortuoſus, adſtruit dolos dolis.
Iudæ. Quicquid citatum dixeris factum refer.
Iud. Quemcunq; noſtris oſculis donauero,
Et quem lacertis fuero complexus meis,
Ille eſt, tenete. Iudæ. Nouimus toties prius.
Iud. Facile poteſtis decipi. eſt unus ſimul
Qui uultu Ieſum referet, & ſtatu pari.
Hortus propinquat, ſæpius ubi perperam
Solet precari neſcio quem altum patrem.
Iudæ. Adparet ecce lætus. Iud. Amplectar ſtatim.
Chri. Abſit moleſtus cordibus ueſtris pauor.
Me quærit unum turba, uos omnes ſinet.
Videte quantum proditor gentes mouet.
Venator alto non ſecus uerſat iugo,
Quum uiſus agilis canibus infeſtis lepus.
Iudæ. Occurrit ecce, cœpit an pectus tremor?
Iud. Venite poſt me, ſubſequi poſſet malum.
Aue magiſter. an tot armatos tremis?
Chri. Amice, qualis exitus qualis tuus?
Quo ſic prophano merſus es nuper dolo?
Namq; hoc Tonantis oſculo prodis genus.
Sub melle dulci toxicum dirum latet.
Sermone blando fraudibus texis locum.
Ingrate nimium, nimium & inſipiens, tuum

Prodis magiſtrum, uidit hoc ſummus pater.
Amice Iuda Chriſtus hanc per te necem
Patiatur, & quid debui Iuda? hoc decus
Eſt id quod unà uiximus? Chriſtus nihil
Peccauit in te. patior hoc atrox malum,
Quod te cohorti addixeram quondam meæ.
Spolia ampla, ſummam ſcilicet laudem refers.
Iudæ. Verbis tenemur, facta contundent magis.
Quicquid loquatur, impudens dæmon ſtruit.
Chri. Quem uos tot armis quæritis gentes? loca
Infeſta non ſunt hoſtibus, bellum iacet,
Quæ cauſa ueſtræ milites fuit uiæ?
Quem quæritis? quò ueſtra protendit manus?
Iudæ. His Nazarenum quærimus Ieſum locis.
Chri. Ego ſum. reſurge, nullus oppreſſet metus.
Amica turba, ſemper & amicum genus,
Quem quæris? an ſic paſchatos ſacri dies
Parandus armis? hoſticum iactas ſonum,
Tanquam penates bella conuellant tuos?
Quem quæris? iſto nullus eſt hoſtis loco.
Iudæ. His Nazarenum quærimus Ieſum locis,
Tonantis hoſtem, generis humani facem.
Chri. Ego, ſum, reſurge turba, quò demens ruis,
Quò tanta pergit militum noctu manus?
Eſt hora noctis, iam ſuum mandat iubar
Cœleſtis aula, ſidera effulgent polo.
Iam tempus in quo corpora aggreſſus ſopor,

Omnes quieſcunt, lucifer cœlum tenet.
Quid tu per umbras fuſtibus, telis, face,
Iudæa turba quæris? horriſonum minax
Agmen quid offers? hoſtis an Chriſtus tuus?
Iudæ. Quærimus Ieſum, legis inimicum Dei.
Chri. Quid opus micanti quærere eſt Chriſtũ face?
Ieſus en, quem quæritis, coràm hic adeſt.
Sum Chriſtus ille, nullus eſt nobis timor.
Quid facitis? ultro Chriſtus occurrit placens,
Offertq; ſeſe ſponte per diras manus.
Si me ergo quæritis, ſinite gentes meum
Abire cœtum, præhendite hunc unum. Pater,
Sum captus acri gentibus noſtris modo.
Propulſat omnis, omnis obtundit, meum
Collo reuincto ſpiritum fauces tenent.
Iudæ. Sceleſte, tandem perfidas mentis tuæ
Leges prememus, euoces patrem tuum
Cœleſte qui te protegat nutu. miſer,
In urbem eundum eſt, noxium ut facinus luas.

CHORVS.

O Nox ſideribus tuis
Cedas, tartareum chaos,
Et ferrugineus ſitus
Vmbrent ſidera olympica.
Non ſat per tenebras tuas
Vmbrari poſitum ſolum,

Infandum facinus nimis
Patratum in ſuperûm ducem.
O Iuda, nimium tui
Chriſti proditor impie,
Cur ceſſant ſacra fulmina
Quin te concutiant reum?
Exurgant proprijs locis,
Et te marmora comprimant,
Ceſſet lumen Apollinis,
Et non ſit uia dans iter
Securum, atq; aqua deneget.
Serpentes fera ſibila
Deſertis Libyæ locis
Tollentes lanient, leæ
Morſu marmaricæ uorent.
Et quis te fuit acrior?
O Iuda, & quis acerbior?
Num te uendere diſpudet,
Quem uix terra polus fretum
Complecti dominum poteſt?
Chriſtus præcipuis lictus Apoſtolis,
Corpus multimodis cladibus obſitum
Offert pro populis neci.
Priuatur nitidis crinibus & caput,
Venis proijcitur ſanguis hiantibus.
Quid uirgo miſeris luctibus ingemit?
Ah ſi cerneret inclytum

Corpus

Corpus percutier, ferè
Iret ſpiritus ad deum.
Sed iam pectora uirginis
Rumpentur gemitu graui,
Portat nuncium Apoſtolus.

ACTVS TERTIVS.
IOANNES. MARIA. MAGdalena.
Ioannes loquitur.

O Luctus, horror, gemitus, anxietas, dolor,
Amaritudo plena ſingultu graui,
O mœſtitudo pectoris, mentis pauor.
Mar. Neceſſe flere. *Mag.* Virgo quid tantum gemis?
Mar. Amaritudo pectus obtundit meum.
Mag. Non eſt dolendū. *Mar.* Quid dolēdum nō mihi?
Mag. Poſſet precari filius patrem ſuum.
Mar. Et quid precari filius poſſet patrem?
Mag. Abire durus poſſet ut demum calix.
Ioan. Hodie recedet dulce præſidium meum.
Mar. Licet uoluntas patris immenſi foret,
Ne noſter alta pendeat Ieſus cruce,
Tamen periret. *Mag.* Nunquid eſt precium mori?
Mar. Iudæa gens eſt inuida, impellet mori.
Ioan. Quatitur Ieſus, mater infelix gemit,

Spoliatus ipſe, nullus hoc lætus die eſt.
Mag. Non eſt timendum, principum nouit dolos
Iudas, Tonantem credidi Iudæ, fremat
Iudæa turba, proteget Iudas tuum
Virtute uel ui filium, an tantum doles?
Abſint querelæ, triſtibus nulla eſt quies.
Mar. Quàm longus errat oſſibus noſtris tremor,
Frigus uagatur, poſſidet corpus gelu,
Qua pectus ambit fluctuat noſtrum caro,
Oculi uacillant, deprimit languor caput.
Commiſſa ſæuo nuper eſt pecus lupo.
Iudas nephandus prodet, & peſſum dabit.
Mag. Fidus uagiſtro uiſus eſt ſemper ſuo.
Mar. Eſt nulla cordis firma uel conſtans fides.
Omnis uel auro rumpitur uiſo fides.
Timeo repente ne accidat uerum metu.
Mag. Crebro timorem cogitans patitur malum.
Imaginantis peius in mentem cadit,
Maiora ueris quilibet retur mala.
Mar. Rear minora? Mag. Cogites hortor minus.
Mar. Maiora credo, maius occurrit malum.
Mag. Scirem libenter qualiter res ſeſe habent.
Mar. Miror uel unum hoc, nuncius nullus uenit.
Ioan. Qua fronte narrem uirgini? adgrediar fores,
Aperite, luctu pectus & ſenſus tument.
Mag. Quid eſt quod audio fores noſtras quati?
Mar. Adacta cuſpis per media cordis loca,

Ea-

Eamus ambæ,magnus ambabus timor.
Mag. Moreris,ipſa uidero. Io. *Venit dies*
Extrema tetri temporis,luctus premit.
Aperite,luctu pectus & ſenſus tument.
Mag. Noſco gemendo cui ſuum pectus tumet,
Quid eſt Ioannes? *quid extremum gemis?*
Ioan. Extrema cogunt gemere me extremum mala.
Mag. Vbi ueſtis? & cur nudus huc uenis quaſi?
Ioan. Spoliatis eæ. Mag. Ecquis ſpolia geſtat tua?
Ioan. Soror futuro certior fies malo.
Vbi uirgo,ſuperi mater infelix Dei?
Mag. An facta nuper mater infelix Dei?
Hic eſt Ioannes, *ſupremum iſtud refer.*
Ioan. Singultus ater,mœſtitudo pectoris
Loca occuparunt,uocis occluſum eſt iter.
Arteriarum ruptus hoc luctu uigor.
Mar. Arteriarum denuo exurgat uigor.
Ioan. Fremit tumultus. Mar. Vox inhæſit faucibus.
Mag. Magnum repreſſæ uocis eſt præſagium.
Ioan. O uirgo mater,uirgo mater omnium,
Captus magiſter,copiæ uinctum tenent.
Ah quanta ſtrages filium tuum premit.
Non eſt dolorum genere acerbior dolor.
Quicquid laborum eſt deprimit uaſta domo,
Ac quantus horror,uerberum ſtridet ſonus,
Veluti flagellis mille tortores fremant.
Quatitur,gemiſcit,omnem pœnarum eſt genus.

 Mag.

Mag. Hei mihi inquis? patitur hoc Chriſtus malum?
Virgo per imum concidit triſtis ſolum,
Vbi requ ram? quis erit adiutor? meus
Fauiſſor? errat miles extincto duce.
Ioan. Eſt uiſus aure triſtior, ſi quis deum
Vidiſſet inter ordinem implacabilem,
Animam per auras ſenſibus ruptis daret.
Mag. Reſurge uirgo. Io. Fiat iſtud promptius.
Mar. Hoc eſt ſacrati nuncium huius paſchatos?
Non plena mater gratiæ amplius uocer,
Inter mulieres nuper infelicior,
Erepta nobis angeli quondam ſalus.
Mag. Nil eſt beatum, quin aliquid obſtet mali.
Mar. Neceſſe eamus, tempus extremum uocat.
Ioan. Mora parua nobis filium eripiet tuum.
Mag. Eamus omnes, ſummus exurgit dies.
Deſcende Martha, Martha confeſtim ueni.
Mar. Videbo mœſta filium? Io. Dubium eſt nihil.
Mar. Inter ſuperbos flebilem, & meſtum globos.
Ioan. Properemus ergo, fit magis metuens celer.
Mag. Cleophe, ſequamur. Io. Flebiles poſſunt ſequi.
Hac eſt eundum, cognitum eſt nobis iter.
Mag. Lenire longas uerba uel poſſunt uias.
Sed nos fatiget gemitus immenſus uia.
Dicas Ioannes, uelut uinctus fuit.
Ioan. Renouare luctum perfidum ſoror iubes,
Et quæ ſubinde uidimus miſerrima,

Memi-

Meminiſſe quamuis horreant cordis loca,
Animiq; luctu fugiat ingenti quies.
Tamen repoſtis fletibus ſic accipe.

IOANNES. MAGDALENA. Martha. Ioannes loquitur.

Poſtquam è tua diſceſſimus cuncti domo,
Sacrum parari paſchatos locum iubet.
Vt menſa cunctos ſola ſuſcepit, tacet
Omnis repente, donec immenſus pater
Reſoluit ora, nuncians noſtrum ſui
Vt unus acri proditor ſenſu foret.
Vt dixit, omnes occupat ſtatim tremor,
Velut labaret motibus crebris ſolum,
Tremerentq; nigri tartari immenſæ ſpecus.
At Petrus *ardens, eſſet an, primus petit,*
Et me rogauit, ut Deum *ſummum precer,*
Dicat quis eſſet proditor noſtrûm ſui.
Quum primum ad aures protuli os noſtrum ſuas,
Dulcis repreſſit luminum ſomnus genas,
Caputq; noſtrum poſui in extremum ſinum.
Mag. Mortale quicquid conditor rerum uidet.
Ioan. Iudas Tonantis *proditor precio fuit.*
Mag. An ſic Tonantem *credidi infelix tibi,*
Inique Iuda? redde quod debes meum.

Ioan. Ieſus inde ſingulis lauit pedes.
Mag. Et Iudæ iniquo? Io. Primus officium tulit.
Mag. Quis mitior ſummo Deo? eſt clemens malis.
Ioan. Poſt hæc Ieſus uenit ad flumen Cedron,
Vbi repulſu fluctuum ripæ ſonant,
Quum uorticoſum pluuia torrentem dedit.
Ibi repoſto utroq; per terras genu,
Suum precatus lachrymis miſſis patrem,
Sparſoq; multis ſanguinis guttis ſolo,
Tremente uaſtum carne tormentum tulit.
Quum primum Ieſus triſtis exegit preces,
Sonare cœpit ordinum motus, furor
Auditus inde, fulgidis telis uiæ
Late micabant, caſſides ſtrepitum dabant,
Et tot ſariſſis agmen infauſtum furit,
Quàm ſi liceret ferreas urbes quati.
Tunc oſculatus proditor Chriſtum fuit.
Mag. Vt oſculatus proditor Chriſtum fuit,
Num ſæua in illum turba ſurrexit ſtatim?
Ioan. Vix conſtitutam ſtruxerat manum phalanx,
Quum ſummus alacri fronte quæſiuit pater,
Sermone leni milites interrogans,
Quem tot per arma quærerent. tunc gens ſtrepit,
Se Nazarenum quærere Ieſum, ſonat
Hac uoce totus undiq; ob noctem locus.
Vbi dixit Ego ſum, tanta uis uocis fuit,
Vt occuparit magnus extemplo pauor

Omnes

Omnes cateruas, unde compulſi metu
Cecidere retro milites. tellus tremit,
Qua quiſq; pulſat miles in terram cadens.
Mag. Potuere qua ui ſurgere in noſtrum ducem?
Ioan. Audi quid ingens poſſit in terris Tonans.
Ter uoce ſola fudit armatas manus,
Ter uoce ſola ſurgere has iuſſit ſtatim.
Lætumq; tandem fecit arbitrium ſui,
Vireſq; diris hoſtibus libens dedit.
Vt cuncta uidit turba, facto en impetu
Comprehendit ipſum, & plurimis nodis ligat.
Tantus furentum militum incurſus fuit,
Vt Chriſtus imam preſſerit terram genu.
Videtur agnus inter infelix lupos.
Non aliter agris, montibusúe ſaxeis,
Quàm ſi furentes mobiles ceruos leæ
Sequerentur, alter concutit ſtratum ſolo,
Alter minatur, alter oppreſſat pede.
Apoſtolorum tum chorus pulſus metu
Fugit, relicto præſide in uinclis ſuo.
Mag. Infanda noctis hora, cur non adfui?
Lenire ſaltem precibus hoc poſſem malum.
Ioan. Vt Petrus ardens uidit extremum diem,
Oculis retortis, bile feruenti tumens,
Enſem micantem feruida ſtrinxit manu,
Agreſſus inde militem ſtrauit ſolo,
Qualis per alta ſaxa conuoluit iuga

Imber

Imber ſonorus, arborum frondes domans.
Sed dum amputare militis collum parat,
Aurem amputauit dexteram, ſtilans cruor
A ſummo ad imos uertice exibat pedes.
Quod ut redemptor uidit, effatus, Mane,
Quò Petre tendis? Petre quò demens ruis?
Vagina ferrum lympidum abſcondat tua.
An Petre renuis, ne libens calicem bibam,
Quem ſummus alto præbuit pater polo?
Quicunq; ferro percutit, ferro cadet.
Qui feriet enſe, & enſe ferictur, mane.
Si fas per arma gentibus reſiſtere,
Summum precarer lucidæ ſedis ducem.
Omnis uideres ſedis angelicæ choros
Ruere, & fugari militum armigeras manus.
Poſt hæc Ieſus ſaucium offerri iubet.
Vt tetigit, auri ſanitas rediјt prior.
Mag. Num turba uiſo ſæuijt miraculo?
Benignitati poterat hoc calcar fore.
Ioan. Tum gens cachinis plurimis riſit fremens,
Et cum cachinis iurgia immiſcent, ſono
Conduplicato ſonuit immenſus locus,
Cedriq; ripas fluminis clamor ferit.
Quos ut peritus omnium uidit ſator,
Sermone miti talibus fatur, Quid eſt?
Tanquam ad latronem milites hoc tempore,
Quo cuncta terris pectora oppreſſit quies,

Veniſtis

Veniſtis ad me? nunquid eſt armis locus?
Nunquid laceſcens prorui ueſtros lares?
Veſana nimium, nimium & inſipiens cohors,
Nonne ego quot horis in ſacris templis Dei
Præcepta ſuperi prædicans docui patris?
Cur tunc modeſtis gentibus, miti manu,
Non me retentum licuit ijs uinclis dari?
Sed hora ueſtra eſt iſta, tenebrarum uelut
In me poteſtas concitet ueſtras manus.
Hæc dum profatus, impiæ gentes meum
Rupere amictum, ſed tamen longe ſequi
Certum erat, adfluus nam Petrus ſtabat prope.
Mag. Potuiſſe miror, forſan obſtabat locus.
Ioan. Si me ueneno ſpiculis tinctis ferox
Medus petijſſet, linquerem nunquam, magis
Creuiſſet animus inſequi. adparet procul
Vrbs celſa, clamat miles, & ſtridet pedes.
Mag. Qui primus urbis cœpit armatos locus?
Ioan. Primò ad tribunal, pontifex ubi dabat
Ius Anna, ducunt. Anna ut hunc præſes uidet,
Seductor (inquit) ſalue, & hoſtis principum,
Legum proterue dirutor, & omnis caput
Sceleris, ſuperbe patrium nomen refer,
Doctrina qualis, qualis & fides tua,
Et quid ſequuntur quos refers Apoſtolos?
Vt ſenſit ingens conditor, & orbis pater,
Inquit, Per omne tempus in templo palàm

Docui

Docui, quis eſſet genitor omnipotens meus;
Nec clàm ſupernum prædicans dixi Patrem.
Quid me Anna tantum pontifex interrogas?
Turbas, tribunos, ordines interroga;
Qui me audiere, & quicquid effatus fui.
Nondum hæc Ieſus dixerat, quum gens ſtrepit,
Et tota ſæuis uocibus ſtridet domus.
Murmur per auras uolitat immenſum, citi
Vt quum profundo dimicant uenti freto.
Tunc unus adſtans percutit fauces manu,
Dicens: Superbe, pontifex an te minor?
Audes ſuperbis uocibus coram loqui?
Vis tanta dextræ, pondus immenſum fuit,
Vt uerberatum fuerit oppreſſum caput,
Et ut cruentis faucibus flueret cruor,
Traheretq; longum quaſſa liuorem caro.
Tum Chriſtus ingens omnium fatur ſator:
Si male loquutus præſide hoc coram fui,
Ductis probandum teſtibus: ſi autem benè,
Amice quid me percutis dura manu?
Si nulla pietas commouet mentes tuas,
Saltem abſtinere à talibus factis decet.
Iraſcere animo, contine ſaltem manus.
Mag. Num motus Anna præſes ob tantum nephas?
Ioan. Tunc Anna ſurgit æſtuans ſolio magis,
Feruore uultus preſſus ardenti ſuos,
Inquit: Premenda eſt mentis hæc rabies, cadat

Quic-

Quicquid procacis pectus inflatum trahit.
Frenetur ingens bilis,& fellis tumor.
Ducatur extra porticum palatij,
Totum eſt prophanum,neſcit inimicum pati.
Iniuſta iuſtis,iuſtaq; iniuſtis erunt
Dicenda,nomen incolæ rebus dabunt.
Cayphas rebellem uideat hunc noſter gener,
Vbi ſceleſtus debitas pœnas dabit.
O qui tumultus,qui uirûm excandens ſonus
Surrexit aula præſidis ſæui domus.
Solus erat omni militum cuneo ſonus.
Moriere tandem,mortis adeamus locum.
Mag. Cur non Olympo decidunt rapidæ faces?
Ioan. Clamore tandem Chriſtus eſt ductus truci,
Cayphas ſuperbus qua domos celſas tenet.
Petrus ſequutus attamen poſito metu,
Vt qualis eſſet exitus. Mag. Feruor Petri.
Ioan. Videre poſſet. Mag. Nullus audenti eſt timor.
Ioan. Tum ſi profatur principum exultans manus.
O ſumme Caypha,iuſtus & ſummus ſocer,
Ad te Anna Chriſtum mittit infandum,leui
Qui tot prophetas lege præteritos ſecat.
Mag. Quid fles Ioannes? ſequere,tempus uolat.
Non tale præſens tempus officium petit.
Ioan. Vt Chriſtus ante præſidem Caypham ſtetit,
Rubore uultus præſes obuelat ſuos,
Et ſic tonanti uoce conclamans ait.

An es, ſceleſtis legibus qui olim tuum
Totum per orbem prædicans nomen, prius
Gentem incitabas plurimis miraculis?
Mag. Quid mox ſequutum eſt? deſinas fletum precor
Ioan. Et ne immodeſtis iurgijs eſſet mora,
Duxere teſtes impios ad præſidem,
Quàm primum ut ipſe teſtibus poſſet mori.
Mag. Et cur doloſis teſtibus poſſet mori?
Ioan. Poſtquam facultas teſtibus fandi data eſt,
Dixere coram talibus freti modis.
Seductor iſte peperit inſolitum nephas,
Se poſſe ſuperi funditus templum Dei
Ruere ad profundam uertice à ſummo baſim.
Et poſſe demum dirutum poſt treis dies
Extruere ab ima uſq; ad ſuum culmen baſi.
Vt audit uſtus præſes erumnis iecur,
Rabidamq; uoluens dixit interius facem,
An quanta teſtimonia in te ſint uides?
Obiecta remoue ſcelera, uel oportet reos
Cauſam tuendo dicere intrepidos ſuam,
An ſic ſubactus contices uenefice?
(Tacebat autem Chriſtus ut marmor foret)
Vt uidit ardens præſes, exurgens ait:
Iam per Tonantem, & per poli ſummum ducem,
Te adiuro Chriſte, dixeris quicquid petam.
An ſis Tonantis filius, & alti Dei?
Ad quæ hæc Ieſus fatur, Adiurans iubes:

Si præſes omne dixero, nunquam tamen
Credetis. antequam foret mundus fui:
Origo noſtri qualis, & qualis parens;
Noſcetis omnes, filium me alti Dei
Credetis inde, quum fuero uiſus ſedens
In celſo olympo ad dexterum patris latus;
Et quum ſereni in nubibus claris poli
Mortale quicquid iudicans enſem meum
Stringam, tremiſcet iudicem humanum genus.
Tum ſæuus ipſum præſidem adgreſſus furor;
Qualiq; uitrum purpura pingi ſolet
Rutilante lucis arbitro, talis feri
Maculauit ora præſidis candens rubor;
Qui ut rupit inde pectoris ueſtem ſui;
Clamauit alte teſtibus, Quid teſtibus
Agemus ultra? ſint procul teſtes procul:
Per ſe fatetur crimen horrendum, reus
Eſt mortis, ore perfidum eructat ſcelus.
Scelus fatentes mortis ad locum trahit.
Sæuite cuncti, uerbera in tectis ſonent.
Non aliter ampla uoce marmaricus leo
Implet profundis conſitum ramis nemus
Coſtis ſagittam ſaucius adactis gerens,
Quàm turba longis uerberat tectum ſonis.
Vt mugit, omnis præparat rapidas manus
In cladem, & unum immitis erumnæ malum.
Quis noctis huius explicet cladis modum?

Numerare uel quis poſſet erumnas gemens?
Vnus cruentum uerticem ligno quatit,
Alter nephandis iurgijs ridens ait:
Dic Chriſte, quis te percutit? & illud probat
Alter capillos uellit & barbam rapit.
Hæc dum per illas temporis fiunt uices,
Petrus repreſſis lachrymis ſtabat ſenex
Apud ſtrepentis ianuam celſam domus:
Vbi calores flammeæ uires dabant.
Ancilla forte. Quid moraris, dixerat:
Vnus profecto es huius afflicti comes.
Tum Petrus audens denegat metuens Deum
Sed dum moratur: altera obtutu truci
Ancilla dixit, Hoſtis in noſtra domo eſt:
Galilæus es tu, ſermo patefecit tuus,
Et uerba noſtris diſſona externum probant.
Petrus negato trepidat adſiſtens Deo,
Et ille quondam metuit ancillam ferox.
Demum miniſter unus elata manu
Clamore multo uerberans aures ait,
Quid huc ſuperbe ueneris? potes ſequi,
Cuius cruore pectus emiſſo tumet?
Te uidi in horto trans Cedri ripas uaga
Torrentis unda, quum tua agreſſa eſt manus
Stratum feroci militem ferro, neges?
Nondum hæc trementi ſenſerat Petrus genu,
Quum iurat omnes lampades claras poli,

Neſci-

Neſcire quis Ieſus foret. titubans ſenex
Vix hæc prophano dixerat uerbo, ſtatim
Quum gallus alacri uoce prædixit diem.
Quod omne Petro dixerat Tonans prius.
Vt Petrus audit, flebilis, totus ſtupet,
Chriſtumq́; tumidum reſpicit uocem premens.
Ieſus illum ut conſpicit mœſtum, ſuis
Oculis per imum transforat pectus, uelut
Feras ſagittis transforat miſſis cydon.
Exiuit inde, & denuo ruptis genis
Egreſſus urbem condolet, triſtis gemit.
Mag. Vnus tuorum prodidit, & alter negat.
Ioan. Et ecce frendens præſes extemplò tonat.
Columna uinctum teneat, & funes premant,
Duris flagellis pectoris nerui labent,
Dolore multo tota torpeſcat caro.
Vt iuſſit, arcte præſidem noſtrum ligant,
Miriſq́; ſanctum corpus impingunt modis.
Tum tota flagris porticus diris ſonat,
Totum tumeſcens pectus infirmum rubet,
A capite ad imas defluit plantas cruor.
Hucuſq; ueni, hic ultimus finis, precor,
Non eſt morandum, ſurge confeſtim ſoror.
Mag. Cæſum uidebo. Io. Viuit, angorem ſinas.
Mart. Venite, cecidit uirgo, uel Cleophe adiuuat.
Ioan. Hic una cecidit, cecidit & uirgo miſer.
Mart. Neceſſe pectus uirginis linquat dolor,

Demumq́; ſurgat, ſumma collucet dies.
Ioan. Moremur omnes, donec exurgat. Mart. Moror.

CHORVS.

Sit nullum Mariæ uirginis ocium,
Fletus deſtituant pectora turgidi,
Vt uiuum uideat prouida filium,
Qui non tantum alijs lictus Apoſtolis,
Sed nuper ueteri lictus Apoſtolo.
Iam noctis tenebræ diffugiunt, dies
Exurgit nitidi lumine Apollinis.
Eois croceum partibus & iubar
Emittit radios orbis in ambitum,
Exorta tegitur lampade lucifer.
Pſalmis dulciſonis undiq́; ciuitas
Cantus ad ſolium mittis olympicum.
Tamen futura neſcis,
Inſana ciuitas es.
Tempus meat, citata
Curſu fluens ut unda,
Et uices errant uariæ per orbem.
Summa depreſſis Deus, ima ſummis
Mutat. & demit miſeris labores,
Perdere ut pœna grauiore poſſit,
Multa non ibunt reuoluta mundo
Tempora, hoſtili lacerata Marte
Quum rues, in te facibus receptis

Et

Et famem & duros patieris ignes.
Mœnia aſcendent cunei,ruinis
Murus acceptis ruet,inuocabis
Cœlicum fruſtra precibus Tonantem.
Fidis in rebus nimium ſecundis.
Cogites nullum fore ſempiternum
Gaudium fœlix,lachrymans futurum
Reſpice finem.

ACTVS QVARTVS.
Iudæi,Pilatus.
Iudæi loquuntur.

AB *Anna ad ædes duximus Cayphæ, dehinc*
A Caypha oportet Pontij adeamus domum.
Et ſi iuberet Pontius cœlum peti,
Petetur,iſte dummodo emoriens luat
Quicquid tot annis criminum exegit.mori
Opus eſt,eamus,iam procul ſurgit domus
Ingens Pilati,ſenſit armorum graueis
Strepitus,,feneſtra proſpicit totus tremens.
Pilat. Quæ cauſa turbas mouit?armorum ſonus
Totam per urbem ſæuit,& cœlum quatit.
Romana num ſic diua maieſtas iubet?
Iudæ. Multiiuga cauſa mouit,& uarium malum.

Non uiſus ulli, panibus tot millia
Satiauit olim quinq;, puteales aquas
In uina uertit, omne fit quicquid iubet.
Iubeat, reſurgent tartara, & cœlum cadet.
Pilat. Si uera ſunt hæc, ueſtra cur tenet manus?
Iudæ. Vetuit tributa Cæſaris fiſco dari.
Cogere ſuperbos iudicem iuſtum decet.
Hic eſt Ieſus inſito faſtu tumens.
Pilat. Cogere ſuperbos? non id eſt iuris mei.
Hic eſt Ieſus, gentium dignum caput.
Eſt nulla tumidi criminis labes uiro.
Neceſſe nunquam ſceleris expertem mori.
Et ſi neceſſe, legibus ueſtris cadat.
Iudæ. Iuſtum eſt Pilate legibus noſtris mori,
Inferre cuiquam non tamen mortem licet.
Pilat. An cauſa Ieſus debet indicta mori?
Iudæ. Se ſe tueri, dummodo occidat, poteſt.
Pilat. Procul abſit omnis. Iudæ. Præparet quicquid ue
Morietur, iſtum ſumma paupertas domat. (lit.

PILATVS. CHRISTVS. Iudæi.

Pilatus loquitur.

EN ecce ſummum aſcendimus prætorium,
Arcanus iſte pateat ambobus locus.
Adſis Ieſu, nullus eſt hic arbiter.

Chri. Mortalis iſto eſt arbiter nullus loco,
Sed iuſtus omne conſpicit uindex tonans.
Pilat. Cur te reuinctum Chriſte Iudæi tenent?
Rex es profectò, regium ſceptrum tenes.
Chri. An dicis animo me tuo regem, prius
An de me ad aures aliquid aduenit tuas?
Pilat. Iudæus ipſe non ſum, inauditum nephas
Hoc non patratum eſt Pontij iuſſu, tuæ
Duxere gentes, cauſa quæ ſtragis fuit?
Nil tam beatum eſt quin notet peruerſitas.
Chri. Si regna noſtra ſeculi iſtius forent,
Et ſi tenerem ſceptrum in orbe regium,
Non hoc Pilate traderer turmis modo.
Vbicunq; noſtri milites forti manu
Starent ſuperbi, fremeret & cuneus minax,
Et me tueri bellico uellent gradu.
Mortale non eſt ſubditum regnum mihi.
Pilat. An ergo ſceptro poſſides regnum tuo?
Mortale quàm ſit maius imperium tenes?
Aliudq; nutu ſæculum floret tuo?
Chri. An regna nutu ſeruiant poſcis meo?
Sum miſſus altis ſedibus olympi, uelut
Iam ſempiterno ſtatuit edicto pater.
Pilat. Et cur in imas ueneris terras refer.
Chri. Vt nota cunctis ueritas populis foret.
Pilat. Quid nunciandà ueritas cunctis locis?
Chri. Cuicunq; ſacra ueritas ſplendet, mei

Vocem parentis audit, & uocem meam.
Pilat. Morare donec uenero, ut ueniens ſinam.
Audite turbæ, publicus ceſſet furor.
Sæuire nimium decet regem, ſinas.
Eſt nulla diræ cauſa compeſcens necis.
Iudæ. Seductor ingens eſt, & eſt mortis reus.
Pil. Inuenta cauſa nulla cur poſſit mori.
Iudæ. Reus eſt Pilate. Pil. At iuſtus. Iudæ. Eſt mortis
Pil. Si reus Ieſus, ergo quid debet pati? (reus.
Iudæ. Crucifige, meruit noxius Ponti crucem.
Pil. Meritam Pilati non feret iuſſu crucem.
Iudæ. Procuret alius urbem, & hos populos regat,
Ius fiat: eſt fas affici pœnis reos,
Vti uoluntas Cæſaris ſemper fuit.
Pil. Quum paſcha primis conſtitutum ſeculis
Celebratur, eſt mos carceris longo ut ſitu
Tollatur unus, iure cui fas ſit mori,
Vinctus Barabbas uinculis diris, citos
Qui accendit animos feruidas ſpargens faces.
Quem uultis ergo paſchatos ſacro die
Vobis relinquam, petite, quem uultis dabo.
Iudæ. Linquas Barabbam, carceris pateat locus.
Pilat. Et quid de Ieſu uultis hoc fiat die?
Iudæ. Crucifige tãdẽ. Pila. Interfici inſontẽ eſt nephas.
Iudæ. Crucifige. crucifigatur, eſt mortis reus.
Pilat. Hæc turba quantum contumax? clamor cadet,
Hic ſi eruoris paululum ſpargat ſui.

Longius

Pilat. Oculis reuinctis percuti regem decet?
Iudæ. Regem corona regia cinctum caput
Veneremur omnes. Pil. Patitur hoc iocis malum?
Iudæ, Diuinet & mox qui os ſuum incutiat manu.
Pilat. Ah quid patratis? peſtis accreſcit ioco.
Iudæ. Nos oret olim qui ſacras leges dedit,
Fundat ſupernas ſignifer Moſes preces,
Non poſſet animi flectier ſententia.
Crucifige Ponti. Pil. Non decet. Iudæ. Maius quoq;.
Pilat. Magnum trophæum erexeris, clangor tubis
O popule detur, regium ſurgit decus,
Lætumq; palma ſtringe uictrici caput,
Deſtilat alte pectore à toto cruor:
Sparſus eruore decolor uultus rubet.
Iudæ. Et ſi hunc in altis traheret immenſus iugis
Aper, per alta ſaxa, per opacum nemus,
Minor reciſo pectore exiret cruor.
Pilat. Placatur omnis & Deus facta prece.
Iud. Placetur omnis precibus, & Chriſtus cadat.
Et quàm labores precibus, inſurgit magis
Rabies, Pilati ducimus ſtimulos preces.
Pilat. Inſons peribit? Iudæ. Pereat hic inſons modo.
Nam falſa ubiq; prædicans patris ſui
Præcepta, legum mouit hos populos catus,
Vſq; ad patentis nobiles terras ſoli
Galileæ, & urbes inſtruit uanum Deum.
Pil. Galilæus iſte eſt? Iudæ. Iſte Galilæus fuit.
Pilat.

Pilat. Galilæa nunquam paruit nobis, graue eſt
Aliena iura exigere tanquam propria.
Herodis eſt ius, cuius aduentum modo
Huc ſenſi. adite Herodis immenſas domos.
Iudæ. Pilatus animo & pectore exhauſit metum.
Pilat. Abire cuncti, ceſſit armorum furor,
Herodis illi dabitur edicto fuga.

IVDAEI, HERODES.

Iudæi loquuntur.

PEtenda magni Herodis eſt nobis domus.
Hero. Quid eſt, quod armis perſonant omnes uiæ?
Quò tanta pergit militum frendens cohors?
Iudæ. O rex ſenatus Romuli ſummum decus,
Ad te impudentem duximus Chriſtum, ſacer
Cuius rogari legibus deſit tonans.
Hero. Quis ad me in iſto tempore adduci iubet?
Iudæ. Ad te Pilatus noſter adduci iubet.
Hero. Nõ poſſet hac re charius quicquam. Iudæ. Iubet
Niſi hic rebellis pereat edicto tuo,
Ducatur ad ſe denuo ut cogat mori.
Hero. Videre Chriſtum cupij, & à primo die,
Qum primum ad aures phama peruenit meas.
Iudæ. Si liberaret, omne quod factum eſt nihil.
Hero. Salue monarcha gentium, & princeps caput.
Cupido quanta ſemper accreſcens fuit

Videre Chriſtum, cuius extremæ ſonant
Gentes per orbem plurimis miraculis.
Iam phama ſuperi te eſſe progeniem Dei eſt,
Phamam ſacrata ſigna præſentem probent.
Iudæ. Proh *quid loquatur neſcit, & ridens tacet.*
Hero. Formido *nulla pectus occludat, timor*
Et ſæpe uoces adimit, & fauces premit.
Adloquere Ieſu, perfide an tantum taces?
Vanoq; ludis præſidem ſilentio?
Iudæ. Seductor *olim potuit & nimium loqui.*
Hero. En *quid ſceleſte tandiu longum taces?*
Iudæ. Ridet *prophanus, uerba ſuperabant prius.*
Hero. O *ſcribæ, & ô uos Principes, quid hunc uirum*
Duxiſtis ad me, mentis expertem ſuæ?
Neſcit profari, noluit regem adloqui.
Dementis eſt mos, purpuratis ueſtibus
Spolietis, & mox candida pectus ſuum
Sit ueſte tectum, harundo ſit demum manu.
Iudæ. Harundo *noſtri regis eſt ſceptrum manu.*
Hero. O *gens, quid iſtum mentis expertem tenes?*
Dementem habere maior eſt dementia.
Pilatus iterum, qualis hic Chriſtus, ſciat.

IVDAEI.

Oſtendit atram nubibus crebris ſpecum;
Ibi uorago faucibus uaſtis uorat:
Rumor nigranti magnus auditur loco:
Ignes, flagella, frigus & luctus manent:
Videbar inter luridum taxi nemus.
Mox ut uiuendi copia ablata eſt, ſolum
Mugire cœpit, mugit & tectum, thorus
Circumrotabat fluctuans in ſe, tremunt
Adhuc timore corda ſollicito, precor
Relinque, uacuas ſanguinisq; habe manus:
Vt iudicetur iudicans iuſtum petit:
Pilat. Vidiſſe mira hac nocte mea coniux refert:
Iudæ. Adhibere coniux coniugi debet fidem?
Quicquid loquatur mulier, eſt folium leue:
Adhibere uerbis turpe fœmineis fidem.
Hunc tolle, tolle, regis uſurpat ſacrum
Nomen, nec iſto ſcelere contentus, refert
Seſe Tonantis filium, & ſummi Dei.
Pil. Non proſpere fit quicquid inuitus facit.
Iudæ. Cadit omne meritum quicquid inuito paras:
Pilat. Veni Tonantis filium qui te facis,
Dic nomen euge Pontio regni tui.
Reſponde Ieſu, contices? tantum ſiles?
Nutu ac renutu moreris, & uiuis meo:
Seruare poſſum, perdere & poſſum ſimul:
Abibis & ſi iuſſero, & ſi iuſſero
Morieris acri pectore infixo cruce.

Vis noſtra mortis,noſtra uis uitæ eſt tuæ.
Chri. In me per orbem nulla uis poſſet tua,
In me poteſtas nulla,ius nullum foret,
Niſi hoc ſupernis eſſet iniunctum polis.
Qui me Pilate tradidit uinctum tibi,
Maiora patrat ſcelera:ſic pœnas dabit.
Tam pœna cruciat,quàm ſcelus magis graue eſt.
Pilat. Non ſunt habendi ſtrenui aut fortes uiri,
Quibus citata ſemper eſt iniuria.
Sed qui repulſant penitus à ſe iniuriam.
Et quum ualemus,nolle uirtus optima eſt.
Sed quum caremus uiribus,uelle impium eſt.
Iam uos ualetis, nolle erit laus optima.
Iudæ. Crucifige tandem,meruit extingui cruce.
Pil. Properanda non eſt iudicum ſententia,
Et nulla longa de nece alicuius mora eſt.
Iudæ. Differre mortem peſſimo eſt ſummum nephas.
Pilat. Eſt fortis animi ſcire feruentis trucem
Pacare rabiem cordis,& pectus tumens
Frenare,& ipſis ocium minis dare.
Iudæ. Solo iſte noſtras nomine accendit faces.
Pilat. Et ipſe ſolo nomine huic ueniam dabo.
Iudæ. Magni ſenatus proditor,neſcis, caue.
Se regem iniquus dixit,& regem facit.
Omnis Pilate, qui ſe ouans regem facit,
Magnum laceſſit Cæſarem, Cæſar ſciet.
Pilat. Rex ueſter iſte,habendus huic regi eſt honos.

Iudæ.

Iudæ. Iudæa regem Cæſarem ſolum tenet.
Et ſi facultas detur infamis fugæ,
Cæſar tueri uelle te noſcet reos.
Et ſi laceſſis Cæſarem magnum, time,
Cuius tributo detrahit faſtu tumens,
Fauiſſor an ſis Cæſaris? pœnas dabis.
Nam qui laceſſit Cæſarem, eſt mortis reus.
Pilat. Inſons Ieſu maculet ut ſanguis manus
Nolim, innocentes abluo coram ſui
Et ſum innocens à ſanguine intacto, dolus
Eſt nullus omnis penitus eſt expers mali.
Iudæ. Vah, ſanguis huius uerticem noſtrum lauet,
Lauet minores, filijs ſparſus cruor,
Erit per omnes ſanitas noſtras dies.
Pilat. Conuertere uerſis ſolitum iter cœlum polis,
Illuſtris æther ignea cedas domo,
Aër comanti fulmine emiſſo ruas,
Et unda lato ſe moueat ingens freto,
Quiete nulla littore immenſo ſonet.
Iam terra proprio territa exurgat ſitu,
Vorago facta quicquid eſt ſecum trahat.
Mutetur omne, nocte naſcatur dies,
Imago inumbret noctis & medium diem.
Iudæa tolle, quem tuus liuor necat.
Condemno Ieſum luridæ inuitus neci.
Ducatur extra mœnium longos ſitus,
Vbi mons pateſcit arduus Caluariæ.

Lignum peremptis omnibus fiet ſalus.
Nudum creatum fuerat humanum genus,
Moriens tuebor nudus humanum genus.
Euam feſellit dulcis & fructus ſapor,
Amarus Euam liberans dabitur ſapor.
In colle ſummo filium quondam ſuum
Mactare uoluit obſequens iuſſis pater,
In monte ſummo fixus & triſti cruce
Hodie parenti uictima extinguar meo.
Clemens in horto floreo humanum genus
Primum locaui gaudium ut ſummum foret,
Aſt hodie in horto captus urgenter fui,
Fudiq; triſte pectore infirmo preces.
Omnes figuræ in unicum meme cadent.
O uos quæ ad iſtas curritis gentes uias,
An ſit uidete ueſter ut dolor meus.
Venire poſt me qui uelit, ſeipſum abneget,
Suamq; tollat uiribus proprijs crucem,
Et me ſequatur, nullus ac obſtet timor.
Sub morte noſtra militant concordiæ.
Mortale uulgus iudicans fuit mei.
Per me duorum præſidum cecidit furor,
Aequalis ira uinculo pacis iacet.
Immenſe genitor, genitor en libens eo,
Quò iuſſa dudum ſancta pergendum iubent.

MARIA VIRGO, MAGDALENA, Ioannes.
Maria loquitur.

EGreſſus urbem filius, tellus fremit.
Ioan. Magiſter an ſit dubito, diruptus nimis
Vbi uenuſtas pectoris? ceruix tumet,
Os eſt cruentum, naribus ſtilat cruor,
Solitumq́; ruptis lumen haud exit genis.
Mar. Non eſt repertus grauior hoc unquam dolor.
Pater precando uirgo ſi quicquam poteſt,
Fac moriar unà, præmium eſt nobis mori.
Ioan. Agnouit heu heu uirginis proles ſuam
Matrem gementem. Mag. Martha, Ioannes tene.
Ioan. Hodie parentem & filium amittam miſer.
Mag. Exurge uirgo, mortis eſt procul locus.
Mar. Cur non neceſſe uirginem extingui ſimul?
Ioan. Laniatur ecce. Mag. Vulnus eſt ſolum lacer.
Sunt tres, tonantem non uideo. Io. Spectes ſoror
Quem cuncta turba diſſipat. Mar. Fixa eſt manus.
Mag. Pedes trahuntur. Io. Eſt eundũ. Mag. Virginẽ
Teneamus omnes, ulla ne tardet mora.
Ioan. Erecta crux eſt, Chriſtus in ligno patet.
Paſſis Ieſus brachijs pendens dolet.
Mar. Fili ſupernus te adiuuet, & ingens pater.

CHO-

CHORVS.

QVíſquis immenſos teneat triumphos,
Regijs quiſquis caput & corollis
Cinxit, extremos metuat labores
Mortis, & credat ſibi temperandum
Proſperis rebus, uenit hora mortis.
Vnicam in ſedem properamus omnes,
Vnde non unquam datur huc reuerti.
Viuit adcreſcens iuuenilis ætas,
Deinde florentem minuit ſenectus.
Nulla tam fœlix hominum uoluptas,
Magna quin tollat penitus procella,
Et dolor rebus comes eſt beatis.
Aequa mors cunctis, dolor, & ſenectus,
Inuidens rebus nimium iocoſis.
Diſcat interdum facilis uideri,
Quiſquis in cultu graditur ſuperbo.
Omne mutatur, breue tempus omne.
Ante ſint noſtros oculos querelæ
Virginis diuæ, horribilesq; luctus,
Vt recordemur tumidum quot horis
Ponere faſtum.

ACTVS QVINTVS.

CHRISTVS, IVDAEI, Latro.

Chriſtus loquitur.

PAter ſupernis ſedibus tuis pater,
Cuius tremendam patior imperio ne-cem,
Reflecte uultus filium ad tuum ſacros,
Velut reflexis uultibus patrem peto.
Nunquam inuocaui nomen ô genitor tuum
In clade tali, qualis eſt claudes crucis.
Reſerentur altæ ſedis æternæ fores,
Vnde ô olympi rector, & mundi arbiter,
Spectes cruentum filij corpus tui,
An conſtitutum ſufferat ſtragis modum.
Iudæ. Seductor ecce fixus in ligno nocens
Pendet, Tonantem iam ſuum patrem uocet,
Magusq; fallax dæmona imploret ſuum.
Chri. Cœleſtis aula lachrymet fœdum diem,
Et nube denſa ſolis umbrentur rotæ.
Nullum amplius ſit cœlico in throno melos.
Mutata ſuperi forma condatur poli.
Ecce immolata eſt uictima in dura cruce,
Velut neceſſe ſemper hoc ipſum fuit.
Ecce eleuata eſt hoſtia in ligno, pater,

Qua ſol refulgens lympidum mandat iubar.
Genus omne cladis, omne pœnarum genus
In me repertum eſt, ſæuiens ſummum dolor
Deum micantis & poli regem premit,
Gentes cachinos iurgijs miſcent ſuos.
Sputis cruentum redolet os noſtrum ſatis,
Lumenq́; noſtrum ſordibus fœdis tumet,
Rubet flagellis impijs corpus meum,
Venis hiulcis ſpargitur dulcis cruor.
Corona noſtrum perforat ſpinis caput,
Vtrum ſtragem ſentit immenſam latus.
Pulmone rupto palpitans friget iecur.
Neruis per aluum uiſcera eruptis natant.
Pallore multo uultus obductus latet.
Sanguis per ora confluit ruptis genis,
Meis receſſit crinibus priſcus nitor.
En colla languent, en mihi fixæ manus
Pedesq́; clauis, undiq; eſt mortis tremor.
Eſt nulla membris ſanitas noſtris pater.
Hodie me amici aduerſus, & dulcis chorus
Stetit, & propinquis paſſus extremum nephas,
Hodie furenti militis cæſus manu,
Sparſi cruorem faucibus quaſſis meum.
Hodie relictus à grege en paſtor fui,
Diſperſa turba præſidem liquit ſuum,
Et nulla manſit firma uel conſtans fides.
Vnus meorum prodidit. pulſus metu

 Negauit

Negauit alter, unde quaq; hoſtem tuli,
Tanquam laceſſens hoſticas in me manus.
Sum factus una gentibus diris dapes.
Sum factus inde militum turmis cibus.
Seruis iocoſus, regibus ludibrio.
Me cuncta turba ridet, & uerſat dolos.
Populle ô meus conuerſe, quid feci tibi?
Aut in quibus mentes laceſſiui tuas?
Reſponde amica turba, reſponde mihi.
Quid debui ultra deſuper uulgus meum
Facere? & quod ipſe fecerim minus tibi?
Quoties repulſans hoſticas fudi manus,
Iudæa quæ te ciuitas cladi dabant?
Quoties parenti gratias meritas meo
Egere reges hoſtibus uictis tui,
Quem nunc laceſſis filium ex tinguens ſuum?
Populle ô meus conuerſe, quid feci tibi?
Nonne ego ſacratas tradidi leges ſacro
Moſi, ut parentem conſequi poſſes meum?
Regale dextram quod dedi ſceptrum tuam
Ornauit, at iam regium ſceptrum tui
Harundo regis hoc die extremo fuit.
Si te relictum populle fudiſſet manus
Hoſtilis à me, ſi tuum gentes caput
Facto impuliſſent impetu oppreſſum ſolo,
Maiore non me premeret exitio dolor.
Dirum imperator ipſe cur patitur malum?

Popule ô meus, te propter Aegyptum ſatis
Adfeci acerbis cladibus, iuncto mari
Pharaonis iram contudi, & totum dehinc
Agmen ſonoris obrui iniuſtum uadis:
Tu me flagellis undiq; adfectum necas.
Quod te reduxi Aegyptijs quondam locis,
Vbi ferebas carceris longos ſitus,
Tu ingrate uero me adficis dura cruce.
Ingrate nimium, regium nomen dedi,
Tuum corollis regijs cinxi caput,
Tu autem corona ſpinea regem tuum.
Per te ſonoros aperui fluctus maris,
Tu pectus autem confodis clauis meum.
Et te in columna nubis anteiui, tamen
Hodie columnã uinctus erumnas tuli,
Per te ſuperbos contudi reges, duces
Percuſſi acerbis plurimis per te modis,
Sed uapulauit ictibus noſtrum caput.
Horrenda quondam uincla dirupi, quibus
Captiuitatis impiæ pœnas dabas,
Et uinctus abs te tempore hodierno fui.
Virtute magna te extuli, tu autem crucis
Me me extuliſti patibulo. heu meritis meis
An ſic agendæ gratiæ? mala pro bono
Opere an ferenda? ô cæcitas cordis tui.
Miſi prophetas, patriarchasq́;, & meam
Te nominaui gentem ab æterno die.

Non

Non me Britanni, non Getæ occidunt truces,
Non Sarmatæ, nec quos uidet torrens Padus,
Nec qua Sicambri, Chriſtus emoritur, manent.
Me Roma nunquam premeret, in regem tuum
Hoſtilis es tu terra, quæ noſtrum ſolum es
Natale, tecum uixi, & una exin ſteti.
Externa non me turba compellit mori,
Sed patior iſtud hoſtibus domeſticis.
Nil hoſte terris dirius domeſtico.
Iudæa tellus uiximus tecum diu,
Tecumq́; longas traximus quondam moras,
Et iura in iſto rumpis hoſpitij die?
O urbs ſuperba, cuius inuida premor
Dum tempus inſtat flectere ad regem tuum.
Et nube pulſa cordis accendas faces.
Conuertere ad me, pone rumpentes iecur
Pulmonis iras, paululum mentes doma.
In te quid egi, quando laxata eſt tuæ
Iniquitatis fimbria, adcreuit furor
Scelestus in me, cuius imperio ſilent
Quæcunq; latis brachijs cœlum tegit.
Reſipiſce tandem, principem & ducem tuum
Contundis, in quo ſumma maieſtas ſedet,
Et uera in omnem remanet euentum ſalus.
Conuertere ad me ciuitas, conuertere,
Duramq́; leni ſubde ceruicem iugo,
O urbs prophetas inſcia occidens meos,

Lapidansq́;

Lapidansq́; noſtri nuncios patris, caput
Effers ſuperbum? nulla te peſtis mouet,
Minæq́; nullæ ciuitas, & cur manum
Conuertis in me ueluti in hoſtilem ducem?
Quoties lacertos aperui dulceis meos,
Et conuocaui, in unicum gregem uelut
Gallina pullos cogit in cœtum ſuos?
Sed nulla noſtris gratia incœptis fuit.
Quoties benigna uoce clamaui palàm
In me eſſe uerum lumen, & ueram fidem,
Sed nullus aures præbuit dictis ſuas.
Quoties Tonantem me eſſe tot miraculis
Oſtendi, & omnis dæmona obiecit mihi,
Veluti tenerem dæmona incluſum manu.
O urbs ſuperba, ſcire ſi poſſes graui
Ventura bello, ignara ſi ſcires diem
Paſſura qualem es, quippe preſſares caput,
Fletuq́; largo incredula impleres ſinum.
Morientur enſe filijs coram ſuis
Miſeri parentes, filij coram patre
Cruore cæſi tela maculabunt ſuo.
Reſonante bello fœminæ ob duram famem
Natos uorabunt ſæpe lugentes ſuos.
Feretur infans cuſpide in ſumma puer,
Tantiq́; pœnas innocens ſceleris dabit.
Implebit altas ſanguis foſſas lacus,
Cadentq́; in imum mœnia, & uobis domus

Deſeria

Deſerta ſtabit. exul alienas dehinc
Iudæus omnis quæret inuiſus domos
Ab urbe in urbem. corruet totum genus.
Quoties recumbent arborum ſubter comas,
Domumq́; cupient irriti precariam,
Quum poſcet arbor quæq; mercedem ſuam.
Erit ſuppellex cophinus, & fœnum thorus,
Nullusq́; propriam extorris oſtendet domum.
Crudelis ergo gentis ô ardens fames,
Depone rabiem, mitiga & mentis ſitim.
Dirumpe cordis popule cataractas tui,
Et ſpecta apertis brachijs regem tuum,
Et qui in ſuprema morte te demum uocat.
Ideo ſupreme rector & cœli potens,
Ignoſce genti, ne ſtatue tantum ſcelus,
Quoniam negatum eſt ut ſciant quicquid patrent.
Iudæ. Vah qui ſceleſtis dæmonum quondam dolis
Totum per orbem gentibus legem dabas,
Magicis ſalubrem quære commentis fugam.
Seruator ingens omnium, & rerum pater,
Seruare cur ſe morte peſtifera nequit?
Caret ſalute qui fuit cunctis ſalus.
Chri. Iam deputatus filius ſummi eſt Dei
Inter nephandos. hinc & illinc eſt latro,
Vt maius iſto dedecus ſurgat die.
Latr. Quid hunc laceſſis iurgijs uanis miſer?
Meritas neceſſe perpeti pœnas reos.

Ab

Ac noſtri Ieſu ut tunc recorderis precor,
Dum celſi ad altas ueneris ſedes poli.
Chri. Mortale quicquid eſt, mori omnino decet.
Communis hora mortis, & mortis dies.
Calcanda leti eſt omnibus ſemel uia.
Quicunq; ſupplex optimum orabit Deum
In mortis hora, & exitu uitæ ſuæ,
Summi ad Tonantis ibit æternas domos.
Tu qui precando hic inuocas nomen meum,
Patienter atrox, peſtilens patere hoc malum,
Et nulla ſenſus peſtis adflictos grauet.
Et quia gementis pectoris noui fidem,
Hodie ſupernas te ad patris ducam fores.
Iudæ. Proh adhuc ſerenum conſequi ſperat polum.
Promittit uni, cuius eſt expers, locum.
Chri. Priuata tellus perdidit ſummum ducem.
Apoſtolorum deſtitutus eſt chorus.
Mulier quid imis fletibus tantum gemis?
En ecce filius dehinc erit tuus.
Hæc iſta Ioannes erit mater tua.
Iudæ. Cui ueſtis iſta debeat noſtrum dari,
Sors iudicet. Chr. Amici mei, & gentes meæ
Hoſtes fuerunt, proximi in me me graue
Egere bellum. mox ſuper ueſtem meam
Miſere ſortem, nullum ut intactum ſcelus.
Iudæ. Crucifiximus te, nullum ut intactum ſcelus.
Chri. Vlnis apertis pendet ô cœli ſitus

Tuus repertor,terra cum ſaxis tremit;
Montes labaſcunt,undiq; excelſi ſtrepunt
Colles,ſonanti quodlibet motu nemus
Teſtatur iſtam,& conſonant ualles necem.
Et ſtagna,fontes,fluminum curſus,lacus,
Riui,paludes,territis lugent uadis;
Fragore lapides ardui multo ſonant,
Lapidumq; motus omnium cœlum quatit.
Iam ſolis atris nubibus uultus latet,
Solitum colorem mutat extinctus ſuum.
Teſtatur omne perpeti Chriſtum crucem.
Elementa proprijs uaga exurgunt locis
Compage rupta,uterq; corruptus polus,
Patiensq; corpus cuncta miſerantur meum.
Vbi illa uirtus quam prius corpus dabat?
Tormenta cuncta uincit hic præſens dolor.
A calce ad ipſum ſæuiunt ſtrages caput.
Anguſtiarum cladibus totus premor.
Vbi reponam nullus eſt caput locus.
Neruis ſolutis tota torpeſcit caro.
Connexio nulla oſſibus patet meis.
Humor ſub imis deficit præcordijs.
Et lingua cedens plurimis aret malis.
Hely,Hely,qualiter relinquis me pater?
Diuinitas in me amplius geſtit nihil.
Iudæ.Helian proteruus hic uocat,noſtrum patrem,
Videamus an deſcendat,& tollat cruce.

Chriſt.

Chriſt. Aeterna ab arce mundum in hunc miſſus fui,
Vt liberarem ab inferis tenebris genus
Humanum, & atrum dæmonem peſſum darem.
Iam uicta fraudis dæmonum moles iacet,
Et morte noſtra mortis imperium cadit.
Iam tot per annos gaudeant poſito metu,
Sperent prophetæ gaudium uetitum prius,
Longo retenti carceris ſtygij ſitu.
Sitio, profundum corrui dudum chaos.
Iudæ. Sitim leuemus huic amaritudine,
Et felle acetum ſpongia mixtum bibat.
Chriſt. Amaritudine eleuarunt eæ meam
Gentes ſitim, quas ſæpius manna ſacro
Pauı ſub æuo, quum adforet Moſes ſacer.
Hunc nominaui uineam populum meam;
Dulcis fuiſti uinea, & nuper nimis
Amara facta es conſitori proprio.
Omnes figuræ in unicum me me cadunt.
Quicquid prophetæ de me in orbis ambitu
Cecinere ab æterno, inſuper quicquid fuit
Tandem peractum eſt, parui ſemper libens,
Vt oportuit, tibi pater: crucem tuli.
Eſt omne conſummatum: hebes uirtus mea.
Iudæ. Nephande, iam nunc eſt hebes uirtus tua?
Chriſt. Extrema uox eſt filij hæc genitor tui:
Commendo ſpiritum in manus tuas meum.

IOANNES, MARIA.

Ioannes loquitur.

IAm rupit altum ſæpius ſilentium,
Et fracta multos reddidit bombos tuba,
Clangore cuius terra cum cœlis ſuam
Remiſit echo, nullus ut ſoret locus
Qui non tonantem uocis audiret ſonum.
Mar. Cœleſte regnum qualibus moleſtijs
Tuus repertor occidit, tuum pater
Miſerare gnatum, cœlicas luctus plagas
Erret per omnes. nunquid ô tellus, ducem
Es paſſa tantis proprium erumnis mori?
O urbs ſuperba. ſcilicet dignum fuit,
Laceraſſe gnati corpus inſontis mei?
Sedaſſe & acrem ſanguine humano ſitim?
Si inuiſa fuerat noſtra progenies tibi,
Ne tantus alte roderet pectus dolor,
Nonne ipſa tali morte debebam mori?
Sed quid ſuperba ciuitas noſtrum genus
Commiſit in te? ſexta nunc dies fluit,
Qua cum triumpho filium ingenti meum
Es proſequuta. nunquid in ſummum probrum
Conuerſa pompa eſt? quanta fuſcatam tegit
Caligo mentem. proprium regem premis,
Quod & fatetur ethnica ſcriptum manu.
Auare Iuda, uendere an tuum potes
Dominum latenter? quippe ſi tuum nephas

Fuiſ-

Fuiſſet à me cognitum, ô quantum libens
Me uendidiſſem, ut quicquid optabas darem.
Nimirum honeſte uenditum eſt numen poli,
Autorq́; terræ. ô qualibus curis trahor.
Ioan. Proh quis dolores leniet uerbis meos?
Succuret ecquis rebus aduerſis mihi?
Mar. Hunc te mi Ieſu intueor in dira cruce,
Cuius fathiſcat tota per plagas caro.
Tu'ne illa noſtræ lenis ęrumnæ quies?
Tu'ne illa noſtri ſanitas cordis? tuam
Nunquid benignum linquere hic matrem fuit?
Immenſe fili? lenius mortis malum
Sæuiſſet in me, quàm dolor præſens furit.
Vbi illa frontis læta maieſtas? ubi
Paulo antè corpus illud effulgens? caput
Vbi illud omni pulchrius ſemper roſa?
Hei mihi, reflexum in dextrum pendet latus.
O ſancta membra, pluribus paßim malis
Lacerata. certe tempus hodiernum repens
Iurauit in me, triſtis in me me ſuum
Hodierna miſeram fecit incurſum dies.
Ingratus omnis tempore hodierno fuit,
Anſamq́; noſtro filio mortis dedit.
Crudelis in me nox fuit, acerbum dies
Crudelis in me hodierna tormentum tulit.
Hoſtilis ô ſors: debuit ſaltem necis
In partem habere filius matrem. quid eſt,

Cur me relinquas? curq́; uiuentem ſinas?
Heu quàm libenti corde ſubijſſem, genus
Quodcunq; mortis hoſtica aptaſſet manus.
Cur uiuit ipſa filio extincto parens?
Cur nulla noſtro languido cordi ſalus?
Cur matris hodie nomen amiſi? dehinc
Prolisq́; noſtræ facta permutatio eſt?
Relicta ab omni, ab omnibus pellar locis:
Exulq́; uitam facta languentem traham.
O robur ingens, impium ô robur crucis,
Saltem reflecte te ad meas clades precor,
Vtraq; ut ulna filium amplectar meum,
Sacrumq́; corpus oſculer. quæ me fuit
Aeterno ab æuo mater infelicior?
Si dempta nobis copia adeundi fuit,
Quum ſuſtineret languidis humeris crucem,
Cur nunc negatum eſt corpus extinctum mihi?
O quale noſtris gaudium præcordijs,
Et quanta fracto ſurgeret cordi quies:
Si ſaltem in iſta filium poſſem manu
Tenere, & omnem tergere è membris luem,
Lachrymisq́; ſparſis uulnera & totum meis
Lauare corpus fletibus, ſancto dehinc
Lotum ſepulchro condere. ô ſæuum genus
Hominum, leone ſæuius, & omni fera.
Nunquid triumphans, nunquid egregium decus,
Seuire in iſtud corpus extinctum? ferox

Non

Nondum ira cecidit? perfidæ nondum fames
Expleta gentis? mitius uiuunt leæ,
Minusq́; in hoſtes ſæuiunt. Chriſtum mori
Fuerat neceſſe: debuit gnatus mori:
Non tot furentes perpeti mortes. ſemel
Extingui amœnum eſt: ſæpe funeſtum mori.
Quacunq; ducit rupta ſpiratum caro,
Generoſa proles potuit occidi: ſatis
Nimiumq́; fuerat unicum uulnus. comes
Vtinam fuiſſem. ſed quid hæc tantum querar?
Quando peremptum miles infixit latus?
Ioan. Sacrata mater, ſancta cunctorum parens,
Ceſſet parumper pectore infirmo dolor.
Mar. O ſola matris, unica ô matris quies,
O mortis huius dulce teſtimonium,
Cladisq́; tantæ, uirginem matrem uoca,
Vti in ſuprema morte legatum fuit.
Benigne fili, quomodo abſtractum cruce
Fratrem ſepulchro dabimus extremo tuum?
Ceſſauit omnis tempore hodierno fides.
Ioan. Sacri uoluntas patris inueniet modum.
Mar. Quodcunq; magnus uoluerit, fiet, pater.
Ioan. Neceſſe fieri quicquid impoſuit pater.

ANGELVS, PETRVS.
Angelus loquitur.

IVdæa turba gaudeat in hoc paſchate,

Dent thura flammis, uictimæ ad flammas cadant.
Iam iam profundæ tartari nigri fores
Rumpentur, atra ſquallid: ferrugine.
Adeò tenebris obſitum tetris ſpecum,
Vbi negato Petrus eluget Deo.
O Petre, miſeros extras uultus ſpecu,
Maiore clade luctus aufugiat minor.
Chriſtus precando ſpiritum, & pendens dedit.
Pet. Quis me in profundo nominat triſtem ſpecu?
Mulcere triſtem triſtis incaſſum parat.
Ang. Sum qui Tonantis pareo iuſsis Dei,
Et quò iubente trano candentem æthera.
Summus repertor lucis & rerum ſator,
Me miſit ad te, Petre. quid frontem trahis?
Pet. Quid eſt, quod ad me cœlico edicto uenis?
Ang. Me miſit ad te ut nunciem, quicquid fuit.
Pet. Scio negaſſe, nuncies quicquid fuit.
Ang. Hòdie uidua remanſit extincto duce
Iudæa tellus. Pet. Vltra quid iniqui eſt, refer.
Ang. Ieſus hodie fixus eſt ligno tuus.
Pet. Hei mihi. Ang. Cupido cauſa delicti fuit.
Pet. Vbi ſceleſtus proditor Iudas? ſequi
Potuit Tonantem, quum ad necis ductus locum?
Ang. Ad ipſum Ieſus Pontium ut ductus fuit,
Pœnituit acti proditorem criminis.
Precio per aulas fugit eiecto, pium
Peccaſſe dicens ſanguinem ut uendens dedit,

Cauſam

Cauſam inquinati ſceleris. hic tandem ſuum
Strinxit prophanum funibus guttur miſer,
Aluoq; rupta ſpiritum emiſit ferum,
Moriensq; tanti criminis pœnas dedit.
Pet. Precium reiecit proditor noſtri ducis?
Ang. Precio reiecto,utq; abijt,eiectum patres
Dixere fiſco non ſuo dandum,ſacri
Quod eſſet illud ſanguinis precium.tamen
Agrum coëment,cuius extincti aduenæ
Tanquam ſepulchro condier poterunt loco.
Pet. Quid mox peractum eſt?nũquid hic finis mali?
Ang. Poſtquam ſuperbo traditus Ieſus choro eſt,
Exarſit omnis,flammeos animos uomens.
Eſt uiſus Aphris tygribus factus dapes.
Satiata nuſquam principum frendens cohors,
Collum uolutis funibus ſtrinxit:furens
Inſuper onuſtam noxia imponit crucem.
Quoties labando pondus ob tantum cadit,
Toties repulſu ſurgere impellunt graui.
Pet.Conſumor imis fletibus,cor æſtuat,
Cur non adeſſem uiribus noſtris minax?
Fudiſſet iſta militum cuneos manus.
Sperare nullam ſumma uictorum eſt ſalus.
Ang. Hic gaudialis omnibus uiſus dies.
Pet. Rebus ſecundis nullus eſt diuis honor.
Ang. Pectus miſericors eleues tuum precor,
Facilemq; dictis præbeas aurem meis.

Pet. Pectus miſericors arduum nimis genit.
Et quo reuoluo funditus rerum caput
A' fine, tanto grauior adcreſcit dolor.
Dic quale uirgo paſsa tormentum fuit,
Præſtabo dictis ſupplicem mentem tuis.
Ang. Vt uirgo ſenſit filium in uinclis ſuum
Laborioſos perpeti angores, ſtatim
Tremore quaſſa concidit, pallor genas
Grauis occupauit, mucro transfodit iecur,
Totumq; corpus cœpit infauſtum gelu.
O quos dolores pectus infirmum tulit?
Tormenta quanta tremas perpeſſa eſt caro?
Vix illa duram preſserat terram cadens,
Quum luget, omnis qualis extincto duce
Deſerta lachrymat caſside abiecta phalanx.
Tum Martha, & una crinibus ſparſis ſoror,
Alte eleuantes uirginem ſtratis locant.
Pet. Crudelis ô ſors, filium ſtrages necant,
Dolorq; matrem filij abſentem premit.
Ang. Vt ille ceſsit paululum è membris tremor,
Sumpſitq; uires paululum uigor ſuas,
Tremente paſſu pallidum uultum gerens,
Surrexit, & mox exijt dulci domo:
In qua ante (ſcis hæc) filium amplexa eſt ſuum,
Precata gratos egredi ut nollet lares.
Vix urbis altos uiderat muros procul,
Quum mœſta cœpit tollere in cœlum ſuas

Iunctis

Iunctis querelas manibus: emiſsis tonat
Immenſus æther uocibus. portam ſubit,
Vrbisq́; primum queſtibus replet locum.
Vix ullus omni populus errabat uia,
Veluti quietis tempus in terris foret.
Cumularat omnem Chriſtus adprehenſus gregem.
Nondum ad ſuperbas uenerat Pontij domos,
Quum ſub fabrili uidit exciſam manu
(O horror ingens) ponderis uaſti trabem,
Heu deſtinatam præſidi noſtro. Pet. *Dolor*
Meum occupauit pectus, & ſenſus tremunt.
Ang. *Vt illa lignum ſenſit i[illegible] rucis fore,*
Moriturus in qua ſpiritum Chriſtus daret.
Vtroq; flexo procidit coràm genu,
Complexa mox eſt lachrymis ſparſis: dehinc
Clamore tali lucidum diem ferit.
O cruda ligni gratia, ô lignum minax,
Opusq́; triſte, cuius in medio ſinu
Noſter cruorem filius ſparget ſuum:
Ad id reciſa es arbor, ut pectus meum
Premeres? per imum cuſpide intranti iecur.
O crux amara, quale ſupplicium paras
Miſeræ parenti: ſæua tormentum meo
Genitura maius filio? ô mortis genus
Crudele: nunquid meruit hanc gnatus necem?
Homicida qualem nullus in terris tulit,
Et latro nullus: Chriſtus hoc iſto die,

Debebat, illum cernere exoptans prius,
Quàm conſecratum ſpiritum in ligno daret.
Pet. Diſrumpor animi, quicquid eſt actum, refer.
Ang. Vix urbe celſa exierat armatus chorus,
Quum uirgo Maria filium uidit ſuum,
Et cœpit omnem uoce lugubri locum
Implere: nimium perfidam gentem uocans.
Pet. Sentire ſanguis ſanguinis cladem ſolet.
Ang. Stillabat ingens ſudor è uultu Dei,
Cruore mixto. Pet. Sanguinis ſudor fuit,
Fundendo qualem fudit è uultu preces.
Ang. Tunc unà uelo tergit & ſiccat ſuo.
Imago uultus manſit in uelo. Pet. Parens,
Quid ut propagem triſtis inſpexit ſuam? (Tonans,
Ang. Cecidit. Pe. Quid ultra? An. Cecidit et ſummus
Tunc nulla uirtus geſtiens uires dabat.
Chriſtus iacebat preſſus ob lignum graue.
Alter ferocit: unus à plantis trahit,
Alter grauatum funibus tollit caput.
Pet. Tulit ergo mortem proprijs humeris ſuam?
Ang. Tum forte in urbem ruſticus quidam Simon.
Veniens, retentus pondus immenſum tulit.
Sed dum Tonantem clade ſanguinea grauant,
Chorus mulierum flebat horrendas uices,
Gemitu ſequentum more funebri dato.
Quas ut profuſis lachrymis flentes uidet,
Vultu reflexo Chriſtus adfatur pie:

O qua

O quas acerbus commouet dolor mei,
Mœſtæ mulieres fletibus detis modum:
Siccis perennes lachrymæ cedant genis.
Nolite flere, funebris ceſſet dolor.
Nolite ſuper hunc flere: ſed ſuper hoc genus,
Liuore cuius patior, & crucem gero,
Fleatis omnes: ueſter aſcendat polum
Luctus, per æuum trahite lugubres dies.
Nam tempus aderit, quo hoſtici ueſtros lares
Prement manipli, & hoſtis aſcendet domos
Iudæa flammis ciuitas ſæuis tuas.
Rumpentur alta turrium faſtigia,
Et rima totas facta confundet domos.
Horrenda tandem ciuitas coget fames,
Coacta mater filium extinguet ſuum.
Erit maritus coniugis charæ cibus:
Pulſus uorabit coniugem coniux fame.
Natus parentem, filium extinguet pater.
Beata ſterilis ſi qua erit in illo die:
Dicetis omnes, montibus ruptis uagi
Lapides citatis curſibus ad imum premant.
Quid grande ceſſas fluctibus longis fretum?
Cur non dolentes obruis facto ſinu?
Poſthæc duobus milites latronibus
Vinctis, Ieſum mortis adducunt locum.
Pet. Quæ nuncias? qualis fuit mortis locus?
Ang. Caluariæ montis fuit mortis locus.

Peruen-

Peruentum ut eſt caluariæ ad longum ſitum,
Spoliando lacerum quilibet ridet deum:
Cruenta ueſtis corpori hærebat ſacro:
Qua trahitur illa, adtrahitur & ſimul caro:
Iugis flagellis impijs exit cruor:
Nec ulla pietas efferam gentem mouet.
Duplicatus inde uulnerum ſæuus dolor,
Vbiq; ſanguis pectore adglomerans fluit:
Quàm ſi eſſet ingens fluctibus torrens ſuis.
Aequata crux eſt gentibus demum ſolo,
Veluti ſuperbam ſterneret uentus trabem.
Diſtractus inde Chriſtus æternus fuit.
At ne cruoris pectore exirent globi,
Abſtergit unus uulnera effracto ſale,
Aquis aceto turgido mixtis ſimul.
Pet. *Hic iam repertum eſt omne pœnarum genus.*
Ang. *Adcreuit imo pectore adfligens dolor,*
Quo non dolorum maior eſt omnis ſtrues.
Intrauit unda ad intimum extemplo locum,
Tetigitq; fibras cordis infirmas ſui.
Et tum ſupini dextera adpræhenſa eſt manus,
Hebetiq; clauo fixa in horrenda cruce.
Immenſus illi ſæuiens membris tremor,
Corripitur omnis neruus, & ſeſe premit:
Ex quo ſiniſtra proprium fugit locum.
(Diſtabat autem plurimum à loco ſuo,
Vbi conſtitutum fuerat infigi manum

Pet.

Pet. Vidiſſet oculus, fando quæ tantum premunt.
Ang. Tunc turba duris funibus læuam manum
Neruis ſolutis proprium ad locum trahit.
Sed forma membris languidis pedum minor,
Foramen actum non crucis tentat ſuum.
Iterum reuinctis pedibus ingrati trahunt,
Vnusq; clauo perforat tuſo pedes.
Adparet ecce uiſcerum eruptus locus,
Locis hiatum plurimis corpus dabat.
Pet. Me miſerũ. Ange. Vt alte pectus effractũ fuit.
Erecta demum crux, & infixa eſt ſolo,
Vbi Pilati fuerat hoc ſcriptum manu:
Hic eſt Ieſus Nazarenus rex tuus
Iudæa turba. tale quæ ut ſcriptum uidet,
Muſſauit alte. Pontius firmum tamen
Voluit, quod ipſe ſcripſerat, demum foret.
Mox & latrones crucibus adfigunt duos,
Vt nulla diro ſcelera ceſſarent die.
Medius Tonantis filius ſtabat lacer.
Sed dum perurit Phœbus immenſas plagas,
Iam iam hora nona uenerat, ſtatim tremit
Tellus, tenebris conditum eſſe furuis iubar.
Et tunc Ieſus debile inclinat caput
Suum, profuſis plurimis uerbis prius.
Pet. Prædixit omne plurimis uerbis prius.
Ang. Montes hiulcis ſpiritum emittunt locis,
Contuſa ſaxa rumpit exortus fragor.

Corpora

Corpora reſurgunt functa ſanctorum, graui
Monumenta pulſu rupta ſpiratum trahunt.
Eſt ſciſſum ad imam culmine à celſo baſim
Templum, patentes murus & rimas capit.
Tunc inter omneis Centurio gentes ait,
Vere hic superni filius fuit Dei.
Quod tanta cœli ſigna per terras probant.
Poſtquam cateruæ cæſo Ieſu, militum
Chorusq; abire ſtatuit implacabilis:
En miles unus luminum captus uice,
Equo fugaci tranſiens, dextrum latus
Transfixit acri lancea Chriſti. fluit
E' latere mixto ſanguine undarum liquor.
Sanguis per haſtam defluens, tetigit manum
Dextram furentis militis. totam cruor
Vt tinxit ingens dexteram, ſtatim manum
Adpoſuit oculis miles elatam ſuis,
Miratus ipſo ſanguine humentem tremens.
Vt tetigit, illa cæcitas fugiens abit.
Pet. An etiam Ieſus pendeat ligno, refer.
Ang. Iudea turba ut mortuum Chriſtum uidet,
Adit Pilatum precibus emiſsis, rogans
Vt iubeat acri mortuos tolli cruce,
Ne ſit ſacrati Paſchatos fœdus dies.
Sed ut adnuit Pontius, utrumq; anhelitum
Vident latronem trahere: tunc frendens cohors
Contrita crura fuſtibus frangit, ſuum

Donec remiſſo ſpiritu inclinent caput.
Ibi ſepulchrum non procul ligno nouum,
In quo ſacrati corpus æternum dei
Condetur: ideo ô Petre, fac longum gemas.
Dixiſſe uoluit omnia hæc ingens Tonans.
Opus eſt adire cœlicæ ſedis patrem.
Pet. Abijt Tonantis nuncius: flebo diem,
Donec reſurgat, flebilem intrabo ſpecum,
Vbi patratum fletus emundet nephas.

IOSEPHVS, NICODEMVS, Iudæi.

Ioſephus loquitur.

EAmus ambo: Pontius iuſsit cruce
Tollatur almæ uirginis proles. ueni.
Nic. Properemus ergo. Ioſ. Funeri quod opus tenes?
Nico. Hic ſunt odores manibus, atq; aromata,
Quibus perunctum linteis corpus dei
Condem uolutũ. Ioſ. Eſt alta crux. Nic. Scalis opus.
Ioſ. Aſcende lignum, liberes dextram manum,
Donec labantem fecero clauum pedum.
Nico. Inuolue longa ſindone, & ſurſum tene.
Ioſe. Sindone uolutum corpus? Nico. Ah uirgo tace:
Plangore nullo pectoris ceſſat dolor. (eſt.
Ioſ. Vbi eſt ſepulchrũ. Ni. Nõ procul in horto nouũ
Iudæ. Abite cuncti. Ioſ. Mater æterni dei,
Hinc eſt eundum: lachrymæ inueniant modum.

Quum

Quum non reuerti quicquid eſt actum, poteſt.
Iudæ. Stemus parati. Pontij magnus lapis
Clauſus ſigillo eſt: noſtra ſit telis manus
Armata. uenient impij iſtius graues
Diſcipuli, & iſtud proruent ſaxum: quies
Sit nulla, noſtrum lumen effugiat ſopor.
Vigilemus omnes, conditus Chriſtus iacet,
Hoc in ſepulchro eſt: omnis adſeruet uigil.

CHORVS.

O ſummi pietas, ſummus amor patris,
Quum miſit ſupero tramite filium,
Humanum ut moriens protegeret genus,
Sparſo à tartareis ſanguine uinculis.
Intrauit rigidas Chriſtus ouans domos
Inferni, & ſtygia eſt territa ianua.
Horrendi ingluuies dæmonis occidit,
Et porta ætherei clara patet poli.
Serpenti quid enim profuit impio,
Euam multijugis uincere fraudibus?
Quum crux tartareum proruat impetum.
Claudentur tenebris portæ adamantinæ,
Aeuum in perpetuum triſtibus obſitæ.
Actum nil fuerat ſede in olympica
Efformaſſe hominem, crux niſi perfidum
Vinciret meritis dæmona uinculis.
Nunc Iudæa manus, quo tegitur, ſacrum
Cuſtodit lapidem, corpus, & improba

Viderunt, teſtes iam uiuere carne reſumpta.
Sola fuit rabies recutitæ incredula gentis.
Necdum exuta nefas, noſtrosq; hoc uſq; ſub annos
Permanet infidum Chriſto genus, exiliumq;
Aeternum patitur, nec certas incolit uſquam
Terrarum ſedes, ſed finibus omnibus errat,
Inuiſum cœlo, ac terris, pulcherrima poſtquam
Amiſit ſceptra imperij, regnoq; paterno
Expulſum, toto ſine ſede uagatur in orbe.
Ille potens igitur mundi faber, ille redemptæ
Vitæ autor, domitorq; necis, poſt multa reſumpti
Aedita ſigna hominis, reducisq; in corpora uitæ,
Poſt uitæ erumnas, duræq; pericula mortis,
Sublimi tandem per nubila regna uolatu
Aethereos abijt populo ſpectante receſſus,
Vnde datas mundo leges & fata potenti
Cuncta manu regit & parentibus imperat aſtris.

FINIS.

DISTICHA, SINGVLORVM TOtius Noui teſtamenti capitum Summam complectentia, ſeruato etiam in ſingulis ordine Alphabetico, iuuandæ memoriæ gratia.

IN MATTHAEVM.

Cap. I.

Angelus in ſomnis iuſtum ſolatur Ioſeph,
Prototoco Mariæ nomen Ieſus erit.

II.

Barbara gens Arabes dant myſtica dona, parentes
Angelica Aegyptum iuſſa ſubire monent.

III.

Chriſtum Ioannes baptizat flumine, uerbis
Acribus incuſat uipereumq; genus.

IIII.

Deuicto Sathana concedens in Galilæam,
Dum quatuor reparant rete, lauantq;, uocat.

V.

Edicit ueteris quæ ſit ſententia legis,
Datq; inſtrumenti ſancta ſtatuta noui.

VI.

Forma eſt ieiuniq;, elecmoſynæq;, precumq;,
Præcipit inq; diem uiuere more auium.

VII.

Grandem deme trabem, deuita pſeudoprophetas,
Fac alijs, fieri quod cupis ipſe tibi.

VIII.

Inſtat leproſus cum Centurione,ſocruſq́;
Surgit,glandiuorax in mare porcus abit.

IX.

Languide tolle thorum,dicit,ſanatq́; duorum
Lumina cæca,nouis dat noua uina cadis.

X.

More ouium mittit lacerandos dente luporum,
Admonet atq; crucem tollere quemq; ſuam.

XI.

Næ patitur rapidi uim magnam regia cœli.
Dulce iugum,at ſtultis hoc modo noſſe licet.

XII.

Omne perit regnum per bella domeſtica,nullum
Admiſſum in ſacrum pneuma lauare queas.

XIII.

Plura docet uarium,ſed per tectoria , uulgum,
Scribis ut in pſalmis ſancte propheta tuis.

XIIII.

Quũ ſtuprũ carpſit Prodromus, caput obtrũcatur.
Panes quinq; cibant millia quinq; uirûm.

XV.

Res nulla ingrediẽs per os,intima corda prophanat,
Quæ menſisq́; cadit mica,catellus edit.

XVI.

Signa petunt,prohibet Rabi fermenta maligni,
Bar Ionæ Petrus,bar ſatanæq́; Petrus.

XVII.

Transformat faciem ſuper alta cacumina montis,
Pro Petroq́; iubet ſeq́; numiſma dari.

XVIII.

Vectat ad aſtriferum puerorum imitatio regnum,
Et nummum decies mille remittit herus.

XIX.

An licet uxorem, dicunt, amittere? Chriſtus
Promittit famulis centupla dona ſuis.

XX.

Bacchæam ad uitem quater inuitauit Ieſus,
Pocula amara ſuo cumq́; nepote bibit.

XXI.

Cantat Hoſanna pium, ſacro deturbat ementes,
Hæredem uitis ruricolæq́; necant.

XXII.

De tauris, cenſu, defuncti uxore docetur,
Chriſtus & eſt Dauid filius, eſt & herus,

XXIII.

Eximiam Moſi ſcribæ inuaſere cathedram,
Quorum facta uetat, dicta tenere iubet.

XXIIII.

Fiet ut hoc quõdam ruat alto à culmine templum,
Ingruet incautis ultimus ille dies.

XXV.

Gaudebit uirgo cuius funalia lucent,
Hædos læua tenet, dextera ſeruat oues.

XXVI.

XXVI.

In caput unguento fuſo, capitur. perit enſe
Vulnifico, quiſquis percutit enſe uirum.

XXVII.

Liuida turba coit, damnat Pilatus, Iudas
Sed dolet, innocui ſanguinis eſſe reum.

XXVIII.

Mox uiuus rediјt, custos corrumpitur, orbis
Diſcipulos quatuor iußit adire plagas.

IN MARCVM.

Cap. I.

Abluitur Chriſtus, reparantur retia, dæmon
Eiјcitur, ſocru pellitur ægra febris.

II.

Bis duo contractum portant, ſequiturq́; telones,
Et leuat obſcœnam ſpica reuulſa famem.

III.

Curataq́; manu propellit pneumata, ſcribæ
Sed dicunt factum principis eſſe Zebul.

IIII.

Donatum eſt uobis regni myſteria noſſe,
Quorum qui foris eſt nulla retecta uidet.

V.

Et fluxum ſiſtit contactu ueſtis, & audit
Tabitha cumi nata Iaire tua.

VI.

Filius eſſe fabri fertur, prodromusq́; necatur,
Hydrobatem Chriſtum phaſma putare ſui.

VII.

Grandi proſternit decreta humana tonitru,
Dicit & ephpheta, quod reſcrare ſonat.

VIII.

In quatuor ſeptem partitur millia panes,
Quem ſeſe eſſe putent diſcipulosq́; rogat.

IX.

Lapſantem ſanat, Satanam uidere fugantem,
Hortatur iuſti regna ſubire Dei.

X.

Moſes connubium dirimit, diuesq́; recedit:
Qui dexteram cupiunt, pocula amara bibunt.

XI.

Nec non Baptiſtam dederint homines'ne deus'ne,
Quærit, commendat cum precibusq́; fidem.

XII.

Occant cleronomum, ſic dicitur ad Xenodoxum:
Lex magna eſt, tota dilige mente Deum.

XIII.

Plures aduenient noſtro ſub nomine quondam,
Vltima ſolius eſt tempora noſſe patris.

XIIII.

Quæritur ad mortem Chriſtus, dat baſia, Petrus
Cogitur ancillæ uoce negare Deum.

XV.

XV.

Riſus, damnatus, confiſus penditur, Eli
Clamat, ſe patrem deſeruiſſe ratus.

XVI.

Sabbata poſt Mariæ Chriſti inuiſere ſepulchrum,
Signa docet fidei, ſidera adire parans.

IN LVCAM.

Cap. I.

Auſers Zachariæq; metum, Mariamq; ſalutas
Angele, magnificant carmina bina Deum.

II.

Baiulat ad templum materq; paterq; puellum,
Gloria in excelſis turma ſuperna canit.

III.

Collibus æquatis uaſte inclamatur eremo,
Viſit Ioannis ſacra lauacra Deus.

IIII.

Dæmone conuicto recitantem uerba prophetæ,
Liuida turba uicit per iuga ſumma Deum.

V.

Exi Petrus ait, demittunt quatuor ægrum,
Infunditq; nouis uina nouella cadis.

VI.

Formam præſcribit qua poßis eſſe beatus,
Mattheus triplici continet hancce tomo.

VII.

Greſsum quando Naim direxit,ſurgit ephebus,
Peccatrix domini colluit inde pedes.

VIII.

In campum triplicem iactato ſemine,uentis
Imperat,exurgit nata Iaire tua.

IX.

Legat diſcipulos pera & bacculo ſine,& abſit.
Nidus habet uolucres, ſunt ſua luſtra feris.

X.

Meſsis multa,ſciunt ſtulti myſteria,latro
Sauciat,& Mariæ tecta redemptor adit.

XI.

Nec non de precibus ſtatuit, cacodæmonas arcet,
Væ geminat ſcribis,Zachariasq; cadit.

XII.

Occidunt corpus,tendit granaria auarus,
Cingulum habet lumbos, atq; lucerna faces.

XIII.

Poſt turre oppreſſos releuatur fœmina curua,
Et cadit in Solymis uſq; propheta ſacris.

XIIII.

Quemlibet iſte tomus moueat de duplici cœna,
Atq; odiſſe animam,ac ædificare domum.

XV.

Rimat paſtor ouem,datur & ſubſtantia nato,
Sed cibat hunc ſiliquis imperioſa fames.

XVI.

Salem habet œconomus, cui mammona fecit amicos.
Pauperis & lambunt hulcera ſæua canes.

XVII.

Truditur in pelagus, fidei incrementa petuntur,
Vxor Lot perijt, non rediere nouem.

XVIII.

Vindicat hinc iudex uiduam, duo templa reuiſunt,
Diues abit, curat lumina cæca fides.

XIX.

Aſcendit ficum Baſileus, *it regna paratum,*
Et populus domino cantat Hoſanna *ſuo.*

XX.

Baptiſmus ſiet unde rogat, uineta locantur.
Fœmina ſepteno nuptitat una uiro.

XXI.

Coram principibus dabitur ſapientia uobis,
Crapula ne mentes, ebrietas ue grauet.

XXII.

Deinda duo Solymas adeunt, quo paſcha paretur,
Quod ſitijt uotis omnibus ante crucem.

XXIII.

En ludit præſes Chriſtum, furit impia plebes,
Staurophorum ſequitur plurima turba gemens.

XXIIII.

Fulget ueſtitus, Mariæ bona nuncia portant.
Itur in Emmaon, Chriſtus ad aſtra redit.

IN IOANNEM.

Cap. I.

Aeterno patris ſermone eſt gratia facta,
Huncq; notas digito Prodrome ſancte tuo.

II.

Bis ternis guttis laticem immutauit Iaccho,
Pellitur & templo rauca columba ſacro.

III.

Cœlum quo ſcandant renouati pneumate, natus
Siderea ſummi uenit ab arce patris.

IIII.

Deuitat mulier potantem fonte perenni,
Pro puero ad Canaan quem Baſiliſcus adit.

V.

Eualet & languens, & Moſi ſcripta probantur:
Qui credit Moſi, credet & ille mihi.

VI.

Feſtum paſcha aderat, dum diuidit hordea turbis,
Et dum de uero mannate uerba facit.

VII.

Grandia dicentem uiuo de flumine, fruſtra
Conantur uinclis illaqueare ſuis.

VIII.

Ignoſcit mœchæ, qui maior & ante Abrahamū eſt,
Inq; illum ſathana ſaxa tulere ſati.

IX.

Luce data cæcum faciunt ſcribæ aſynagogum:
Vt ſemper uitiant optima facta mali.

X.

Mites paſtor oues gelida uel morte tuetur,
Ne leo dilaceret, neu lupa rauca necet.

XI.

Notatur Chriſto fatum inſuperabile amici,
Euocat & tumulo, Lazare adeſto foras.

XII.

Obuia plebs currit præciſis arbore ramis,
Et cantat domino carmina læta ſuo.

XIII.

Pelui immittit aquam, plantas tergitq́; lauatq́;,
Exemplo famulos ſic docet ille ſuos.

XIIII.

Qui mea iuſſa facit, pater hunc cœleſtis amabit,
Et paracletum alium me rogitante dabit.

XV.

Reiecto uitis frondoſæ palmite à carpo,
Oderunt gratis meq́; patremq́; meum.

XVI.

Sacrum promittit flamen, quo crimina mundi
Culpentur dubij, mox rediturus abit.

XVII.

Tempus adeſt, reuehat genitor tua gloria natum,
Qua ſine principio glorificatus eram.

XVIII.

Veſanus miles Chriſtum captiuat, & Hannas
Cum ſocero, accuſant præſidis ante domum.

XIX.

Abluit ille manus, Chriſtus cruce pendet ab alta,
In qua dum ſitijt, fellea uina bibit.

XX.

Blandius alloquitur Mariam, timidosq́; ſalutat
Occluſis foribus, poſt redit octo dies.

XXI.

Conuocat ad littus ſeptem aſſo piſce cibandos;
Paſcendis ouibus præficiturq́; Petrus.

IN ACTA APOSTOLORVM.

Cap. I.

Ad Solymas repedan, quũ Chriſtus ad aſtra rediuit
Ac prodotæ ſatagunt ſorte replere locum.

II.

Baptiſat ter mille uirûm, dans uerba prophetæ,
Quod phthiſis in Chriſtum non cecidiſſe queat.

III.

Conſolidat baſes plantarum in nomine Ieſu,
Qui tulit horrendæ uincla inamata crucis.

IIII.

Diſcipulosq́; rogant, quæ ſit tam rara poteſt:
Atq; inhibent Domini uerba ſacrata loqui.

V.

E` precio fraudant, concluſi carcere gaudent
Diſcipuli, ob Dominum flagra tuliſſe ſuum.

VI.

VI.

Fit maior numerus, Stephanum damnat Synagoge,
Peccaſſe in Dominumq́;, in Dominiq́; locum.

VII.

Gliſcente inuidia ſcribarum, hic ſidera ſpectans,
Chriſtum, ait, à dextris cerno manere patris.

VIII.

Intrans Samariam uertit Simona Philippus,
Eunuchus fluida purificatur aqua.

IX.

Lumen adeſt, ſubitum Paulo accedente Damaſcum,
In Ioppe, Cumi, Dorcadi Petrus ait.

X.

Mox tibi Corneli ab Ioppe Simona uocanti,
Parendum docuit uiſio ſancta Petrum.

XI.

Narrat deinde Petrus culpantibus iſta quibuſdam,
Adq́; fidem plebes Antiochena uenit.

XII.

Obſtupuere, Petro quando cecidere cathenæ,
Phthiriaſi Herodes moxq́; ſuperbus obit.

XIII.

Piſidiæ ut tabem Dauida tuliſſe probaſti,
Verteris ad gentes Paule, docesq́; tuas.

XIIII.

Quo minus in Lyſtris holocauſta crementur odora
Paulo, uix magna uoce inhibere poteſt.

XV.

Reddere non poſſunt Moſi decreta ſalutem,
Hanc ſiquidem nouit ſola dediſſe fides.

XVI.

Scita patrum firmat: Paulum Pythona *fugantem,*
Cuſtos præcipitem in carceris ima iacit.

XVII.

Theſſalonicæ aperit Chriſti uitamq́;,crucemq́;,
Cecropiæ ignoto eſt ara ſacrata deo.

XVIII.

Verbum ter ſenos menſes docet inde Corinthi,
Sicq́; eloquens Epheſi *& doctus* Apollo *facit.*

XIX.

Ablati rurſum per flatus dona prophetant,
Teq́; Epheſus celebris magna Diana *colit.*

XX.

Blando ac letheo preſſus cadis Eutyche *ſomno,*
Paule *times ouibus multa pericla tuis.*

XXI.

Colligat hic Agabus Pauli *palmasq́; pedesq́;,*
Sic Paulum *in Solymis dupla cathena ligat.*

XXII.

Diſſidium ut nequijt Iudæa *tollere lingua,*
Cædunt Romanum *lenta flagella uirum.*

XXIII.

Exemptum uinclis depalmant,inſidiasq́;
Propter Fœlicem *& Cæſaris oppidum adit.*

XXIIII.

XXIIII.

Facundus Paulo Tertullus crimina tendit,
Ille ſibi impingi crimina falſa probat.

XXV.

Gnare, Feſtus ait, Solymas uin' Paule remitti?
Abnuit hic, dicens, Cæſarem adire uolo.

XXVI.

Iam nihil eſt Paulus cur inſanire putetur,
Nam loquitur ſano uerba modeſta animo.

XXVII.

Læti importunam eſuriemq; ſitimq; leuate,
Nam modò fluctiuaga eſt diſſoluënda ratis.

XXVIII.

Mitigat in Melite dyſenteron, hæret echidna,
Romulidas Chriſtum nocte dieq; docet.

IN D. PAVLI EPISTOLAM ad Romanos.

Cap. I.

Attollit fidei uirtutem, moroſophorum
Quod male patrarint turpia facta notans.

II.

Bucaeus eſt iudex, eadem quæ iudicat, idem
Deſignans: prodeſt nomen inane nihil.

III.

Cœlica præſecto data ſunt oracula uerpo,
At nihilo eſt Græcis iuſtus apella magis.

IIII.

Debetur fidei, quod iuſtificatur Abramus:
Cæſio pelliculæ ſignum erat ipſa fidei.

V.

Eſt & gratuitæ fidei ſpes certa ſalutis,
Lex obiter ſubit ad multiplicanda mala.

VI.

Fons ſacer occidit mundo, cœloq́; regignit.
Nullum igitur uitium putre cadauer amet.

VII.

Grande iugum ponit mulier moriente marito,
Corpus Chriſte tuum ſuſtulit omne iugum.

VIII.

Inſitus es quiſquis Chriſto, ſeruaberis, ut quem
Separet immenſi nil ab amore Dei.

IX.

Legis cognatos iuſte deplango repulſus,
Huc licet uſq; aliquot ſeruet ametq́; Deus.

X.

Miror quod Iudas legi tam mordicus hæret,
Cogitet ut uera de pietate nihil.

XI.

Non omnes repulit, poteruntq́; redire repulſi:
Quod facit, ut Iudam temnere nemo queat.

XII.

Obſecro ueterem Chriſto mactetis Adamum,
Lœdoria officijs pendite amara pijs.

XIII.

XIII.

Principibus pare, nullum non dilige: totam
Perficies legem, ſi philadelphus eris.

XIIII.

Qui ſine delectu comedis, ne ſperne puſillos:
Quanquam ſunt puris omnia pura legis.

XV.

Robuſti infirmis de ueſtro cedite iure,
Exemplum Chriſti ne pigeatq; ſequi.

XVI.

Suſcipiant Phœben, deuitent chreſtologosq́;,
Dogmata nam uitiant uentris amore ſacra.

IN I. AD CORINthios epiſtolam.

Cap. I.

Admoneo, ne ſint nos propter ſchiſmata, Fratres:
Solus enim Chriſtus ſonsq́; paterq́; boni eſt.

II.

Blandi uaniloquam contemno rhetoris artem,
Cœlica ſimplicibus prædico ſcita logis.

III.

Cœlica pneumaticus poſuit fundamina Paulus,
Saxa ſuperſtruier non peritura monens.

IIII.

Degeneres reuocare gradum, ueſtigia patris
Haud pigeat iuſtis paßibus uſq; ſequi.

V.

E' cœtu infandi contagia pellite ſtupri,
Ne uitient omnem contaminentq; legem.

VI.

Fratres deſueſcant contendere lite inhoneſta,
Expediunt pauca, & ſi mihi multa licent.

VII.

Gratus eris ſuperis, ſi cœlebs uixeris. aſt non
Cogito uirginibus legifer eſſe ſacris.

VIII.

Idolum ſcis eſſe nihil, tum tu uſq; cauebis
Infirmum Bromio perdere, ſiue cibo.

IX.

Liber ſum, quanquam mea iura relinquo, brabeion
Iuſtus agonothetes poſt ſtadia ipſa dabit.

X.

Moſes quod transijt ſicco pede per mare rubrum, et
Cætera, nos propter pagina ſacra refert.

XI.

Nemo non facito quod ſe decet: hoc quoq; nemo
Non reputet ſecum, quod ſacra Muſa docet.

XII.

Omnia pneuma ſacrum dat, omnia iungit in unum
Sacra paligineſis corpora, fonsq; ſacer.

XIII.

Plura licet facias, nihil eſt quod adæquet amorem:
Chriſti fortis amor ſpemq; fidemq; ponit.

XIIII.

XIIII.

Qui loquitur linguis,pro uiribus ille prophetet,
Conticet ad cœtum fœmina rite uirûm.

XV.

Reſtat mors Chriſti,redituſq́; è carcere Ditis,
Morſus Chriſte tuus liberat unde pios.

XVI.

Siq; eleemoſynam dabitis,ſeponito quiſq;,
Dum ueniam:fortes interea eſte uiri.

IN II. AD CORINTHIOS epiſtolam. Cap. I.

Affligunt caſus uarij,& diſcrimina magna,
Lætificant animum gaudia magna meum.

II.

Bellus odor Chriſti quiſquis cupit eſſe,cauebit
Sacra Panomphæi uendere uerba Dei.

III.

Condemnat Moſes:tamen huic eſt gloria magna,
Chriſte tibi merito gloria maior erit.

IIII.

Dixerat è tenebris Deus illuceſcere lucem,
Quam nimium obſcurũ & fictile corpus habet.

V.

Et ſi terreſtris non æquis caſibus ædes
Occidat,æthercam ſoluere nemo queat.

VI.

Gaudeo me uobis peperiſſe dolore ſalutem,
Gaudeo quod læti ſuſcipitisq́; Titum.

VII.

Fortunam diſce hic perferre utramq;, deinde
Perpetuum cunctis dicere chære malis.

VIII.

Impero nil,modò commoneo:uos tenue Ieſu
Omnibus unguiculis quiſq; ſequatur iter.

IX.

Lætor quod uobis tanta eſt propenſio mentis,
Dandi eleemoſynam,quà releuetur inops.

X.

Milito non carni,ut non uere impingitur:idem
Et procul & coram Paulus ubiq; manet.

XI.

Non ego ſum inferior magnis,facióue minora,
Caſibus aduerſis exagitorq́; magis.

XII.

Optaui ſathanam Chriſtus depelleret à me:
Sufficiens,ait, eſt gratia Paule tibi.

XIII.

Prædico repetens,iterumq́; iterumq́; monebo,
Vobiſcum haudquaquam diſſimulanter agam.

IN EPISTOLAM AD GALATAS. Cap. I.

Angelus è cœlo ſi fors contraria Paulo
Adferat, hæc Galatis ſint maledicta meis.

II.

Bis ſeptem gelidas numerans poſt frigora brumas,
It Solymas Paulus, carpitur atq; Petrus.

III.

Cœpta quidem placuere mihi, quos nunc anoëte
Fallaci teneros faſcinas arte oculos?

IIII.

Donec tutus eris, tutorum lege regeris.
Suſtulit ingratum filius ipſe iugum.

V.

Eſt næ præputium tollenti Chriſtus inanis,
Pneuma caroq; ſimul bella inamata gerunt.

VI.

Fac tibi nemo queat uerborum imponere fucis,
Nunc ſere quæ plena poſtmodo falce metas.

IN EPISTOLAM AD Epheſios. Cap. I.

Antè pater mundi quàm fundamenta locaret,
Elegit fragiles nos, miſerumq; genus.

II.

Blaſphemos, quales natura profuderat omnes,
Chriſte facis rapidi ſcandere regna poli.

III.

Compedibus uinctus patrem rogo poplite flexo,
Percolat adſertor pectora ueſtra Deus.

IIII.

Di-

Digne uiue Deo, per ſanctæ fœdera pacis,
Nullius à lingua noxia uerba fluant.

V.

Eutrapelus neruo nemo ſit, morologusq́;,
Fœmina caſta tuo ſubijce colla uiro.

VI.

Filioli patribus, dominoq́; accedito ſeruus,
Quilibet induitor pneumatis arma ſacri.

IN EPISTOLAM AD Philippenſes.

Cap. I.

Augeri cupiunt nobis tormenta maligni,
Gloria ſunt placidi uincula noſtra Dei.

II.

Barbaricam ceruice crucem portauit Ieſus,
Quem pater aſtriferi uexit ad alta poli.

III.

Conciſi Moſen mirentur, Paulus eum aſſis
Haud facit, ut faciat te pie Chriſte lucri.

IIII.

Diſco equidem paucis contentus ſumptibus eſſe,
Sunt tamen hæc animo munera grata meo.

IN EPISTOLAM AD CO-
loſſenſes. Cap. I.

Abſtractos tenebris pater ad cœleſtia regna
Tranſtulit in Chriſto, quem dedit eſſe caput.

II.

Byſſi omnes ſophiæ latitant in pectore Chriſti,
Qui corpus plenum in ſe theothetis habet.

III.

Cœleſtem ſtudeant uitam meditarier omnes,
Atq; neci ſtudeant coſmica membra dare.

IIII.

Deprecor ad Dominum uos intercedite mecum,
Vt ualeam Chriſti myſtica uerba loqui.

IN I. AD THESSALONI-
cenſes epiſtolam.

Cap. I.

Ad ſimulachra alij uadant.nam Theſſalonicam
Separat immenſi nil ab amore Dei.

II.

Blandiloquus non ſum, fraudans per uerba doloſa:
Sed mea dicta probat,laudat & acta Deus.

III.

Conſolaturus uos famigeris ab Athenis
Iſthuc Timotheus mittitur ecce meus.

IIII.

De ſomno uolumus nulla ignorare priorum,
Haud nos reliquiæ præueniemus eos.

V.

Eſtis uos lucis diuinæ pignora,nullum
Triſtib.in tenebris opprimet ille dies.

IN

IN II. AD THESSALONICENcenſes epiſtolam.

Cap. I.

Adflictis requies, ſed & adfligentibus ira:
Quando rogas? Chriſtus quando redibit, erit.

II.

Ben ſathanæ ueniet mendacia ſigna daturus,
Prima Acherontinis fallet hirundo technis.

III.

Coguntur uarij canones, ſed nomine Chriſti,
Adſit ut omne bonum, & ſit procul omne malū.

IN I. AD TIMOTHEVM epiſtolam. Cap. I.

Anxia complures abducit quæſtio legis,
Lex prohibetq́; malos, officijq́; monet.

II.

Bellum orare uiros pro cunctis, fœmina uero
Non ſinitur proprij ſumere ſceptra uiri.

III.

Conculcet Chriſti myſtes uitia omnia, ſitq́;
Omnibus inſignis conſpicuusq́; bonis.

IIII.

Dæmonijs tetris ſupremo tempore plures
Attendent: certum eſt, nam fore pneuma docet.

V.

Et uiduas iuuenes,me conſule,trade maritis.
Et ſtomacho infirmo paucula uina dato.

VI.

Falſas diuitias prorſus contemnite,tellus
Corpora nuda dedit,corpora nuda capit.

IN II. AD TIMOTHEVM *epiſtolam.* Cap. I.

Ante æterna Deus quæ nobis dona parurat
Tempora,per Chriſtum ſunt manifeſta modo.

II.

Bellator ſæuus cum athleta,& curuus arator,
Quod tibi ſignificant,ne dubitato ſequi.

III.

Captiuum ducent ſupremo tempore ſexum
Fœmineum,omnis homo namq; philautus erit.

IIII.

Doctrinam Chriſti ſupremo tempore ſpernent,
Diſcipulis doctor uerba benigna dabit.

IN EPISTOLAM AD TI- *tum.* Cap. I.

Accipe presbyteri Tite munus,& argue uerpos:
Dogmata nam uitiant uentris amore ſacra.

II.

Bella docens,uarians meminit,quod gratia Chriſti
Commonet illecebras ſpernere quenque malas.

III.

III.

Confirma populum ſacrato fonte renatum,
Eſto ſed hæreticos bis monuiſſe ſatis.

IN EPISTOLAM AD *Philemonem. Cap.* I.

Adfatus dulci ſermone Philemona, pergit
Mancipium domino conciliare ſuo.

IN EPISTOLAM AD HE- *bræos. Cap.* I.

Alloquitur Dominus *patres in uatibus: at nos*
Alloquitur uerbis filius ipſe ſuis.

II.

Bis pereat, tantam ſpernit quicunq; ſalutem:
Nam Moſi ſpernens ægra ſtatuta, perit.

III.

Chriſte domũ propriam, quæ nos ſumus, ipſe guber- (nas:
Haud Moſes propriam, ſed regit ille tuam.

IIII.

Diuinus ſermo cordis ſecreta penetrat,
Credentem in requiem ſuſcipietq; ſuam.

V.

Eſt Chriſtus myſtes cata taxin Melchiſedecis,
Quem merita exaudit pro pietate pater.

VI.

Fido ego facturos ueſtræ coniuncta ſaluti,
Spem ualidam cuius iuſſit habere Deus.

VII.

VII.

Grandis Abramus erat,ſed gloria Melchiſedecis
Grandior:huic decimas nam patriarcha dedit.

VIII.

Incuſat dominus legemq́;,holocauſtaq́; legis:
Scribis ut in ſacro ſancte propheta libro.

IX.

Languebat typici Moſes cum ſanguine tauri,
Nam ſcelus omne pias ſanguine Chriſte tuo.

X.

Magnus ſacrificus Chriſtus,ſed & hoſtia magna:
Perpetuo cunctos quippe beare poteſt.

XI.

Noſſe fidem cupiens ueteres attendito patres,
Hora breuis prohibet cuncta referre mihi.

XII.

Omne malumq́; fuga,fideiq́; ducem aſpice Ieſum:
Spręuit hic illecebras,pertulit atq; crucem.

XIII.

Principibus pare,præbeq́; famentibus eſcam,
Connubio uenerem uince cinæde malam.

IN EPISTOLAM DIVI
Iacobi. Cap. I.

Apte conſtanti ſophiam ſi corde petetis,
Vbertim dabit:hinc nam uenit omne bonum.

II.

Bullatum ſpreto uenerantes paupere ditem,
Præceptum uiolant, prætereuntq́; Dei.

III.

Cœlica pneumaticus doceat myſteria doctor,
Functio perfectis eſt modò digna uiris.

IIII.

Delicias molles propter, fera bella mouetis,
Vita quibus breuis, ut fumus & umbra ſequax.

V.

Erugo fului (modò quod male cogitis) auri,
Vos contra rigidus poſtmodo teſtis erit.

IN DIVI PETRI EPISTOLAM *priorem.* Cap. I.

Aurum legitimum uigili dinoſcitur igni,
Caſibus aduerſis fit manifeſta dies.

II.

Ballete panta dolon, Chriſtoq́; accedite uiuo,
Cuius habet nullum lingua ſacrata dolum.

III.

Caſtaq́; ſimplicibus comatur moribus uxor,
Lœdoria officijs pendite amara pijs.

IIII.

Defunctis uitijs cape Chriſti uindicis arma,
Quem propter pateris ſi qua, beatus eris.

V.

Eſte ſacerdotes gregis exemplaria ueſtri,
Præmia nam Chriſtus non peritura dabit.

IN

IN II. D. PETRI EPI-
ſtolam. Cap. I.

Adde bonos fidei mores, quo rite queam te
Græca panaretum dicere uoce uirum.

II.

Blaſphemis præſtat nullam agnouiſſe ſalutem:
Ne canis ad uomitum, ſus repetat'ue lutum.

III.

Chriſtus quod tardo reditu uocet ad metanœan,
Scribis epiſtolijs Paule, monesq; tuis.

IN PRIMAM D. IOAN-
nis epiſtolam. Cap. I.

Aures quod patulæ, nitidus quod nouit ocellus,
De patris uerbo ſcribitur hocce tomo.

II.

Blanda perambigui contemnite gaudia mundi,
Si modo cœleſtem uultis amare patrem,

III.

Chriſtus diſſoluit ſathanæ conata, iubetq;
Mutuus in fratres, ſit quoq; uerus amor.

IIII.

Dico rurſus idem, fratres adamate uiciſsim,
Perfecto gelidum pellis amore metum.

V.

Excidit atq; perit cito mundi præſidium omne:
Vnum eſt quod neſcit cedere, quippe fides.

IN II. D. IOANNIS EPIST.

Auſcultare nephas Chriſto diuerſa docenti,
Imo nephas prauo dicere chære uiro.

IN III. D. IOANNIS EPIST.

Audio næ lætus, quod es officioſus in omnes
Qui ſine ſpe lucri uerba ſacrata docent.

IN EPISTOLAM IVDAE.

Armat nos Iudas aduerſus pſeudoprophetas,
Quos fore apoſtolicus dixerat ante chorus.

IN D. IOANNIS APOcalypſim. Cap. I.

Aurea candelabra ſenemq; podere adamictum,
Et ſtellas uidet, & ſignificata capit.

II.

Balaa quæ docuit uates, ea Pergamus audit,
Admonet et Smyrnã, & cũ Thyateira Epheſum.

III.

Ceſſat mors Sardeis, reuomuntur Laodicenſes,
Sub pedibus ſathanam ſed Philadelphus habet.

IIII.

Deniq; cernuntur ſeniores bis duodeni,
Atq; animal quadruplex ante retroq; uidet.

V.

Exin triſtatur, quod librum nemo recludit,
Abſtulit heptoceros, huncq; recluſit ouis.

VI.

Fra-

Fratribus impletis ſumam de ſanguine ueſtro
Vindictam, è cœlo ſplendida ſtella cadet.

VII.

Grandi uoce canit plebes duodena Tonantem,
Purificant ueſtes ſanguine nanq; ſuas.

VIII.

Ignem flammiuomum dicit cum thure Sabæo,
Iuſtorum ſacras ſignificare preces.

IX.

Læduntur, quorum frontes non certa tuentur
Signa Dei, interit & portio terna hominum.

X.

Magnanimus ueluti leo rugiat, angele clamas,
Stans ſuper terram, nauiferumq́; mare.

XI.

Non humabuntur cæſi pro nomine Chriſti,
Sed dabitur rapidum ſcandere aduſq; polum.

XII.

Ornatur mulier Phœbo, lunaq́;, Michael
Bellum uiroſo cumq́; dracone parat.

XIII.

Propaq́; multiciput ueneratur belua, & audet
Terræ ac cœlitibus bella mouere pijs.

XIIII.

Quot ſint & quales qui dicunt carmina, meſſem
Demetit angelica falce, botrumq́; putat.

XV.

Recluſo templo recitantur cantica Moſi,
Et ſeptem phialas ira cruenta replet.

XVI.

Stillant hæ in terram, pontum, fluuium, aëra, ſolem,
Euphratem, inq; thronum beſtia ſæua tuum.

XVII.

Tendit cum populo reges tentare genetrix
Spurcitiæ, retinens aurea pocla manu.

XVIII.

Vobis quod ſimplum dedit, illi reddite duplum:
Luctus ſit tantus, gloria quanta fuit.

XIX.

Altum halleluia cœleſtis concrepat aula,
Agno etenim eſt ſummi cœna parata Dei.

XX.

Beſtia dat pœnam, pœnam dant pſeudoprophetæ,
Dant & defunctos mors, mare, Disq; ſuos.

XXI.

Cœlum aliud cum terra alia, lachrymisq; piorum
Abſterſis, Hieru cernitur inde ſalem.

XXII.

De ligno uitæ carpuntur poma ſalutis,
Viuus perpetuas dat quoq; riuus aquas.

DISTICHORVM NOVI TESTA *menti totius Summam complectentium*

FINIS.